




7 400 40




MADE IN SPAIN

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35

ILLVSTRISSIMI
E T
REVERENDISSIMI
EPISCOPI
BALBASTRENSIS
Tractatus
DE INTRVSIONE.





TRACTATUS
de
INTRUSIONE
AVCTORE

D. D. DIDACO ANTONIO FRANCES
de Vrrutigoiti, olim Cancellario Seu
Iudice Competenciarum Regni Arago-
num, Nunc autem EPISCOPO BAR-
BASTRENSI à Consilijs Catholici
Regis Hispaniarum Philippi IV.

LVGDVNI

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. D. C. 56 N. 18

A. Auroux

Sculpsit

Sumptibus. Philippi Borde, Laurentij Arnaud & Claudij Rigaud. MDC LX.



Eminentissimo D. D.

PASCHASIO DE ARAGON,

*EXCELLENTISSIMORVM DVCVM CARDONÆ,
& Segobricæ Filio, Archidiacono des los Pedroches, & Canonico Cor-
dubensis Ecclesia meritissimo, olim Collegæ maiori in antiquo S. Bar-
tholomæi Salmanticensib; Collegio, Archidiacono de Talauera, & Cano-
nico S. Ecclesiæ Toletana dignissimo, Equiti de Alcantara, à Consilijs
Catholico Regi, in Supremò Tribunali S. Inquisitionis Fiscali, & in Sa-
cro Supremo Aragoniæ Corona Senatus Regenti.*

Nunc verò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali
innumeris titulis meritissimo.

*D. DON DIDACVS ANTONIVS FRANCES
de URRVTIGOITI, ex Decano Turiasonensi, Archipresbytero Da-
rocensi in S. Metropolitana Ecclesia Casaraugustana, Competentiarum
Iudice in Aragonia, Regij Nosocomij Administratore, EPISCOPVS
BARBASTRENSIS, à Consilijs Regi Catholico.*

S. P. D.



VM in his lucubrationibus meis, EMINEN-
TISSIME CARDINALIS, *Intrusus ad Be-
neficia*, non tam seuerus Arbiter ad subsellia voco,
quàm de communi Reipublicæ, & Christianæ, &
litterariæ bono sollicitus, curiosior solito indagator
inquiero; vereor ne intrusus ego in Beneficium au-
diam; & memetipsum parùm catus, & cautus quasi
plumbeo gladio iugulem. Quod enim tam grande beneficium, tam-
que auidis votis expetendum, quàm sub Eminentissimi Nominis tui
vmbra conuiescere, aurâ clementiæ tuæ leniter spirantis afflari, Ex-

EPISTOLA

cellentissimæ Dominationis aureo vmbone defendi; plusquam solari lampade irradiari, Nobilitatis Aragoniæ de Regio tumentis sanguine propitia luce circumfundi? Id ego sanè pro eo ac debeo, non vnus dumtaxat beneficij loco pono, sed pro multis, iisque maximis beneficiis numero: totidemque compedibus Magno Nomini vestro deuinctum profiteor. In ea autem beneficia Intrusum si quis me existimet; de iniuria conquerar facta & benignitati vestræ, quæ semper præoccupat; & modestiæ meæ, quæ ideo minus audax est, quia magis conscia indignitatis suæ. Quin & verus, & gratus affirmo vos, pro ea, qua fulgetis indole Regia, & egregia, mihi addictissimorum non postremo beneficia pulchro certamine obrufisse; & magna maioribus cumulasse. Quibus referendis fore me aliquando parem, vix spero; nisi vnica, eâque sincera gratiarum actione, velitis esse contenti; vel illorum confessione, quæ, Seneca teste, interdum beneficij solutio est. Igitur vt hac saltem ratione persoluam, gratissimè fatebor æternum; me & magnitudine premi, & obrui multitudine.

Seneca.

Hic iam nec obliuisci integrum est, nec fassis meminisse oculis Eminentissimum Antonium Tuum, imò & meum, (Prò, Superi, qualem, quantumque Heroa commemoro!) quem Orbi, & Vrbi inuida abripuit mors. Eius ego clarissimo Nomini, necdum de Ostri honore fulgenti, Decisiones Francisci Peña, summi illius Sacræ Rotæ Decani consecraui. Vt alienâ tunc me tegerem, ornaremque plumâ, propria paupertas adegit. Donec adultiore ingenio in illam qualemcumque erupit, DE PASTORALI INTERNO, DE BAPTISMO DV B IO, DE DECISIVIS SVFFRAGIIS. Quam dum Antonio fratri, iam Patri Purpurato dicere meditor; dum Epistolam Gratulatoriam potius quàm Dedicatoriam scribo, iam iam prælo subiiciendam; ecce infaustum de intempestiuo obitu nuntium, & me prope examinavit, & Aragoniam nostram, quæ iam tota de Aragonio Cardinale gestiebat, incredibili mœrore confecit. Extemplo auribus meis tragicum illud Vatis Idumæi carmen insonuit. *Versa est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.*

Hæc, PASCHASI EMINENTISSIME, rerum humanarum inconstantia est; hæc fortunæ ludentis, & illudentis incerta conditio; hæc ipsius cæli nunc sudi, nunc vdi vicissitudo. Vt de Antonio nostro Larini Princeps carminis vaticinatus videatur.

Hunc tantum terris ostendent fata; nec ultra

Esse sinent.

Simul Hesperia fulgentissimi sideris, & vidit ortum, & sensit occasum,

Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat,

Omnibus obscuras inijcit atra manus.

Sub sua purpureos raptat vestigia Patres.

Lugeat S. Hieronymus Purpura insignis, Antonij nostri iam purpurati mortem,

DEDICATORIA.

mortem, nobis immaturam, non sibi. *Quis, inquit, parturientem Rosam, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum ambitione pandatur, immaturè demessuit?* Nulla ætas, quantumuis florens tuta, nulla felicitas secunda est; cum qua suus nascitur vermis, qui arrodit, & mordeat. Rosa ipsa rubens, ac florum Regina, & vt Græci vocitant, vnica veris cura, suas gignit spinas, quibus horret; quæ lacerant, & rosam, corrosamque ad interitum premunt. Illâ ipsâ, qua fouetur, aurâ blandiente marcescit, &

Quam brevis vna dies, atas tam longa Rosarum.

Sat cum Antonio Nostro Eminentissimo, & Purpurato actum; cuius vitam immortalem esse oportebat.

Occidit ante diem, nulli mage flendus in orbe,

Quam Tibi, cui fratris iunctus amore fuit.

Gloriosum certè, & insigniter charum fratrem perdidisti, quia mortalem acceperas. At si obiit, non periit; superstes est gloria; immortalis virtus; fama perennatura. Quas si excipias, cetera corporis ornamenta, ac vitæ præsidia pari mors turbine dissipat, & æquo pulsat pede.

Nobis vero in tam sæuo vulnere, ac funere aliqualis est causa solatij; dum quas lacrymas exclusit Antonius, occidens sidus; stella exoriens Paschasius frater purpurascens abstergit, vt mutatis nominibus dicere possimus. *Mortuus est Frater eius, & quasi non est mortuus, similia enim sibi reliquit post se;* scilicet Paschasium item Cardinalem, Ecclesiæ olim decus, & Excellentissimæ familiæ nulli secundum ornamentum. Quæ arboris illius celeberrimæ ad instar est, de cuius ramis.

Uno auulso, non deficit alter

Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Abiit in cælum Plîæ instar Antonius, curru vectus triumphali ingentium meritorum; at Pallium purpureum non iam Discipulo, sed charissimo Fratri reliquit. Nouum Phœnicem, quem eundem ipsum putes, ex demortui cineribus rediuiuum gaudemus. Atque hic mihi illud in mentem venit, quod de Zara sacræ testantur historiæ. Patienter audiat modestia tua; neque enim animus est supra Purpuræ ruborem, nouum ori affundere. Notum tibi est, quod de Thamaris narratur partu, cum vno eodemque Phares, & Zaram gemellos effudit. *Atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egresus est alter.* Non facillè Interpretes explicant, quare cum Zara Seruatorem Mundi non genuerit, inter eius præuos numeretur. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Neque enim sine mysterio id factum existimat aurei eloquij Princeps Chrysostomus, Hom. 3. in Matth. *Quid igitur, inquit, hoc enigmate designatur? Nam præmissa quidem huius manu, alterum prius egredi, naturale fortasse sit. Retrahente autem illam, & alteri transitum concedere, non iam fiebat lege nascen-*

S. Hieronymus.

Eccli. 30.

Genes. 38.

Matth. 1.

S. Chrysostomus.

EPISTOLA

tium. Porrò miranda Zaræ vrbalitas, fraternus amor, animique demissio, qui primas detulit carissimo fratri, silentio inuoluenda non fuit, sed omnium gentium literis, atque linguis prædicanda, eoque afficienda præmio, vt in album Progenitorum Christi referretur. Iam verò nisi Zaram retulisset dexteram, duos filios eiusdem confortes gloriæ Thamar non habuisset; scilicet inter filij Dei Progenitores.

Atque hæc non tam Expositoris more, quàm amore tui, aut ad quæcumque tuorum clientum solatium elucidasse, aut non siluisse sufficiat, nec fas est onerare pluribus patientiam tuam. Prior protulit Antonius manum, quia natus est prior, manum, inquam illam coccino insignitam, Cardinalitiâ Purpurâ decoratam. An dum obiens retraxit, cessisse tibi amantissimo Fratri censendus est? Viderint alij. Hæreo ipse, an te fortunâ tuâ felicem dicam; an illum fraterni amoris laude, & supra iura naturæ insigni ad memoriam Purpuræ despicientiâ, atque honoris in te transfundendi renunciatione beatum. Id enim non fieri nascentium lege, quod contendebat Chrysostomus, clamant Gemelli Romæ conditores; de quibus lepidè S. Hieronymus: *Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium.* Imò par fratrum Esaii & Jacob nec vnus uterus cœpit, nec vnum Regnum. Item illud Nasonis apud Senecam.

S. Hieron.

*Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, Fratrum quoque gratia rara est.*
Charitatis maternæ laude habetur à plerisque insignis cuiusdam Imperatoris Parens, quòd eo amoris affectu raperetur in filium, vt mori ipsa maluerit, quam illum non regnare. Hæc illius vox. *Occidam, dum regnet.* Filij Purpuram vitæ prætulit suæ. Quidni ego existimem Antonium fratrem Cardinalem factum doluisse animitus Te, quem vnice diligebat, quemque parem agnoscebat virtutum meritis, imparem esse Purpurato Dignitate: Cumque non ignoraret, ipso superstite, difficulter habiturum Te Pilei rubri consortem, mortem ipsam & appetiisse libenter, & lubenter oppetiisse, illud idemtidem vsurpans. *Occidam, dum regnet.* Obeat suum diem Antonius, vt Paschasius splendeat in Purpura. O verè cælestem vocem illam, & germano dignam fratre! *Vive tuo frater tempore, vive meo.* Hoc de Castore, & Polluce dictum: Tum illud de Pilade, & Oreste.

Ouidius.

Seneca.

Martial.

Ouid.

Num. 20.

Pugnat uterque mori.
Certè dum è viuis ad Superos tranfuolat Antonius, id tecum fecisse videtur Deus, quòd Moses in obitu dilectissimi fratris, summi Sacerdotis. *Cum Aaron spoliasset se vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Te, inquam, PASCHASI EMINENTISSIME, abeunte ad vsuram melioris vitæ Fratre, qui in demortui successisti locum, Supremus Ecclesiæ Pater iisdem Purpureis, ac Sacerdotalibus ornauit indumentis, quibus illum mors inimica spoliavit. Præclare illud

DEDICATORIA.

illud dictum ab Arnulpho Antistite Lexouienfi. *Duobus modis de-* Arnulphi: *functo Fratri amicitiam iudico rependendam: vt primò quidem piis apud Deum intercessionibus adiungatur.* Id, quod ego ex quo extremum diem clausit Antonius diligentissimè præstiti, & meis sacrificiis, ac precibus habui, habeoque præsentissimum. *Secundò, vt hi, quos ipse dilexerat dilectione vicaria diligantur.* Unde amor noster ab illo in Te, quasi quodam hereditaria successione iure transfusus est. *Vt iam Te in posterum duplicato complectar affectu, obsequio venerer.* Tibi enim præ ceteris Fratribus hæc est deferenda successio, quem ille præ ceteris diligebat: Tibique eam quasi quodam testamento specialis prærogativa designat; Cui noster Elias cælestis iam incola paradisi Purpureum reliquit pallium cum spiritu duplici.

Videbor fortasse alicui minùs prudens, dum patrocinium magni Nominis vestri meis studiis auidè ambiens, tam anxie Cardinalitiam commemoro Dignitatem, quam vterque vestris ingentibus meritis indepti estis. Fecisset vtinam Deus immortalis, vt mihi hoc Opusculum absoluerè licuisset, antequam ipse ad Cardinalatûs ascenderes apicem; ne quis existimet scientem me, nescio an prudentem expectauisse Purpuram Tuam, ex qua mutuarem & operi tutiorem vmbra, & Autori grandius lucis incrementum. Equidem, cum pro certo haberem Antonium Fratrem propediem Cardinalem creandum, consultò antequam crearetur, Eius Nominis Decisiones Peñæ dicaui. Id ipsum agere tecum statueram animo meo; sed pascendo gregi totus intentus, perficere opus hoc antè non potui. Non sanè aliam, neque tunc temporis Decisionibus illis, neque huic modo de Intrusis ad Beneficia Tractatui aut vmbra, aut lucem desidero, quàm quæ Vtri- que ante initum Ostrum ab exuberantissimo luminum Patre indulta largiter est. Vnum olim ambiui Antonium; vnum modo imploro Paschasium; vtrumque de Aragonia stirpe germen amabile, duo Luminaria magna Cardoniæ Domus. Luminare maius Antonium dico, quia natu maiorem. Hic translatus in cœlum, vt præsit diei, qui noctem ignorat. Luminare minus Paschasium voco, quia natu minorem, ætate tantum imparem, meritis parem, qui præsit nocti, & sapientiæ suæ, clarissimarumque virtutum radiis, ignorantia, ac vitiorum tenebris acre bellum indicat. Illa, illa vna Cardonia Domus, cælo æmula, mihi quondam fuit, eritque dum viuam, ad amorem cordi, in oculis ad reuerentiam, in votis ad gloriam, Regia propago, quàm fumosis tot Heroum imaginibus non fumantem, sed ad inuidiam, ad miraculum latè, altèque fulgentem, bellicis ardoribus igneam, & illustrem, tot Stemmatis gloriosam, quot facinoribus egregiis inclytam; tot Procerum, Ducum, Dynastarum parentem, & altricem; rerum præclare, ac fortiter pace, bellòque gestarum splendore clarissimam, victoriis, ac palmis vberimam, trophæis sublimem, spoliis opulen- tam,

EPISTOLA

tam, exuuiis saturam, mille infulis reuerendam Christianus Orbis prædicat, & agnoscit.

Et quidem de hac nemini ignota vestræ maiestate Familiæ, de Regalis claritudine Generis, de Excellentissimæ Domus Aragoniæ magnitudine octauum prætergressa gradum, utpote nouies Magna (*Nue- ue Grandezas en una Casa*) semper tacuisse fatius erit, quam citato ac perbreui laudum præconio irrogasse iniuriam. Ad meos Antonium, & Paschasium redeo, in hoc pulcherrimo corpore quasi geminum lumen oculorum, in Cardonico Polo maiora Lumina, in Aragonia Domino columina firmiora. O quale quantumque Cardinalium Par! Quibus pro dignitate laudandis omnis vis eloquentiæ impar.

Et meritis, et sorte pares, virtute, triumphis,

Vos fecit sacro Murice Roma pares.

Fax splendissima, non iero inficias, Cardinalitia dignitas est. Si Pontificiam Tiaram Supremi Antistitis, Christi Vicarij excipias, quid quæso in Ecclesiastico Imperio seculorum omnium opinione sublimius? Et, ut non tanti, sanè non parui æstimanda, sed ab omnibus suspicienda alia Militantis Ecclesiæ excelsa fastigia. Idem esto iudicium de Collegiorum Maiorum togis, quale est apud Salmanticenses, quod de S. Apostoli Bartholomæi nomine, ac tutela gloriatur; quo in Hispania nullum augustius; ex quo Viri Magni ad varia Regnorum gubernacula, ad Ecclesiarum clauos, & clauos, plures, quàm ex Equo Troiano Duces armati prodire. In eo vterque (& quid plus vltra ad illius comendationem?) prima studiorum, & canæ iuuentutis præludia posuistis. Idem de Militari Cruce de Alcantara, quo stemmate insigniti ambo. Idemque de vtroque Supremo, & Sacro Fidei, & Aragoniæ Senatu. Ad primum vterque item, & Religionis tuendæ zelo, & mirifico studio pietatis, quasi duabus elati rotis, aut pen- nis alati conuolastis. Ad secundum, ipse solus reipsa euectus es. Meruisse de condigno, Antonio Fratri ad parem laudem fuit. Etenim cum Cæsaraugustæ ageret, infimis, mediis, summis in primis carus, Aragonia iudicium de illo suum honorificentissimo, & publico testi- monio declarauit: cum in generalibus Regni Comitibus Philippum Regem Magnum quàm potuit suppliciter, & enixè deprecata est, ut illum Supremo, & Sacro Aragoniæ Consilio Procancellarium præficeret. Felix, quod orauerit, quia illo Præsidente, sibi fausta omnia pollicita est. Sed num ideo minùs beata, quòd non exorauerit? Non ausim dicere. Etenim si ea exceptione voti rea facta fuisset, ut tam breui temporis interiecta mora illum amitteret, aut Romam abeun- tem, aut obeuntem, diem suum, profectò fatius fuit non exorasse, ne cum cœpisset frui tanto Procancellario, repentina amissione dole- ret, tabesceret desiderio. Illi autem, quem ad altiora honorum culmi- na seruabat Deus, vota omnium meruisse gloriosum fuit, nec tam
ipsum

DEDICATORIA.

ipsum fuisse petitorum Dignitatis, quæ à Rege secunda in Aragonia est, quàm Dignitatem ipsam Antonij candidatam. Mitto alios hono- rum gradus, ad quos non tam nobilitas Sanguinis, beneuolentia Re- gum, propinquorum Magnatum fauor, quàm patrocina meritorum, virtutum decora, sapientiæ fama, in Deum, ac cælites pietas, in Re- gem Catholicum constans & inconcussa in Gotholaunia fides, in Pa- triam amor, in omnes comitas vobis viam munierunt. Nullus, credo, erit tam stupidus, qui ista non æstimet, tam cæcus nemo, qui non intueatur.

Verùm quid accensis facibus opus est, quibus concessum radiantis ad meridiem Solis profusa luce perfundi? Cur aduentitia expectet or- pectet ornamenta, patrocini licet egentissimus, quem Antoninæ, & Paschasianæ humanitatis fulgor illuminat, fouet fauor, fauet chari- tas, quem Cardonice Magnitudinis tuetur auctoritas, exornat muni- ficentia? Non vos notis honorum, & dignitatum, audeo dicere, imò nec ipsius Purpuræ auctoramento facti estis grandiores, ut fluuij so- lent, collectis hinc inde riuis. Vbertatem vestram magnis fontibus pos- sumus comparare, qui cum nascuntur, in ipso exortu flumina sunt, & plenis marginibus exundantia ripas coronant, locupletant. Vtrum- que Eminentissimi titulo ornatum fateor; eo tamen, licet tanto, Emi- nentiores vobismet ipsis fieri vix potuistis. *Nam cui nihil ad augen- dum fastigium superest* (Tertulliani sententia est) *hoc vno modo cresce- re potest, si se ipsum demittat securus magnitudinis suæ.* Id vos, CAR- Tertullia- nus. DINALES EMINENTISSIMI, præstitistis egregiè vestræ magnitudinis securissimi, quandoquidem non illà indignum iudica- uistis, ad hæc mea studia fouenda descendere, & humi repentes in- genij partus in sinum vestræ benignitatis excipere.

Vnde cum apud me statui vigilias meas Magno Nomini vestro sa- crare, statim in eam assurrexi confidentiam, non despecturos ex alto Purpuræ vertice, quem Antonius, & Paschasius Aragonij Ducum Car- donæ Filij non despexistis. Illa profecto potissima vestra Dignitas est, illa plena decoris, nec vacua auctoritatis celsitudo, quam de maternis vberibus cum lacte suxistis; & quam vestris deinde meritis, & virtu- tibus comparastis: quæque magis inclarescet, per vnumquemque ve- strum, quàm vos noti sitis per ipsius lucem. Enimverò si de aliis pe- regrinis, & ascititiis ornamentis vobis vellem ferta contexere, suppe- ditante abunde flores domestico viridario; verendum mihi esset, ne interpellaretis vocè, & exemplo Magni Regis Alphonsi; quem dum quidam ex Aulicis prædicat à sanguinis Regij nobilitate felicem, & Regem & Regis Filium, Regis Nepotem, ac Regis Fratrem, os ob- struit Oratori, affirmans, nihil omnino esse, quod ducat ipse minoris, quàm quòd ille faceret tanti: laudem enim illam non suam esse, sed Maiorum suorum. In eo tacitè conquestus est, iniuriam irrogari sibi, qui

EPISTOLA

qui iustitia, moderatione, fortitudine animi, aliisque dotibus sibi regnum comparasset. Iisdem vos gradibus ad Cardinalitij fastigij honorem euasistis. Non Purpura, sed illa merita vestra insignia sunt, quæ si deessent, obscuraretur sine dubio & infularum, & Natalium fulgor.

Beatissimi nonnulli audiunt nobilitate, & factis proauorum. Ego vero hoc solo nomine non vos beatos existimo; imo, si fas est dicere, minùs felices ob hanc ingenitam felicitatem. Optarem potius totius aduentitiæ claritudinis inopes, ut sola, quæ domi nascuntur Lumina radiarent. Qui enim minùs prudens à meritis vestris auerteret oculos, eosque conuerteret ad Excellentissimos Parentes, atque vestros Regali cretos sanguine, suspicaretur fortasse, suprema subsellia, Ostrumque non vobis delata, sed Sanguini. Qua suspicione immane quantum iniurius esset Vestræ Virtuti. Ego verò, cui illa multis abhinc annis probè perspecta, & probata est, sic iudico, nihil ultra esse, quod expeti possit; solam illam sufficere ad splendorem, præsidiumque Lucubrationum mearum, quas ad Aras geminatæ Eminentie Vestræ deuotus appono.

Plutarch. Inter amicos, quibus familiarissimè vsus est Magnus Alexander, Plutarcho teste, omnium maximè visus est honorare Craterum; sed omnium tenerrimè diligere Hephestionem. *Craterus enim, inquiebat Rex prudentissimus, colit Regem; Hephestion vero diligit Alexandrum.* Quare aliâ ratione vni cultum, aliâ alteri amorem perfoluit. Craterum dignitate exornauit; Hephestionem ad intimam admisit amicitiam. Audaciùs fortè loquar, PASCASI EMINENTISSIME, quàm & Eminentia Tua, & mea tenuitas patiatur. Ego, qui semper fuerim magis de tua gratia promerenda, quàm de concilianda Scriptis meis autoritate sollicitus, gratissimum habui quoties audiui Te ad noua in dies Dignitatum culmina promoueri. Cum verò certior factus sum à Philippo Rege nostro Catholico destinatum ad Purpuram, incredibili gaudio triumphauit. Tamen, ut verum fatear, licet ista omnia tuorum præmia meritorum suspicio semper, quæ verè suspicienda sunt; non illa attentius intueor dum Operi huic de INTRVSIS AD BENEFICIA, de tua ditissima penu ascisco lucem, adstruo patrocinium. Te Vnum specto Paschasium de Aragon. Ideoque studiorum, obsequiorumque meorum, si quæ sunt, cumulatissimum fructum me percepisse arbitror, si pergas, prout cœpisti, exemplo Eminentissimi Fratris Antonij, numerare me, non inter Crateros, quem honoribus largiter cumules, sed Hephestiones inter, quem speciali beneuolentia complectaris. Atque hic & reipsa, & æstimatione mea honorum omnium cumulus erit, & præmiorum apex.

Iam illud aduerto, quod cursim attingi de Eminentissimo Fratre, qui tibi & vitæ, & Purpuræ Cursorum more lampada tradidit, consulto

DEDICATORIA.

sulto præstitisse, ut illius memoriæ nullis obruendæ seculis parentarem, & verè iusta perfoluerem. Etenim quidquid ego aliquando vel propria, vel aliena luce fulsi, si tamen fulsi, ipsius vmbre acceptum refero. Verum altiori consilio dum Castorem alloquor, Pollicis Fratris iam cœlo donati Personam in hanc Scenam produxi. Crede, quòd Te velim non Fratrem modo, sed etiam Germanum, ideoque meminisse, ut illum Tibi ad imitandum proponerem. Bene quidem. Nam quamuis Auspice Numine, & bono tuo iuuante Genio, tuisque adnitentibus studiis Virtutem secteris, Pietatem colas, Sapientiam ames; tamen non parum Eminentissimi Fratris præeuntis exemplum excitare potest. Nisi fortè superuacaneum iudices stimulos addidisse currenti, cuius præclaræ indoli infita sit Fraternalis laudis æmulatio. Tamen.

Laudataque Virtus.

Crescit, & immensum Purpura calcar habet.

Scio equidem quòd vix excesseras ex ephebis, cum totus natus aptus ad regimen, ad Infulas, ad Purpuram visus es, in ipso flore vernantis adolescentiæ, quæ spei bonæ nuntia fuit; nec fefellit spes. Vnde crediderim Paschasium meum vnum fuisse ex illis, de quibus S. Bernardus. *Multos videmus iuniorum super senes intendere moribus dies; antiquorum merita prauertere meritis, & quod atati deest virtutibus compensare.* Istæ Tibi iam tunc eam peperere auctoritatem, quam nec rugæ pariunt.

S. Bernard.

Sed neque cygnæas imitantia tempora plumas.

Illa magis veneranda canities, non quæ annorum, aut canorum numero computatur, sed quæ grauitate morum, & modestia vitæ. Vide quali penicillo Purpuram tuam coloret Paschasius alter. *Dignitas sublimior, nempe Cardinalis, qua splendes, in decore, & auctoritate potissimum sita est; quod Tibi à Virtute, & Sapientia tributum in Te ipso circumfers. Hic tuus honos haud magis latere potest, quàm illa pulcherrima cœlestes orbis decorantia sidera.* Hæc sunt vera insignia Cardinalitiæ Dignitatis; nam quæ à Regiis Natalibus, à pulchritudine, ab opulentia venit, marcescit & languet. Tua autem deflorescet numquam; nec desciscet is, quem altè Purpura tua bibit, color, ut quæ veris virtutibus identidem rubricetur. Quare video Te hortatore non egere.

S. Paschas.
lib. de virt.
& vit.

Moribus, ut Fratrem referas, & passibus aquis.

Denique ne pluribus onerem modestiam tuam, & dum gratiam ambio, indignationem laceffam, venio ad id, quod tacere nefas foret, præsertim inter tot festas, faustasque totius Hispaniæ gestientis voces, & Paschasio meo de Purpura gratulantis; quæ dum mei officij admonent, statim animum pulsas illa dubitatio, cui potissi-

EPISTOLA

rum debeam gratulari. An Alexandro VII. Pontifici Maximo; an Magno Hispaniarum Regi Philippo; an amplissimo Eminentissimorum Cardinalium Collegio; an Excellentissimæ Cardonicæ Domui; an Aragoniæ nostræ; an Hispaniæ, Orbique Christiano promodum vniuerso; an demum Eminentiae Vestræ? Ut de me taceam additissimorum non postremo; qui Vestræ dignitatis incrementa inter propria repono beneficia.

Gratulabor in primis Sanctissimo Alexandro VII. cuius auspiciis, & Regi Catholico, cuius gratia nouo hoc honore affectus es. Atque ita gratulabor, quasi quod in te beneficium contulerunt, sibi ipsemet ipsi contulisse videantur. Rectissime enim censuit quicumque scripsit.

Pub.Mim.

Beneficium dando accepit qui digno dedit.

O verè aureum dictum, & succo plenum! Quis autem Paschasio meo Purpurâ dignior, & si quid Murice excelsius est? Quem in floridâ iuuentâ Regum Maximus adeo prudentiâ maturum iudicauit, ut ad Supremum Inquisitionis, & Sacrum Aragoniæ Senatuum asciuerit. Audi Cassiodorum quasi tecum loquentem. *Et verè equum iam erat, EMINENTISSIME PASCHASI, ut gereres nomine, quam iam dudum possidebas animo Dignitatem. Cuncta siquidem, unde famam capiat humanitas, in te geminata sederunt, Patria, Genus, Instituta præclara: quorum si unum Nobilitatem complet, in te collecta quid facient? Qui non minùs Sanguinis nobilitate replendes, quàm gloriâ Stemmatis, & decore virtutis ornaris. Dignissimus planè euasisti munificentiam Regiâ, qui in ipso iuuentutis flore lubricam frenaris atatem; & Patre primatus, Excellentissimo Cardonicæ Duce, quo non constantior, nec Regi suo fidelior alter; orbatus item Matre, Heroinâ clarissimâ, inuictissimâ Viragine, & omnium seculorum memoriâ celebrandâ; *Grauitatis factus es Filius.**

Cassiod.

Seneca.

Crispum Passienum audio apud Senecam dicere solitum: *Se quorundam hominum iudicium malle, quàm beneficium; quorundam libentius admittere beneficium, quàm iudicium.* Vnde, EMINENTISSIME PASCHASI, duplicatum Tibi in Purpura præmium. Alexandri enim VII. & Regis Catholici habes, & iudicia de Te, & in Te maxima Beneficia. Dicat vterque de nouo suo Cardinaliale, quod de nobilissimo Eugenio Rex Theodoricus. *Pompa meritorum est Regale iudicium, (cur non etiam triumphus, Iudicium Pontificale?) quia nescimus ista nisi dignis impendere. Et quamquam potestati nostræ subiaceat, Deo fauente, omne quod volumus; voluntatem tamen nostram de ratione metimur, ut illud magis æstimemus elegisse, quod cunctos dignum est approbare. Qui merito sperant, fore Te Innocentiæ Templum, Aram Iustitiæ, Fideique Sacrarium.* Quibus

Cassiod.

consonat

DEDICATORIA.

consonat Oratorum Princeps, *Is verè triumphus est, cum bene de Re-publica meritis testimonium à consensu Ciuitatis datur.* Quid de Paschasij triumpho iudicandum est; quid de Antonij Pompa meritorum, quibus summa Urbis, & Orbis consensione Purpuræ decus decretum est? Atque hæc suprema creditur magnitudinis Vestræ commendatio, hic gratissimus fructus laborum, meritorumque vestrorum, ut cum summa adipisci potueritis, iudicemini ab omnibus & plura & maiora meruisse.

Vobis verò, CARDINALES EMINENTISSIMI, quibus verbis gratuler de noua hac honoris accessione, quæ Sacro vestro Collegio facta est, vocatis ad Purpuram duobus Principibus Fratribus; Antonio, qui iam felici fidere translatus in cælum, Vobis lucet ad gloriam; & Paschasio meo, qui vtinam viuat ad laudem, decusque Nominis Vestri Nestoreos annos. Certè in conferendâ vtrique sacrâ Purpurâ, nihil habuerunt antiquius Innocentius X. Alexander VII. & Philippus Rex, quàm vt Sanctissimum Collegium Vestrum, fidei Propugnaculum, iuris, & æquitatis Arcem, prudentiæ Sedem, Religionis Senatuum, veritatis Asylum, Militantis Ecclesiæ Lumen, & Columnen, sacratorum Procerum Conuentum, non solum augerent, completerentve numero Cardinalium, sed etiam ornaret splendore Stirpis, & luminibus meritorum. Quæ nisi tanta fuisse in defuncto Fratre Antonio fatear, tantaque esse in Paschasio superstitite, quanta Vos de Collegij Vestri gloria studiosissimi desiderare potuistis, iniustus sim rerum æstimator.

Sumite ergo, PVRPVRATI PATRES, Alexandri, & Philippi Magni matura iudicia; & quando Fratrum altero, immatura morte prærepto frui non datum est, fruimini altero. Paschasium iam Vestrum, Aragoniæ Gentis Decus suauissimum, Cardonicæ Familiæ Cardinem, Præsidiūque inconcussum, ingens Hispanorum Optimatum Ornamentum, primæ Nobilitatis dulce Delicium gremium Vestrum laxo sinu gaudenter excipiat. Pandite Curiam Vestram de Philippica Curia profecturo, qui Senatui Vestro destinatus est peculiari beneficio Numinis, studioque, & voto generali. Dignissimus ille est Vester qui sit Collega, & diligatur à Vobis, qui tanto honoris fastigio par meruit reperiri. Quo amoris sensu præsentem, cognitumque amabitis, quem absentem, & sola sui Nominis fama notum non diligere, iniuria est?

Denique qua Te voce compellem terque, quaterque felicem, Cardonica Domus? Prophetica in te contemplor quadrigam triumphantis currus. Vbi dum in Magno Duce Hominem, in Petro Leonem, in Vincentio Aquilam agnosco; in Antonio, & Paschasio Taurum, in illo cæleste signum, in hoc, terras adhuc inco-

EPISTOLA

lentem suspicio Taurum, qui, teste Hieronymo, *fortius figet pedem;* & vt est in sacris, *Vbi multitudo segetis, ibi manifesta fortitudo bonis.* Tum etiam quòd, auctore Seneca, Taurum rubicundus excitat color; Id, quod mihi EMINENTISSIME PASCHASI, non dubiam facit spem, fore, vt & ipse ad delatæ Purpuræ conspectum ad maiora in dies exciteris; & Fratribus, consanguineisque stimulos addas exemplo tuo; & rerum præclarè gestarum sortiaris æmulos, quos conditione nascendi, quos magnitudine animi in defendenda Patria, quos fide Deo, Regique debita, ac præstita fortitus es pares. Hoc mutua alarum percussio in sacra Quadriga portendebat. *Volantia animalia, inquit S. Gregorius, se inuicem feriunt alis suis; quia Nobiles mentes in eo, quòd superna appetunt, considerantes inuicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua percussit me, qui ad melius exemplo sua virtutis accendit.*

S. Gregor.

Perge igitur bonis auibus; Quadriga triumphans, & inter applaudentes Hispanorum Procerum Choros, in Philippicam Aulam inuehere gloriosa; Inter Dynastarum Italicorum Regi Catholico parentium agmina VICTOR IO acclamantia, scande magnæ Capitolia Romæ; & spectatore non inuidò de Superis Antonio Fratre, subeat Paschasius ouans Purpuratorum Procerum Senatam, Purpureo item firmate reuerendus. Interim moduletur Chorus illud Poëticum, aut Propheticum carmen.

*Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt.*

Ad extremum, quid non felix faustumque. Aragoniæ nostræ, imò & toti Hispaniæ portendunt Gemini Fratres Cardinalitiâ dignitate conspicui. Reuocate in memoriam, quod supra attigimus, de Castore & Polluce, quos Iouis filios vno partu à Leda matre editos fabulantur Historiæ. Alter mortalis natus, immortalis alter. Hic immortalitatem cum fratre partitus est. Cui fabulæ occasionem dedit natura Stellarum, quas Geminos vocant Astrologi, quia altera occidente, altera oritur. Ideòque putabant Castora, & Pollucem translatos in cœlum Geminorum signo fecisse nomen; quos Ethnici inter Deos Apotropæos, hoc est, malorum omnium depulsores, annumerarunt. Ideò de illis Seneca: In magna tempestate apparent, quasi stellæ cœlo insidentes, adiuuarique se periclitantes existimant. Facebant fabulæ: Veros hîc Geminos Hispanum ostentat cœlum, mortalem alterum in Paschasio, in Antonio alterum immortalem, qui honorem Purpuræ vt partiretur cum charissimo Fratre, mori maluit, quàm illo non socio eiusdem honoris, diu viuere. En tibi Germanos, ac genuinos malorum Depulsores; hoc Hispaniæ

DEDICATORIA.

niæ nostræ dira bellorum tempestate iactatæ propitium signum Geminorum.

Quidni ego sub tam felici sidere natis lucubrationibus meis felicia omnia non pollicear? Iisque literario Pelago iam committendis illud sacratoribus auspiciis adprecer, quod Maroni nauem conscendèti, quo ventis vteretur secundis, bonus amicus adprecatus est.

Sic Vos Diua Potens cœlo

Sic Fratres Helena lucida sidera

Ventorumque regat Pater.

Fauebit sine dubio cœlo iam illatus Antonius, & inter cœlestia signa non postremo repositus loco. Faue & ipse, EMINENTISSIME PASCHASI; & fove quæ tua sunt duplici iure, Fraterno, & proprio. Nec solum curas has de nostra penu, sed illas etiam, quas de locupletissima Peñæ eruditione Eminentissimo Fratri dicaui, Tibi dicatas existima, & Purpuræ, & Virtutis Hæredi. Tanta enim inter vos floruit semper animorum consensio, tam reciproca bonorum communio, vt obsequium vni collatum, exhibitum vtrique censerit possit, ac debeat. Et vt grauiora in dies Eminentia Vestæ sacrare valeam, minora ne despicias. Etenim.

Scribentem iuuat ipse fauor, minuitque laborem:

Cumque suo crescens pectore feruet opus.

Ita te Superi amare pergant; & Pylias vltra metas Ecclesiæ, Imperio, Patriæ, Familiæ, Amicis, & clientibus Tuis sospitem incolumemque conseruent. Æternum VALE.



Approbatio

Approbationes Doctorum.

LEgitur Tractatum de Intrusione, Authore D. D. Didaco Antonio Frances, &c. in quo nihil intrusum reperimus, quod fidei Catholicæ aut probis moribus aduerferetur: quin potius omnia legitime concepta ac disposita. Actum Lugduni, nona Iulij 1660.

F. PAVLVS LOMBARD, Doctor facultatis Parisiensis, ac Prior Magni Conuentus & Collegij Carmelitarum Parisiensium.

F. CYRILLVS MOREL eiusd. Facult. Doctor Theologus Carmelique Lugdunensis Prior.

Approbatio Ordinarij.

Visa Approbatione Doctorum, hic Tractatus de Intrusione, Authore D. D. Didaco Antonio Frances, imprimatur, Lugduni die 13. Iulij 1660.

DENEVVILLE Vic. Generalis.

Consensus Procuratoris Regij.

Vis supradictis approbationibus, non intercedo Regis causâ, ne liber cuius in iis sit mentio, typis vulgetur à PHILIPPO BORDE, LAURENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD fociis Mercatoribus Bibliopolis huius vrbis: idipsum ceteris prohibendo. Lugduni 13. Iulij 1660.

VIDAVD.

PERMISSIO.


Fiat iuxta Conclusiones Procuratoris Regij. Datum die decimaquarta Iulij, anno 1660.

SEVE.

INDEX



INDEX
QVÆSTIONVM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

- QVÆST. I. VID sit Intrusio, quisque Intrusus. p.1
- II. Quæ sint species intrusionis, & quot modis quis dicatur intrusus. pag.2
- III. An possessor incoloratus, seu qui non habet colorem suæ intrusionis dicatur Intrusus. pag.10
- IV. Qui cepit possessionem beneficij cum sola signatura, an dicatur Intrusus. pag.13
- V. Crimen committens, depositione, seu priuatione dignum, vel vitium habens, quo beneficio priuari possit, si in eo permaneat, an sit Intrusus. pag.16
- VI. Obtinens beneficium curatum, si secundum similiter curatum sine dispensatione recipiat, an dicatur Intrusus. pag.18
- VII. Si quis obtineat, vel ei ab Ordinario prouideatur beneficium litigiosum, sitque ipsi collatum, & virtute talis collationis in illius possessionem se ingesserit, an dicatur Intrusus. pag.21
- VIII. An ingrediens propria auctoritate beneficij possessionem, cuius canonicum titulum habet, Intrusus dicatur. pag.24
- IX. Simoniacus, an dicatur Intrusus, vel qui cum titulo simoniaco beneficium possideat. pag.28
- X. Qui est in antiquissima possessione beneficij, si titulum non doceat, an dicatur Intrusus. pag.31
- XI. An Intrusus teneatur soluere Episcopo charitativum subsidium, vel decimam Papalem, &c. pag.34
- XII. Pensio si sit reservata per Pontificem super fructus alicuius beneficij, cuius pensionem retinet Intrusus, extruso legitimo & vero beneficiato habente iustum & canonicum titulum, quis teneatur illam soluere. pag.37
- XIII. Quis dicatur Intrusus in Papatu. pag.39
- XIV. Papa intrusus & spoliatus, an sit restituendus. pag.43
- XV. An Papa Intrusus censendus sit schismaticus, & vt talis deponendus. p.45
- XVI. Quæ sit pena se intrudentis in Papatu. pag.50
- XVII. Quis sit iudex Papæ Intrusi. p.52
- XVIII. Conuocatio Concilij ad quem pertineat pro decidenda causa Papæ Intrusi. pag.59
- XIX. Papa coram quo possit & debeat renunciare, vel cedere Papatu, si in eo sit intrusus. pag.63
- XX. Quis dicatur Intrusus ad effectum regulæ Cancellariæ de subrogandis collitigantibus, excipientis intrusus, & 4 intrusus,

Index Quæstionum.

- Intrusus, & disponentis non deberi subrogari. pag.65
- XXI. Intrusus, an dicatur quoad effectum regulæ de subrogandis collitigantibus, qui obtinuit possessionem vigore exequutorialium, sine intimatione vel citatione facta parti condemnare. pag.66
- XXII. Intrusus, an dicatur quoad regulam Cancellaria de subrogandis collitigantibus, qui à principio litis se in beneficio intrusit, sed illa pendente desit Intrusus esse. pag.69
- XXIII. Intrusus an dicatur in terminis regulæ de subrogandis collitigantibus, qui spiritali possessioni se ingessit, citra tamen fructuum perceptionem, & temporalem possessionem. pag.71
- XXIV. Intrusus quis dicatur ad effectum regulæ de Triennali, quæ disponit, triennalem possessorem non molestandum dummodo non se intruserit in beneficio reservato, generali reservatione in corpore iuris clausa. ibid.
- XXV. An Intrusus dicatur beneficiarius, & veniat appellatione beneficiarii ad effectum regulæ Cancellaria de concurrentibus super beneficio iuxta qualitatem, &c. ita ut duobus in illo concurrentibus, si unus sit in alio beneficio Intrusus, excludi debeat, tanquam beneficium habens. pag.73
- XXVI. Intrusus an dicatur Tyrannus. pag.75
- XXVII. Quis dicatur Intrusus toleratus, & non toleratus ad effectum, ut gesta per eum valeant, vel non. pag.77
- XXVIII. Quis dicatur Intrusus bonæ vel malæ fidei. pag.80
- XXIX. An gesta per Intrusum, qui se gerebat pro Prelato vel beneficiario, remoto à Prelatura, vel beneficio valeant & teneant. pag.83
- XXX. Alienatio facta per Intrusum, an valeat. pag.87
- XXXI. An Intrusus obligans Ecclesiam pro debitis alienis incurrat in pœnam capitis, si quorundam, de solutionibus. pag.88
- XXXII. An & quando debitores Ecclesie solventes Intruso liberentur. pag.89
- XXXIII. An Prelato agenti nomine Ecclesie opponi possit exceptio defectus tituli ex causa Intrusionis ad effectum repellendi eum ne agere valeat. pag.93
- XXXIV. An si literæ monitoriæ sub pœna excommunicationis fuerint obtenta, & publicata ad instantiam possessoris beneficii contra quemcunque tenentem, vel scientem res aut bona ad illud beneficium pertinentia, qui non reddit vel reuelat res vel fructus illius ex eo quod scit talem possessorem esse intrusum, incurrat in excommunicationem latam in ipsis literis. pag.94
- XXXV. An Intrusus acquirat Ecclesie, ita ut ex contractu nomine ipsius per eum vtiliter gesto, illo remoto possit agere versus Prelatus. pag.97
- XXXVI. An actio que competit vero Prelato, ex contractu vtiliter gesto per intrusum competat ei sine cessatione. pag.100
- XXXVII. An pactum factum cum Prelato intruso eo remoto à Prelatura prosit vel noceat vero, & legitimo. pag.102.
- XXXVIII. An iuramentum prestitum intruso transeat ad verum Prelatum. pag.103
- XXXIX. An si Papa scribat alicui tanquam Prelato, & ille sit intrusus obliget tale præceptum seu mandatum verum, & legitimum Prelatum. pag.105
- XL. An processus, & sententia lata per intrusum sit valida. pag.107
- XLI. Si Papa commisit causam alicui Prelato qui tempore impetrati rescripti erat intrusus, tempore vero receptionis erat habilis, an valeat rescriptum. pag.108

XLII.

Index Quæstionum.

- XLII. An exceptio Intrusionis obstet ordinario procedenti in causa subditorum, & quis de illa cognoscere debeat. pag.110
- XLIII. Intrusus in beneficio reservato, puta Decanatu vel alia dignitate, si fuerit reputatus pro vero Decano, existens in possessione, an possit conferre beneficia vacantia ad Decani collationem pertinentia. pag.112
- XLIV. An Intrusus conferat ordines. pag.114.
- XLV. Si quis consecratus fuerit in Episcopum ad Ecclesiam, in qua est intrusus, an recipiat habitum, & effectum consecrationis. pag.117
- XLVI. An gesta per Intrusum valeant in foro penitentiali, & sic an absolutio, seu administratio Sacramentorum facta per eum sit valida. pag.119
- XLVII. Indulgentiæ concessæ per Prelatum Intrusum an prosint. pag.123
- XLVIII. An sit obediendum Intruso in Prelatura. pag.126
- XLIX. Si unus est Intrusus in aliqua dignitate, & alius exclusus, quis ipsorum exercebit iura illius dignitatis. pag.130
- L. Intrusus in beneficio an teneatur recitare horas canonicas. pag.131
- LI. Intrusus in beneficio si eo spoliatur, & agat possessorio, recuperanda, an sit restituendus, & petenti restitutionem beneficii, an obstet exceptio Intrusionis. pag.136
- LII. Intrusus execrabilis, si spoliatur, & agat possessorio recuperanda, an sit restituendus. pag.141
- LIII. Intrusus in beneficio reservato si spoliatur an debeat restitui. pag.144
- LIV. Intrusus in beneficio, si lite pendente spoliatur, an sit restituendus. pag.147
- LV. An contra tertium Intrusum in beneficio lite pendente detur remedium attentatorum. pag.150
- LVI. Appellatio interposita per Intrusum an faciat attentatum, si contra illam aliquid fiat. pag.151
- LVII. An Intrusus possit petere reuocationem attentatorum. pag.152
- LVIII. An si intrusus restituatur, qui tamen de iure statim eiiciendus est, possit uti fructibus beneficii. pag.153
- LIX. An intrusus teneatur restituere fructus rei in qua se intrusit. pag.155
- LX. Quasi intrusus in beneficio, ut dicitur ille qui dignus est ipsius priuatione, an teneatur restituere fructus à tempore commissæ causæ, ob quam meruit priuari. pag.161
- LXI. An Intrusus, in restitutione fructuum possit computare quantitatem pensionis per eum solutæ quæ est imposita super beneficio in quo se intrusit. pag.164
- LXII. Quis agere possit contra Intrusum, ut à beneficio remoueat. pag.165
- LXIII. Si Canonicus recipiat Præbendam de manu Prelati intrusi, an postea contra eum agere possit, ut tanquam Intrusus à Prelatura remoueat. pag.172
- LXIV. Quomodo formari debeat libellus contra Intrusum. pag.174
- LXV. Intrusus conuentus super beneficio, an possit dare obiectus contra actorem, & illum excludere. pag.175
- LXVI. Intrusus an possit allegare contra actorem ius tertij, vel excipere de iure tertij. pag.179
- LXVII. An qui in beneficio allegatur Intrusus, possit se tueri & defendere ex duplici collatione, seu titulo ad excludendam Intrusionem. pag.183.
- LXVIII. Cum Intruso sonet in delictum, quod non presumitur nisi probetur,

Index Quæstionum.

- probetur, dubium oritur cui incumbat onus probandi Intrusionem, an asserenti ipsam esse commissam, vel dicenti se canonicè possidere, ad illam excludendam, ne perpetrata reperiatur. pag.187
- LXIX. Intrusio quomodo probetur. p.190
- LXX. Agenti petitorio ad beneficium, ut obtinere possit, an sufficiat probare aduersarij intrusionem, vel ex iure sua debeat illà concludere. ibid.
- LXXI. An Ordinarius possit inquirere de Intrusione contra beneficiatum, et in tali casu, cui incumbat onus probandi Canonicam institutionem, vel Intrusionem. pag.195
- LXXII. An successor in beneficio, verbi gratià, ex causa resignationis cui opponitur de Intrusione auctoris, veluti quia tempore resignationis ius non habebat, teneatur illius titulum legitimum probare, et iustificare. pag.203
- LXXIII. An exequutor datus ad tradendam alicui possessionem beneficij, Amoto quolibet Intruso, seu illicito detentore, possit procedere ad inquirendum de Intrusione, et sic cognoscere, an possessor sit legitimus vel Intrusus. p.207
- LXXIV. Ordinarius cum teneatur curare, ne beneficia possideantur per Intrusos, queritur: an si ipse sciat aliquem esse Intrusum, quem delegatus Papæ mandat in possessionem inducere, possit ei violenter resistere. pag.208
- LXXV. Ordinarius cum procedere possit ex officio contra Intrusum, si ei constiterit de Intrusione, an illum remouere valeat à beneficio, et tunc queritur ad quem pertineat collatio post remotionem factà. p.211
- LXXVI. Beneficium Intrusi si sit reseruatum, et vacet ex causa Intrusionis, illius collatio cum pertineat ad Sedem Apostolicam, dubium oritur, an tale beneficium veniat in reseruatiōe. pag.213
- LXXVII. An si Papa reseruat beneficia per verba genitivi casus, puta Petri et Pauli, an veniant beneficia, in quibus sunt Intrusi, et sic an sola possessio seu detentio debeat attendi. pag.225
- LXXVIII. An si Papa reseruauerit beneficia, quæ obtinet Titius, tunc vacauerint, seu vacare contigerit, veniant etiam beneficia, in quibus Titius est Intrusus. pag.217
- LXXIX. Cum beneficium vacans ex priuatione propter Intrusionem conferri debeat per eum, ad quem collatio pertineat, dubitari potest, an collator id efficere possit, Intruso non vocato. pag.218
- LXXX. An Patronus possit presentare ad beneficium vacans ex causa Intrusionis illudque conferre, non vocato Intruso. pag.220
- LXXXI. An Papa existente Intruso, possint Cardinales ante sententiam Concilij procedere ad electionem alterius Papæ. pag.221
- LXXXII. Impetrans beneficium Intrusi, an teneatur facere mentionem de illius possessione, seu Intrusione. p.222
- LXXXIII. An Intrusus qui per annū beneficium possedit adiuuetur regula de annali contra impetrantem. p.223
- LXXXIV. An Intrusus in beneficio reseruato uti possit exceptione regula de annali contra impetrantem. p.225
- LXXXV. An valeat sententia lata contra Intrusum, qui verè est Intrusus: licet de Intrusione non constet. p.226
- LXXXVI. An Ordinarius possit ex officio remouere Intrusum à possessione. p.227
- LXXXVII. An Intrusus sit citandus, antequàm amoueat à possessione. p.229
- LXXXVIII. An exequutoriales literæ obtentæ lite pendente contra colligantem, eo mortuo possint exequi contra tertium, qui in loco demortui se intrusit, non vocato, vel citato hoc tertio Intruso. pag.235
- LXXXIX.

Index Quæstionum.

- LXXXIX. An subditis liceat propria auctoritate expellere Intrusum à possessione. pag.237
- XC. Si Intrusus contulerit in introitu aliquid Ecclesie, an eo remoto à re iniqua se intrusit, debeat ipse restitui. pag.239
- XCI. Intrusio quomodo tollatur, et purgationem admittat. pag.240
- XCII. Intrusus cum teneatur renuntiare beneficium ad purgandam Intrusionem, an id efficere possit sine Superioris auctoritate. pag.242
- XCIII. An Intrusus permutare possit cum alio beneficium quod per Intrusionem detinet. pag.244
- XCIV. Intrusio purgatur et tollitur ex dispensatione Superioris, queritur quis sit iste Superior. pag.245
- XCIV. Si excommunicato, dum in excommunicatione perseverat, beneficium fuerit collatum: an possit ab ipso ab Episcopo dispensari, ut post absolutionem consequatur, illud obtinere valeat. pag.249
- XCVI. An si Intrusus in beneficio obtineat dispensationem, et ex ea collationem, seu prouisionem à Papa, indigeat noua possessione. pag.251
- XCVII. Si Papa nominat aliquem ut Prelatum, qui sit intrusus in tali Prelatura, an ex tali nominatione tribuat ei titulum canonicum in illa taliter quod ex eo censeatur de facto secum dispensasse. ibid.
- XCVIII. Si aliquis ad euitandam Intrusionem à Papa consequatur dispensationem ad obtinenda duo beneficia curata, et illa concessa, contraxerit matrimonium, quod post modum fuit dissolutum per mortem uxoris, dubium oritur, an denuo sine vitio Intrusionis possit obtinere duo beneficia curata, virtute illius dispensationis. pag.255
- XCIX. Si quis consequatur dispensationem, ut cum duobus personatibus ab ipso obtentis, possit et tertium recipere si in obtentis vel vno si illorum sit intrusus, an super Intrusione, vel defectu tituli censeatur cum eo quoque dispensatus. pag.258
- C. Intrusus impetrans beneficium in quo se intrusit, an teneatur facere mentionem de intrusione præcedenti. pag.261
- CI. Intrusus impetrans beneficium in quo se intrusit, an teneatur facere mentionem de fructibus malè perceptis. pag.263
- CII. Intrusus in beneficio impetrans aliud secundum, an teneatur facere mentionem de intrusione primi. pag.265
- CIII. An tolerantia, seu patientia, vel tacitus consensus Superioris det Intruso ius in beneficio taliter, quod ex eo censeatur tacite dispensatus. pag.269
- CIV. Si Filius se in Canonicum, super numerum taxatum intruserit, et alij Canonici numerati ipsum diu tolerarunt, permittendo eum participem effici de emolumentis, an per hoc Canonicoꝝ numerus factus reperiat, et ex tali tolerantia aliquod ius canonicale huic Intruso fuerit quesitum. pag.272
- CV. An diurnitas temporis seu prescriptio tribuat Intruso aliquod ius in beneficio. pag.273
- CVI. Sententia Iudicis, an det Intruso titulum seu ius in beneficio. pag.276
- CVII. Confessio partis aduersæ, an tribuat ius in Intruso. pag.278
- CVIII. Transactio seu amicabile compositio, an tribuat ius Intruso in beneficio. pag.279
- CIX. Renuncians beneficium per metum, si ex eo fuerit restitutus, an sufficiat in integrum restitutio ut possit beneficium retinere, et ex eo fructus percipere sine vitio Intrusionis, vel ut hac euitetur requiratur noua collatio. pag.281
- CX. In

Index Quaestionum.

- CX. Intrusus quid à prædone, seu violento possessore differat. pag.283
- CXI. An Papæ scribenti pro Intruso, sit obediendum. pag.285
- CXII. Intrusus cum beneficium in quo se intrusit, retinere non valeat, an illud dimittere possit, conuentione præmissa percipiendi fructus, aut de illo ad libitum dispon. ndi. p.287
- CXIII. An exequutor datus ad prouidendum alicui beneficium, possit prouidere illud in quo quis est Intrusus. pag.288
- CXIV. Visitatores dati ad visitanda monasteria exempta Monialium, an possint cognoscere de Intrusione Abbatissæ, vel ipsarum Monialium. pag.289
- CXV. Intrusus an incurrat aliquam pœnam. pag.290
- CXVI. Qua sit pœna Episcopi Intrusi, facientis se in Episcopum consecrare. pag.295
- CXVII. Qua sit pœna Superioris permittentis Intrusum permanere in beneficio, in quo se Intrusit. ibid.
- CXVIII. Qua sit pœna eligentis aliquem ad Dignitatem, vel Pralaturam cui se intruserat. pag.296
- CXIX. Pœnam Superioris ipso facto, an incurrat Intrusus obligans bona Ecclesiæ pro debitis, et obligationibus alienis, et an sit efficax talis obligatio. pag.298
- CXX. Ab Intrusione, et pœnis ipsius quomodo quis excusari possit. p.300
- CXXI. Intrusio an admittat more purgationem ad effectum euitandi pœnas contra Intrusos comminatas. pag.304



TRACTA



TRACTATUS DE INTRVSIONE.

AVTHORE

D. D. DIDACO ANTONIO
FRANCES DE VRRVTIGOITI,
OLIM CANCELLARIO, SEV IVDICE
Competentiarum Regni Aragonum, Nunc autem Episcopo
Barbastrensi, à Consiliis Catholici Regis Hispaniarum Philippi IV.

QVÆSTIO I.

Quid sit intrusio, quisque intrusus.

SVMMARIVM.

- Definitio rei declarat quid ea sit. n. 1.
- Intrusio est omnis iniusta occupatio, ex qua occupans nullum legitimum titulum habet. n. 2.
- Intrusus priuandus, et deponendus est, tanquam iniustus possessor. n. 2.
- Intrusus dicitur, qui non per canonicam electionem, vel legitimum titulum occupat rem, aut eam habet, à non habente potestatem conferendi. n. 3.
- Episcopi, Reges, Imperatores, et alij supremi Principes, intrusionem incurruni, si occupant Episcopatus, Regna, et alias res sine legitimo titulo. n. 4. Et gesta per illos sunt nulla, et inualida, etiamsi sint tolerati. n. 5.
- Tolerantia non potest sanare, quod ex sua natura est insanabile. n. 5.
- Intrusi cum non habeant canonicum titulum, fures et latrones appellantur, et ideo priuandi sunt rebus, in quibus se intrudunt. n. 6.

Tract. de Intrusione.

DIFFICILEM, & vtilem, et praxique summopere necessarium Tractatum de Intrusione, aggredimur explanandum, in quo varias quaestiones, et quidquid ad verum intellectum, & enodationem materiae iudicauerimus conducibile, conabimur ex paruis nostris viribus non omittere: quapropter vt opere impleamus, ante omnia sciendum est, quid sit Intrusio, quisque vere, & proprie Intrusus dicatur; nam vt docet Aristor. lib. 2. de demonstr. c. 10. top. 9. Difficile est, ex hoc definitionum genere naturam rei assequi quam sit necne ignores, &c. c. 14. top. 18. omnis propemodum cognitionis initium, est definitio; &c. & ideo prius vtrumque explanandum est.

Primò igitur notandum est, verbum, *Intrudo*, iuxta propriam significationem idem importare, quod *introcludo*, quasi ex quadam vi, vt ex Cicerone in oratione pro A. Cecinna, col. 5. testatur Mandos. ad regul. 29. Cancell. de subrogandis colligantibus. q. 4. n. 1.

Vnde Intrusio erit, omnis iniusta occupatio, ex qua occupans nullum legitimum titulum habet, & ideo tanquam iniustus possessor priuandus, & deponendus est, vt probatur in cap. quia diuersitatem, de concessione præbendæ, & tradit Camillus Borrellus

A in

in summ. omnium decisionum, tit. 20. n. 85.
& parebit ex infra dicendis.

3 Ex quo sequitur, illum dici intrusum, qui non per canonicam electionem, vel legitimum aut canonicum, seu iuridicum titulum occupat honores, officia, vel beneficia Ecclesiastica, & his similia, aut ea habet, à non habente potestatem conferendi, *cap. cum venissent, de in integrum restitutione, cap. ex frequentibus, de institutionibus, cap. eum qui, de prabend. in sexto, cap. ad aures, de excessibus Prelatorum, & tradunt Felinus in cap. in nostra, secunda colum. vers. quot modis, de rescriptis, Mascard. de probat. conclus. 936. Spino in speculo testament. gloss. 4. principali. num. 91. vers. quo fit, Azor. tom. 2. inst. moral. lib. 7. cap. 35. quest. 10. Loter. de re benefic. par. 1. lib. 2. q. 20. num. 82. & communiter Doctores, censuitque Rota in Aprutina beneficij 11. Martij 1611. coram D. Lugdunen. & habetur in posthum. Farin. tom. 1. decis. 336. num. 4. in fine.*

Quod quidem pluribus modis accidere potest, ut post Rebuff. & alios explicant Azor. *vbi proximè, Flamin. Paris. de resignationibus benefic. lib. 7. q. 1. à num. 108. usque ad 116. latè Riccius in praxi aurea, & quotidiana, resol. 224. tit. Intrusus quibus modis dicatur, vbi enumerat duodecim casus, in quibus intrusio locum habet, de quibus in quæstionibus infra disputandis differemus plura ad materiam conducentia, & ideo in præsentia non immoramur.*

4 Et prædicta locum habent etiam in Episcopis: hi namque, si ingressi non fuerint in Episcopatum pro ut iura requirunt, sed cum titulo illegitimo, & non canonico: tunc tales Episcopi intrusi dicentur, & gesta per ipsos nullius erunt valoris, nec executionem habebunt, ut patet ex textu *in cap. nulla, 62. distinct. Quod extendit etiam ad Reges, Imperatores, & alios supremos Principes, qui per vim, & sine iusto & legitimo titulo, & contra iustitiam occupant terras alienas.*

5 Et sciendum est, quod gesta per tales intrusos sunt nulla, & inualida, quantumcunque dicantur tolerati. Et ratio est, quia cum habeant ingressum vitiosum, intrinsicè inharens in ipso exercitio, non potest sanare tolerantia, quod ex sui natura est insanabile, ut notant Innocentius *in cap. qualiter, & quando, de accusationibus. Archidiaconus in cap. Alienationes, 12. q. 2. Abbas in d. cap. cum venissent, & patet ex textu in cap. si quis Episcopus, vbi Gloss. verbo, desideret, 92. distinct. Et fundatur in eo, quia*

cum intrusi canonicum, & legitimum titulum non habeant, fures & raptores appellantur, *in cap. dandum, et secundo, & in ordine. 54. de elect. optimè Loterius de re benefic. lib. 3. quest. 23. num. 12. & copiosè de hoc articulo agemus infra, q. 29.*

Et exinde est, omnem intrusum priuatum remanere beneficio, aut dignitate, seu alia quacunque re, in qua intrusus existit, ut patet ex textu *in cap. eum qui, de prabend. in 6. & pluribus relatis tradunt Gonzales ad regul. 8. gloss. 15. num. 58. & gloss. 57. num. 46. Barb. in collect. ad d. cap. eum qui, num. 3. Et quia in quæstionibus infra discutendis, omnia conducentia ad materiam differemus; ideo in præsentia non immoramur, cum fat sit pro maiori, scire, quid sit intrusio, quique intrusus dicatur.*

Q V Æ S T I O II.

Quæ sint species intrusionis, & quot modis quis dicatur intrusus.

S V M M A R I V M.

Intrusus pluribus ex causis, & modis dici, & esse potest; videlicet si propria auctoritate, & absque legitima vel canonica confirmatione obtinet beneficium, vel aliam quamcunque rem. n. 4.

Qui retinet beneficium, vel aliam rem de qua fuit priuatus, vel depositus per sententiam, qua transiit in rem iudicatam. n. 5. & 31.

Retinere beneficium quo quis canonicè fuit priuatus, & in eo se intrudere, paria sunt. num. 6.

Priuatus per sententiam, vel ex dispositione iuris dicitur intrusus, si retineat rem, qua fuit priuatus. n. 7.

Priuatio rei, de iure non incurritur, si in eo expressè non sit dispositum. n. 7.

Priuatus ex dispositione iuris, vel per sententiam de aliqua re, si in ea remaneat, dicitur & est incoloratus possessor, etiamsi amotio non sit sequuta, & ideo erit intrusus. n. 8.

Accusatus pro delicto, depositione, vel priuatione digno, non erit intrusus, si in beneficio remaneat, antequam per sententiam priuatus declaretur. n. 9. & 10.

Accusatus de delicto, ex quo veniat priuandus beneficio, si istud probetur, potest lite pendente ante sententiam ipsum renunciare, vel resignare, aut permutare, etiam reseruatâ pensione. n. 10.

Intrusus

Intrusus dicitur, qui post electionem & ante confirmationem administrat. n. 11.

Quod extendit ad electum in Episcopatum, vel ad præsentatum per Patronum, etiam ad beneficia simplicia. n. 12. & seq.

Dispositio penalis restringi, & limitari debet. n. 15.

Intrusus dicitur, qui titulum, & possessionem beneficij obtinet à non habente potestatem conferendi actu, vel habitu, etiam si sit ex aliquo accidenti. n. 16.

Conferens beneficium sine potestate conferendi, quia ad alium pertinet collatio, exercet actum, ex quo faciat intrusum illum cui contulit. n. 17.

Beneficiū Sedi Apostolicæ reseruatū si aliquis ab Ordinario obtineat, erit intrusus. n. 18.

Ordinarius, aut alter inferior non potest conferre beneficium, Sedi Apostolicæ reseruatū, quia id tantum pertinet ad Papam, num. 18.

Prouisus ab Ordinario de beneficio vacante in Curia, si illud retinet, est intrusus. num. 19.

Decretum irritans, appositum in aliqua dispositione, irritat, & annullat quidquid opponitur dispositioni, supra quam cadit. n. 20. & 21.

Papa si mandat exspoliari intrusos in beneficiis, sub tali mandato comprehenduntur qui permutarunt beneficia Sedi Apostolicæ reseruatâ: Quod intellige, reseruatione duratæ, & non ultra. n. 21.

Permutantes beneficia acquirunt ea ex auctoritate Superioris admittentis permutationem, & ideo valor pendet à potestate ipsius. n. 22.

Reseruationes generales beneficiorum, in corpore iuris clausæ, an sint plures, vel unica. n. 23.

Intrusus dicitur obtinens ab Ordinario beneficium, reseruatū per Legatum à latere, num. 24.

Reseruare potest beneficia de iure antiquo Legatus à latere: sed quid procedat ex dispositione Tridentini? n. 24.

Ordinarius non potest conferre beneficium eius qui obiit prope Curiam Romanam, per duas dietas, vel Curialium, qui extra illam exierunt causa recreationis, vel infirmitatis: & si illa conferat, erit intrusus talis prouisus, quia illorum beneficia sunt reseruatâ. n. 25.

Intrusus dicitur prouisus ab Ordinario de beneficio vacante in Curia ex resignatione nondum effectuatâ, etiam si fiat per procuratorem, quia tale beneficium est reseruatū. n. 26.

Beneficium litigiosum est reseruatū, & ideo
Tract. de Intrusione.

si ab Ordinario provideatur, erit intrusus cui fuerit facta collatio. n. 27.

Obtinens beneficij collationem, & institutionem ab Ordinario excommunicato, suspensio, vel interdicto, non habet titulum legitimum, & exinde si in eo se ingerat, erit intrusus. n. 28.

Ordinarius si sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus, non potest conferre beneficia, quod habet locum, ut nec etiam id efficere possit per Vicarium non excommunicatum, suspensum, vel interdictum, & ideo erit intrusus qui ab illo habuit collationem, & in eis administrat. n. 29.

Obtinens beneficium, alteri iniuste ablatum, est intrusus. n. 30.

Ingressus in beneficij possessionem propria auctoritate est intrusus. n. 31.

Intrusus dicitur, qui adipiscitur beneficij possessionem ex sola signatura, & litteris non expeditis. n. 33.

Vel si illud obtinuit per simoniam, ab eo qui habebat potestatem conferendi. n. 34.

Aut si ante acceptam collationem administrat, vel capit beneficij possessionem. n. 35.

Sen si faciat se institui de beneficio viuentis. n. 36.

Aut si resignat beneficium, & post sequentem resignationem adhuc in eo remaneat, & administrat. n. 37.

Vel si ante legitimam etatem prouisus est de beneficio curato, illudque administrat sine legitima dispensatione. n. 38.

Et tandem quisquis non habuerit canonicum & legitimum titulum ex vi sue institutionis. n. 39. & 40.



ARIAS species Intrusionis, & multis modis eam committi posse tradunt Doctores: nam Dominic. Gemin. *in c. propter, colum. vltima, 19. Distinct.* quinque modos constituit, quibus quis intrusus iudicari debet, quem sequitur Card. Alex. *n. 4. vers. super secundo. Mareler. in tract. electionum, quest. 17. Ludou. Gomezius ad regul. de triennali possessore, quæstione 47. fol. mihi 226. in princ. Mandol. tom. 2. in regul. 29. de subrogand. colligant. quest. 4.*

Felinus verò *in cap. veniens, num. 2. in secundo notab. de accusationibus, & in cap. in nostra, coroll. 2. num. 11. & 12. de rescript.* præter prædictos quinque, tres alios addit, eosque approbat Ioan. de Selua, *in tract. de benef. p. 3. q. 10. & 11. & eis relatis Rebuff. in praxi, p. 2. ad dictam regulam de subrog. colligant. glos. 4. à num. 4. usque ad 25. Sed Ludouic. Gomezius in d. q. 47. non assentit*
A 4 opinionem

opinionem Felini, & ei magis placet diuifio Geminiani.

3 Zerola in praxi Episcoporum p. 1. verb. *Intrusus*, resumendo prædictos modos intrusionis à Felino traditos, alios refert, & secundum eum quatuordecim esse probat, quos quidem eadem prorsus forma, & ordine, licet magis extensiuè, sed non citato Zerola in dicto verbo, *Intrusus*, transcribit Riccius in praxi aurea, & quotidiana, resol. 224. sub tit. *Intrusus quibus modis dicatur, ferè per totam.*

Sed cum nos Tractatum specialem Intrusionis suscipiamus, ideo latiùs quæstiones inuestigare debemus; & ideo specificè agemus non solum de prædictis quinque modis adductis à Geminiano, qui magis Gomezio placent, in d. q. 47. in princip. & magistralem diuisionem appellat Mandosius in d. q. 4. n. 2. sed etiam de cæteris ordine infra scripto.

4 Primo igitur modo dicitur quis Intrusus, si non de licentia Superioris, sed propria, aut illegitimæ Potestatis auctoritate, & absque vlla confirmatione canonica obtinet beneficium; vel in rebus profanis violenter, & sine titulo legitimo, vel saltem minùs colorato occupat Regna, terras, aut his similia, Glof. in cap. bone, el primero, in verbo, *Metuebant, ad finem, de electione, & in cap. nisi cum pridem, 10. §. propter conscientiam, verbo, dumtaxat, de renuntiatione, & probatur ex cap. ad aures, de excessibus Prælatorum, vbi Prælatum habens collationem beneficij, si illud vacauerit, sibi que retinuerit, vel contrulerit, dicitur intrusus, in eo, quia ingreditur sine auctoritate Superioris, cum non possit illud sibi conferre, sed debet alium instituire, vt inter dantem, & recipientem sit differentia, cap. ultimo, de institutione, & pluribus relatis tradit Barb. in Pastor. Par. 3. alleg. 72. n. 85. & sequent. in vltima impressione, idemque probatur ex cap. quia diuersitatem, §. mandamus, de concessione præbende, vbi Barb. in eius collect. n. 4. allegat Borrell. in summa omnium decis. tit. 20. n. 85.*

5 Et prædictum modum intrusionis admittunt Abbas in d. cap. ad aures in primo notabili, per eum textum, & in cap. cum iam dudum, n. 4. de præbendis, vbi probat, quod Intrusus dicitur ille, qui titulo legitimo non præcedente ingerit se in administrationem, etiam si electio præcessisset: quod quidem notandum commendat, idemque scribit Præpositus in cap. propter, 19. distinctione, vbi allegat textum in cap. alienationes, 12. q. 5. & in d. cap. cum pridem, quibus iunge Nicol. Milis in suo repert. verbo In-

trusus dicitur ille, Felin. in cap. in nostra, in 2. coroll. vers. & adde quod ille dicitur intrusus, Calder. cons. 7. & cons. 13. tit. de verb. signific. Ludou. Gomez. ad dictam regul. de trienniali, q. 47. n. 2. Zerolam in praxi p. 1. verbo, *Intrusus, n. 2.* Riccium in d. resol. 224. in princ.

Secundo dicitur Intrusus, is contra quem lata est sententia depositionis, vel priuationis, à qua non appellauit, vel tranfuit in rem iudicatam, ex qua priuatus beneficium adhuc illud retinet; quæ conclusio probari videtur ex cap. 1. §. nec obstaret, vers. adiciebatur in super, de concessione præbende in 6. & tradunt Innocentius in cap. qualiter, el segundo, n. 10. vers. item nota quod sententia lata, de accusatione. Dominic. in cap. propter, 19. Distinctione, & ibi Præpositus, n. 4. Felin. in cap. in nostra, in secundo Coroll. in fine, vers. & adde quod retinens; de rescriptis, & in cap. veniens, sub n. 2. de accusat. Baldus in l. nihil, ff. de manumiss. vindic. Ludouic. Gomez. in dict. q. 47. n. 2. vers. secundo dicitur, Milis in repert. verbo, *Intrusus videtur*; Glossa in pragmatica sanctione, tit. de pacificis possessoribus, verbo, *violentus, post medium, vers. idem si priuatus fuit titulo*; Dicens, quod intrudere se in beneficium, & retinere illud, quod fuit canonicè priuatus, paria sunt: per textum in cap. cum dilectis, 15. de purgatione canonica, idem tenent Zerola in d. verb. *Intrusus, vers. tertio qui est depositus, & Riccius in dicta resol. 224. n. 1. vers. quinto, qui committit delictum depositione &c. & faciunt quæ tradit Gratianus 10. 1. discept. forens. cap. 227. n. 27. Lotter. de re benef. p. 1. lib. 2. q. 20. n. 83.*

Quam conclusionem extende etiam, vt locum habeat, non solum in eo qui beneficio priuatus est per sententiam hominis; verum & etiam in eo, qui per dispositionem iuris, scilicet ipso iure: is namque si retineat beneficium, vel in eo se ingerat, & administret, intrusus dicitur: ita tenet Felinus post Bartho. Brixien. in dict. cap. in nostra, in secundo coroll. num. 12. post medium, Rebuff. in praxi ad dictam regulam de subrog. colligant. numer. 13. & 14. vers. sexto, dicunt illum, ad finem. Et ex hac ampliacione plures intrusi numerari possent: nam varij sunt casus, in quibus ipso iure priuatur aliquis, quos referre laboriosum potius esset, quam subtile; plures tamen congerit Rebuff. in praxi, p. 3. tit. 1. de modis amittendi beneficia, & in tractatu de pacificis possessoribus, in 4. limit. in fine. Hæc tamen priuatio à iure cum sit pœnalis, nunquam incurritur, nisi in illo sit expressa, vt dixit Dominicus in cap. 1. colum. vltima, 18. distinct. quem sequitur Felinus

in

in cap. inquisitionis, colum. 2. circa medium, de accusat.

8 Ratio autem prædictorum ea est, nam talis depositus, vel priuatus beneficio, siue per sententiam hominis, vel ipso iure, si illud administret, dicitur incoloratus possessor, etiam si non sit sequura amorio, vt per Felinum in d. cap. in nostra, n. 33. coroll. 36. in principio. Lopus allegat. 16. vbi additio Quintiliani Mandosij ibidem latissimè plura congerit ad intentum, & Marianus Socin. in repet. ad titulum de causa possess. & proprietatis, tract. 6. art. 9. & tradunt communiter Doctores in cap. in nostris, de concessione præbende, vbi in eius collectanea longa manu declarat Barb. prædictum articulum; sed incoloratus possessor dicitur ille, qui est intrusus, vt testatur Felinus in d. coroll. 36. & patet ex tex. in d. cap. ad aures, de excessibus Prælat. & ex cap. eum, de præbend. in 6. & dicemus infra q. sequenti, ergo bene sequitur, quod priuatus per sententiam hominis, vel ex iuris dispositione, dicitur intrusus, si in beneficio permaneat.

9 Nota tamen circa prædicta, quod tunc in dictis casibus erit intrusus retinens beneficium, si sequuta fuerit sententia declaratoria priuationis, tam ab homine, quam ab ipso iure, secus tamen si sententia non fuerit subsequuta, ita in specie patet ex textu in cap. cum secundum leges, 19. §. confiscationis tamen, de hæreticis in 6. & tradunt Couarru. de sponsalibus, & matrimonio, p. 2. cap. 6. §. 8. n. 8. circa medium, & alij plures penes nostros doctissimos Aragonenses, Cenedo in collect. ad decretum, collect. 2. num. 3. & eruditissimum Peñam in direct. Inquisitor. p. 3. comment. 158. quibus iunge Santarel. de hæresi, cap. 21. dub. 1. n. 4. Sayrù in clau. Regia, lib. 3. cap. 9. n. 30. Less. de Iustit. & Iure, lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64. & late disputat Barb. in past. p. 3. allegat. 57. n. 37. & 38. qui videtur tenere hanc sententiam; nam cum ea concludit, quam veriore iudico, vt dixi cum Escobar à Corro, Sanchez, & Tonduti Sanlegerio in meo Pastoralis interno, p. 1. tract. 4. quest. 5. num. 7.

10 Et probatur ex sequenti consideratione: nam si quis accusatus fuerit de delicto, ex quo si probetur, priuandus veniat beneficium, potest lite pendente ante sententiam, illud renuntiare, & resignare: optime Gutierrez lib. 3. pract. cap. 30. n. 42. Flamin. Paris de resignat. benef. lib. 3. q. 16. n. 11. etiam reseruata pensione; & quod magis est permittitur: vt pluries declarauit Rota in Conchen. Archiepiscopatus De-

Tract. de Intrusione.

buendia 23. Martij 1607. & 10. Nouemb. 1608. coram Peña, & habentur in meis recoll. ipsius, tom. 2. decis. 1288. n. 3. & decis. 1388. & aliis relatis late docet Garcia de benef. 11. p. cap. 3. à n. 62. cum plurib. sequent. (quem ad intentum videbis, nam complectitur omnes prædictos casus) ergo dum administret & percipit fructus beneficij ante illius sententiam priuationem ab homine, vel ante declarationem incurfionis pœnæ priuationis à iure imposita non erit intrusus, & ideo in hoc articulo concludendum est, in omnem euentum requiri sententiam, vt talis beneficiarius pro intruso habeatur, si retinet & administret beneficium in dictis casibus.

Tertio dicitur intrusus, qui post electionem, & ante confirmationem administret, vt expresse deciditur in cap. Auaritia. 5. de electione in 6. & late probant, alios referentes, Loterius de re benef. p. 1. lib. 2. quest. 13. num. 1. & seq. Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. num. 214. & de vniuerso iure Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 249. quibus iunge Zerolam in dicto verbo, *Intrusus, vers. 4. qui est electus &c.* Riccium in praxi Aurea, in dict. resol. 224. num. 1. vers. quarto, Gomez. in dicta regula de trienniali, quest. 47. num. 2. vers. tertio dicitur quicumque, Duran. decis. 137. num. 15. & sequent.

Quod extende etiam ad electum in 12 Episcopatum; nam si eius bona administruerit, antequam à Superiore confirmetur, intrusionem incurret, vt patet ex dicto cap. Auaritia, quod quidem cum indistincte loquatur de omnibus Dignitatibus, comprehendit etiam Episcopales, vt cum Ioanne Andrea probat ibidem Dominicus sub num. 4. vers. *quæro an iste textus.*

Secundo extende ad præsentatum per patronum, tam laicum, quam Clericum; nam ante institutionem non potest administrire, & si effecerit, incurret in pœnam dicti capit. Auaritia, vt probat Lopus allegat. 8. n. 4. & ibidem Mandosius in additione, verbo, *Auaritia*, alios allegat idem tenentes.

Extende tertio, vt idem sit dicendum in 14 præsentato ad beneficia simplicia, is namque si administret ante institutionem, efficitur intrusus, ex traditis à Lambert. in tract. de iure patron. 2. p. 2. lib. 5. q. princip. art. 11. n. 7. & cum Archidiacon. idem tenet Lotter. in d. q. 13. n. 4. vbi allegat Marefcot. var. resol. lib. 2. cap. 35. ex n. 45. qui citat alios ad propositum.

Hic autem modus intrusionis quoad

A 3 incur

incurfionem pœnæ statutæ in d. cap. *Auaritia*, multipliciter limitatur, vt tradunt Gigas in *Epitome de intruso*, num. 25. cum seq. & Lotter. de re beneficiâ, in d. q. 13. n. 5. vsque ad 18. & Barb. de vniuerso iure Ecclesiastico in d. cap. 19. n. 247. & 248. quia cum sit pœnalis, vt ait Massobrinus in *praxi habendi concursus*, requisito. 1. dub. 27. n. 15. & reg. 9. dub. 1. n. 15. ideo in pluribus casibus limitari debet, vt videre poteris penes Lotter. & Gigant. vbi proximè.

16 Quarto modo iudicatur intrusus ille, qui titulum, & possessionem obtinet à non habente potestatem conferendi, vt cum Rebuffo tradit Zerola, in dicto verbo, *Intrusus* vers. *Nono qui habet titulum*, &c. & aliis relatis probat Riccius in d. resol. 224. n. 2. vers. *Octauo, qui habet titulum*, & Gigas in *Epitom. de intruso*. n. 86. vers. & dum Gomez: quod quidem dupliciter intelligi potest. Primo quando is qui confert beneficium, non habet potestatem conferendi illud. Secundo, quando Ordinarius collator confert beneficium alicui actû, quod tamen ipsi ob defectum alicuius qualitatatis conferre non poterat; vel etiam quando conferendi facultatem non habebat ex aliquo defectu, causato in persona ipsius collatoris.

17 Circa primum erit exemplum, quando conferens carebat tali autoritate, ex eo quod beneficij collatio ad alium spectabat: v. g. si Episcopus Barbastrenf. conferret beneficium pertinens, non ad suam, sed ad Episcopi Oscen. collationem, vt deciditur in cap. *quia diuersitatem*, vbi Abbas n. 2. de concessione prebendæ. ibi, *præter eius autoritatem se intruserunt in ipsas*, &c. Aut si Capitulum Sede vacante conferat beneficium ad Episcopi collationem spectans, contra textum in cap. *illa* 2. *Ne sede vacante*, de quo late agunt Garcia de beneficijs, 5. p. cap. 7. num. 51. & seq. Gonzalez ad regulam octauam §. 4. proem. num. 35. & Glossa 9. §. 1. num. 77. Paris. de potestate Cap. *Sede vacante*, p. 2. princip. q. 1. & alij plures. Vel si Vicarius Generalis conferat, cum ad id ab Episcopo non habeat facultatem, cap. *finali, de officio Vicarij*, in 6. & tradunt Gonzalez in d. §. 4. proem. n. 34. Paris. de resig. benefic. lib. 7. q. 21. n. 9. & q. 24. n. 4. & 52. & lib. 9. q. 7. n. 32. in quo Doctores communiter conueniunt. In his igitur casibus obtinens beneficium, illudque retinens, intrusionem incurret, nam consequitur beneficium à non habente facultatem, & exinde titulo legitimo caret, vt probant Riccius & Zerola vbi supra.

Circa secundum dupliciter intelligi potest; Primò quando is qui alias est ordinarius collator beneficij, non valet illud conferre ex aliqua qualitate, veluti si sit conferendum Doctori, aut consanguineo, vel oriundo ex aliqua ciuitate, vel his similibus; quia si conferat non habenti talem qualitatem, tunc prouisus titulum legitimum non consequitur. Secundo intelligi potest, quando talis collator non potest seingere ad collationem faciendam ex aliquo defectu, causato in ipsius persona. De primo præter prædicta exempla probari etiam potest in Ordinario cõferente beneficium Sedi Apostolicæ referuatum, nam talis obtinens, dicitur intrusus; existente enim referuatione nullus inferior præter Papam conferre potest, nam eius collatio specialiter ad Pontificem pertinet, vt expressè deciditur in c. 2. de preben. Gloss. in *Clement. si de beneficio*, verbo, *sive ad nos, eodem titulo*, Garcia de Benef. in d. 5. p. cap. 1. n. 68. cum seq. & alij plures penes Barbof. in part. p. 3. alleg. 57. n. 22. & seq. vbi late agit de hoc articulo, diffusè Lotterius de re benefic. p. 1. lib. 2. q. 27. à n. 14. cum seq. & ambo plures allegant.

Vnde si Ordinarius prouideat beneficium, quod vacauit in Curia, & talis prouisus illud administret, & possideat, erit intrusus, quia titulum coloratum non habet, vt notauit Valascus const. 79. n. 7. & seq. Lotterius vbi supra in d. lib. 2. q. 26. num. 7. nam in dicto cap. 2. de preben. in 6. in fine, additum fuit Decretum irritans, cuius natura est annullare, irritare, & incolorare quidquid apponitur dispositioni, supra quam cadit, vt per Lotterium in dicta parte prima, d. lib. 2. q. 14. n. 99. & cum pluribus probauit in meo pastorali interno p. 1. tract. 4. q. 2. n. 10. & 11. An autem sit differentia quoad referuationem, si beneficium vacet in Curia, vel in Sede, & in quo differant, tradunt Garcia de beneficijs 5. p. cap. 1. n. 387. & Lotterius in d. lib. 2. q. 27. à n. 4. cum pluribus seqq. vbi videre poteris, cum ad nostrum institutum non pertineat talis indagatio.

Ex quibus notabiliter aduertendum est, quod si Papa mandat spoliari intrusos in beneficijs, sub tali mandato comprehenduntur illi, qui permutarunt beneficia, Sedi Apostolicæ referuata, referuatione durante: Et ratio est, quia (vt diximus) inferior Papâ non potest quoquo modo conferre beneficia, ab ipso referuata, vt per Calderinum cons. 13. de verb. signific. & patet ex d. cap. 2. de preben. in 6. vbi communiter tradunt Doctores; & cum in permutatione

22 tatione requiratur renunciatio, & collatio, cap. 1. de rerum permutatione in 6. Paris. de resig. tom. 2. lib. 1. q. 5. n. 19. & 20. & lib. 2. q. 5. n. 19. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 30. q. 10. & permutantes acquirant beneficia auctoritate Ordinarij, admittentis permutationem, qui ea conferre non potuit; consequenter sequitur, vt sine dubio intrusi dicantur: quod perpetuo notandum dixit Felinus in d. cap. in nostra, corol. 2. vers. *ex hoc concludit*.

23 Insuper aduertendum est, hanc intrusionem, non solum incurri in beneficijs generaliter & specialiter referuatis, vt in d. cap. 2. sed & etiam in alia quacumque referuatione, in corpore iuris clausa: de cuius materia, & de intellectu illius textus in d. cap. 2. late agit Lotter. in d. lib. 2. q. 27. licet enim Glossa in regul. 38. *Cancellaria*, dixerit, vnicam tantum esse referuationem generalem, illam videlicet, de qua in dict. cap. 2. de preben. in 6. Milis tamen in suo repertorio, verbo, *referuatio*, §. *finali*, in fine, plures esse defendit, eumque sequitur Gigas in *Epitome de intruso*, n. 83. vers. *quæro an vnica*, dicens, hanc opinionem aperte probari per text. *regulæ Cancellariæ* 33. de triennali possessione: nam ibi dicitur, *ex aliqua referuatione generali, in corpore iuris clausa*, &c. Ex quibus verbis colligitur, non vnicam tantum, sed plures reperiri. Et quamuis Glossator ad dictam regulam 33. in publicatis per sanctæ memoriæ Innocentium VIII. penes Ludouicum Gomezium pag. 21. in impressis Venetijs de anno 1546. §. *item in quantum hic dicitur pacifice*, vers. *in quantum hic dicitur ex aliqua referuatione generali*, &c. defendat vnicam tantum esse referuationem generalem, in corpore iuris clausam, & voluerit prædicta verba Regulæ, esse apposita ex errore Abbreviatorum, & ex eo omnes successores eundem styllum sequuti fuerunt, vt refert Glossator dicens ita factum ex Nicolao de Castello Abbreviatore illorum temporum: Mihi tamen difficile videtur, eam non sit credibile, per tot curricula temporum, errorem tantum non fuisse sanandum, cum omnes sequentes Abbreviatores vsque nunc, eisdem fere verbis dictam Regulam 33. pronuntiauerint, & publicauerint: Quapropter nulla datur euasio prædictis verbis, ex quibus clare constat, plures dari referuationes generales, in corpore iuris clausas, hancque sententiam verissimam iudico cum Milis, & Gigante vbi supra, quibus arridet Aneas de Falc. in tract. de referuationibus in 2. p. principali. n. 12. & alij relati per Ludouic. Gomez. ad

regulam de triennali possess. ex publicatis à Clemente VII. q. 31. vers. Secundus igitur articulus, vbi enumerat septem alias referuationes, in corpore iuris clausas, præter illas quas alij declararunt, vbi videre poteris, ne longius in hoc diuertamur: quamuis aliàs ad multa sit vtile, & necessarium, videlicet ad facultates Legatorum, quibus attribuitur potestas prouidendi beneficia quomodolibet referuata, exceptis illis, quæ sunt affecta referuatione, in corpore iuris clausa, quæ quidem non vnica, sed plures sunt: & ideo verba dictæ Regulæ 33. non per errorem, vt dixit Glossator, sed cordatè sunt apposita.

Hæc autem procedunt, etiam in obtinente ab Ordinario beneficium referuatum per Legatum à latere: quia si ab Ordinario illud consequatur, & retineat, dicitur intrusus, cum talis Legatus facere possit beneficiorum referuationem, cap. *dilectus* 6. de officio Legati, cap. *cum dilectus* 28. de iure patron. cap. *presenti* 3. cap. de liberatione 4. de officio Legati in 6. & tradunt Garcia de benef. 5. par. cap. 1. ex n. 35. & seq. & alij plures relati per Barbof. de vniuerso iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 5. n. 54. cum pluribus seq. vbi late agit de hoc articulo. Aduertendum tamen est cum eodem Barb. in collect. ad dict. cap. *cum dilectus* 28. n. 2. in fine, ante versiculum, *Amplia primo textum*; quod hodie ex decreto Concilij Tridentini prohibita sunt hæ referuationes, etiam si fiant per Legatos de latere.

Secundum exemplum erit in Ordinario conferente beneficium eius, qui obiit prope Curiam Romanam per duas dietas, vel si vacet per obitum Curialis, qui ex causa recreationis, vel infirmitatis se contulit ad locum Curia vicinum, etiam per duas dietas legales, animo Romam redeundi: nam in vtroque casu prouisus ab Ordinario erit intrusus, cum talia beneficia dicantur vacare in Curia, vel apud Sedem, & consequenter sunt referuata, vt expressè deciditur in cap. *Presenti* 34. de preben. & dignit. Gonzalez ad Regulam 8. glos. 43. n. 45. & sequent. Garcia in d. 5. p. cap. 1. n. 70. Viuia in *praxi iuris patron. lib. 4. cap. 1. n. 13. in ultima impressione, Roma, de anno 1628.* & alij penes Barb. in collect. ad d. cap. *presenti*, n. 3. & sequent. vbi allegat varias Rotæ Decisiones, & late disputat, qui dicantur Curiales ad effectum huius referuationis, & in collect. ad cap. *licet Ecclesiam, eodem tit. in 6. n. 17.* Gloss. in *Clement. 1. vt lite pendente, in formatione casus, vers. colligo aliqua circa medium*, & de hoc aliqua dicemus infra in quæstione sequenti, n. 9.

- 26 Tertium exemplum erit in Ordinario, conferente beneficium resignatum in Curia, quia illud obtinens, dicitur intrusus; licet enim non dicatur vacare propriè apud Sedem; vacat tamen in Curia, etiam si renuntians in ea non sit præsens, sed quod resignatio per procuratorem fiat, ut per Gloss. in clementina 1. verb. collatio, vers. non placet hoc dictum, &c. ut lite pendente, Couarr. in pract. quest. cap. 36. n. 4. ad finem, vers. vacant autem in Curia, Paris. de resignationibus, lib. 9. q. 14. n. 1. & alij plures relati per Gonzalez ad Regul. 8. glos. 13. n. 42. & sequent. licet enim talis referuatio non sit in corpore iuris clausa, tamen inducit impotentiam, ne Ordinarius possit talia beneficia conferre, nam semper remanent Papæ referuata, ut aduertit Gomezus ad dictam Regulam de triennali possessore, §. & ideo pro clariori, vers. & eodem modo beneficia resignata &c. unde qui taliter ab Ordinario obtinuerit collationem, erit intrusus, quia caret titulo colorato.
- 27 Quartum exemplum afferri potest in Ordinario conferente beneficium litigiosum, quia talis ab eo prouisus, erit intrusus, ut expresse deciditur in cap. si hi contra quos, ut lite pendente, in 6. & pluribus relatis probat Gonzalez ad Regul. 8. glos. 6. n. 146. quibus iunge Paris. de resignat. lib. 2. q. 3. n. 103. ubi alios allegat; & licet talia beneficia litigiosa non dicantur affecta, neque referuata; attamen cum per eum textum prohibeantur Ordinarij, ne illa conferant, & hoc cum Decreto irritante, ibi, quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur &c. Sequitur inficere quoque titulum & possessionem, ut diximus supra, n. 20. & tradit Gonzalez glos. ultima n. 37. cum sequenti. Et nota incurrere hanc intrusionem non solum obtinentem ab Ordinario beneficium litigiosum in Curia Romana, sed etiam si sit litigiosum extra Curiam, quia nec tunc potest Ordinarius conferre, ut latius dicemus infra q. 7. ubi plura notatu digna ad intellectum dicti cap. si hi contra quos, in medium proponemus, & vide questionem sequentem, num. 10.
- 28 Quoad secundum de quo supra, n. 16. scilicet quando Ordinarius non habet actu facultatem conferendi ex aliquo defectu, qui in eius persona accidit, vel antecederet superuenerat, exemplificari potest in eo, qui est excommunicatus, interdictus, vel suspensus; nam ab eo obtinens beneficium erit intrusus, ut patet ex textu in cap. finali, §. quia vero, ibi, Præbendas & dignitates intrusetur &c. de excessibus Prælatorum, & tra-

dunt ibidem communiter Doctores, Milis in repertorio, verbo, Intrusus dicitur quicumque, Gomez ad dictam Regulam de triennali, in d. q. 47. vers. quarto dicitur &c. Decius consil. 121. In causa venerabilis. n. 4. Rota decif. 410. Nota quod intrusus, in antiquis, ubi allegat Innocentium in cap. nihil, in Glossa magna, circa medium, de electione, & ibidem Compotel. in Glos. pone, &c. Mascardus de probationibus, concl. 937. n. 20.

Ratio huius intrusionis est manifesta: 29 nam cum talis Ordinarius existens excommunicatus, suspensus, vel interdictus non possit beneficia conferre, ut cum pluribus aduertit Couarr. in cap. Alma mater. p. 1. relectionis, §. 7. n. 9. vers. duodecimus excommunicationis effectus, &c. Anton. Ricciul. in tract. de iure personarum extra gremium Ecclesie existens. lib. 4. c. 3. n. 1. vers. Quod adeo verum est, ut neque etiam Ordinarius excommunicatus, &c. per Vicarium non excommunicatum conferre possit, ut cum Rebuffo in cap. postulasti, n. 58. de clerico excommunicato ministrante. Marian. Alter. de censuris, tom. 1. lib. 2. disp. 5. cap. 1. vers. tandem postulasti, & Ricciul. ubi proximè, n. 3. tradit Barb. in collect. ad d. cap. finale, de excessibus Prælatorum, num. 8. sequitur exinde, quod cum conferens non det aliquem titulum coloratum, resultat clare, quod obtinens ab eo beneficium, illudque retinens erit intrusus.

Quinto modo dicitur intrusus ille, qui 30 obtinet beneficium, alteri iniuste ablatum, ut colligitur expresse ex d. cap. finali, de excessibus Prælatorum, & ita docent Dominicus & Præpositus in cap. propter, 19. distinct. colum. 1. vers. ultimo, de accusationibus, & Gomezus ad dictam Regulam de triennali, in d. q. 47. n. 2. vers. quinto dicitur etiam, Ioannes de Selua de benef. p. 3. q. 10. n. 9. vers. sexto modo ille dicitur intrusus, Rebuff. ad regulam de subrogand. collitigant. vers. Quarto, qui beneficium iniuste, Gigas in Epit. de intruso, n. 29. vers. Sexto ille dicitur: Cæsar Argel. de legitim. contradict. q. 15. n. 78. Zerol. in praxi, p. 1. verbo, Intrusus, vers. sexto qui habet beneficium collatum, &c. Riccius in praxi aurea, & quotidiana, collect. 224. n. 1. in fine.

Alios autem modos intrusionis tradunt 31 Mascardus

- Mascardus, Zerola, & Riccius ubi supra, quos sequendo materiam huius quæstionis referam. Et erit intrusus sexto modo ille, qui obtinuit beneficium, & postea committit crimen, depositione dignum, ut per Glossam in cap. cum super, verb. restituendum, in fine, de causa possessionis & proprietatis, & pluribus relatis tradunt Mascardus de probationibus in d. conclus. 937. vers. quinto etiam dicitur intrusus ille &c. Zerola in d. verbo, intrusus, & Riccius in d. resol. 224. & ambo in vers. quinto qui committit crimen &c. Qui quidem, quamuis prædictam conclusionem absolute protulerint, prout iacet, intelligendum tamen iudico iuxta à nobis adnotata n. 5. usque ad 10. & 31. scilicet post sententiam declaratoriam depositionis, & non antea.
- 32 Septimo erit intrusus, qui ingreditur beneficij possessionem propria auctoritate, ut cum Ioanne Andrea in cap. dudum, de elect. tradunt Zerola, & Riccius ubi proximè, vers. sexto qui ingreditur, & ambo extendunt etiam hanc intrusionem, ut locum habeat taliter quod litteræ super illo beneficio non valerent, si taceret, se intrasse possessionem, etiam autoritate Principis, & allegant ad intentum, Abbatem, Felinum, & Cardinalem, quibus iunge Mascardus de probationibus conclus. 937. n. 23. & 24. & faciunt quæ tradit Ludouicus Gomez. ad regulam de subrogandis collitigant. q. 4. ubi disputat, an qui habet titulum coloratum, possit propria autoritate possessionem ingredi, de quo agemus infra latè, q. 8.
- 33 Octauo erit intrusus, qui sola signatura, & litteris non expeditis, beneficij possessionem ingreditur, ut in Extraneaganti, In iuncta, de electione, & tradunt Zerola in d. verbo, Intrusus, vers. octauo qui intrat possessionem, & p. 1. verb. Bulla, §. 1. ubi late agit de materia, Riccius in praxi aurea, in d. resol. 224. vers. septimo; Rebuff. in praxi, super regulam de subrogandis collitigant. n. 15. Mascard. in d. conclu. 937. n. 23. & alij penes ipsos; & de hoc articulo agemus infra specialiter q. 4.
- 34 Nono, si quis habuit beneficium per simoniam, ab eo qui habet potestatem conferendi, Couarr. lib. 3. variar. resol. cap. 16. n. 7. Felin. in cap. in nostra, corol. 2. in fine, de rescriptis, & alij penes Zerolam, & Riccius ubi proximè, vers. decimo si quis habuit, de qua intrusione specialiter agemus infra, q. 9.
- 35 Decimo, qui ante acceptam collationem caperet beneficij possessionem, & administrationem, Riccius, & Zerola ubi proximè,

Vndecimo, qui fecit se institui de beneficio viuentis, vel in eo se intrusit, nulla vacatione legitima, vel titulo subsistente, ut cum Abbate, Ancharano, & Oldrado, probant Zerola & Riccius ubi supra, vers. duodecimo, qui se intrusit.

Duodecimo, erit intrusus, qui resignat beneficium, & post sequutam resignationem adhuc remanet, & residet in beneficio resignato, Caputaquen. decif. 36. par. 3.

Decimotertio, cum ex dispositione iuris in cap. cum in cunctis 8. §. inferiora, de electione, & cap. licet Canon, eodem titulo in 6. & Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. nullus ad beneficium curatum promoueri possit, qui vigesimum quintum annum non attigerit, ut pluribus relatis tradunt Garcia de beneficiis, 7. p. cap. 4. n. 41. & sequent. & alij infiniti penes Barb. in collect. ad d. cap. cum in cunctis, n. 34. sequitur exinde, quod si aliquis minor ætate fuerit prouisus de beneficio curam animarum habente, & prouisionem acceperit sine legitima Pontificis dispensatione (qui solus, & non Episcopi concedere valent, ut cum Selua, Imola, Corrasio, Petro Gregorio, & aliis probat Barb. in d. collect. anea, ad d. cap. cum in cunctis, n. 34. in fine) fructusque & emolumenta ex tali beneficio percipiat, erit intrusus; cum in radice sit titulus infectus ex iuris dispositione.

Et tandem erit intrusus quisquis non 39 habuerit aliquem legitimum colorem ad obtinendum beneficium ex vi suæ institutionis, ut expresse deciditur in cap. ad aures, de excessibus Prælatorum, & in cap. eum qui, de præbendis in 6. ubi communiter D D. & late tradunt Rebuffus in cap. in nostra, de rescriptis, Spino in speculo testamentorum, glos. 4. princip. n. 91. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 35. q. 10. & diffuse agemus in quest. sequent.

Ex quibus sequitur, quod si aliquis obtineat Dignitates, Præbendas, aut alia inferiora beneficia, seu officia per aliquos modos ex relatis, intrusionem incurret, & incidet in pœnas à iure impositas contra intrusos, de quibus agemus infra quest...

& ita finem imponimus huic quæstioni, ut ad alias nos conferamus.

* * *

QVÆSTIO III.

An possessor incoloratus, seu qui non habet colorem suæ intentionis, dicatur intrusus.

S V M M A R I V M.

Incoloratus Possessor dicitur intrusus; & valet argumentum de intruso, ad incoloratum possessorem, & è contra. n. 1.

Possessio beneficij dicitur colorata, ubicumque defectus nõ est in conferente, vel si priuatio non inducitur ex ipso iure, vel per sententiam hominis, seu si non adsit aliquis defectus, cum Superior dispensat, aut confirmat. n. 2.

Possessor incoloratus dicitur ille, qui obtinuit rem, & eius possessionem ab habente defectum, ne id efficere possit, vel si ex dispositione iuris, aut per sententiam hominis veniret priuandus, quamuis legitime possessionem habuisset. n. 3.

Capitulum Sede vacante non potest conferre beneficium, cuius collatio priuatiuè ad Episcopum pertinet, & si fiat, erit nulla. n. 4.

Possessio beneficij capta virtute collationis, cuius prouisio priuatiuè pertinebat ad Episcopum, erit incolorata, & nulla. n. 4.

Collatio beneficij facta per non habentem potestatem conferendi non tribuit colorem retinendi beneficium. n. 5.

Incoloratus possessor dicitur ille, qui sine causa, vel legitimo titulo possidet. n. 5.

Collatio beneficij facta à Vicario Episcopi, non habente ad id speciale mandatum, est nulla, & ideo non tribuit titulum coloratum. n. 6.

Ordinarius si habeat manus ligatas ad conferendum beneficium, illudque conferat, non tribuit aliquem titulum ei, cui contulit, & ideo prouisus erit intrusus si in eo se ingerat. n. 7.

Ordinarius si conferat beneficium reseruatim, reseruatione in corpore iuris clausa, vel vacante in Curia, aut litigioso, non tribuit titulum legitimum, & sequent.

Habens titulum beneficij si ingreditur illius possessionem sine Superioris auctoritate, erit intrusus. n. 11.

Possessio beneficij capta propria auctoritate, etiam si sit canonica, cum exquitorialibus, est incolorata, & illegitima. n. 12.

Beneficium curatum qui habet, si recipiat aliud etiam curatum, vel incompatible, si in primo administrat, & possessionem reti-

neat, erit in eo intrusus. n. 13.

Incoloratus possessor erit obtinens beneficium incompatible, si in primo resideat, & in eo actus possessorios exerceat. n. 13.

Episcopus qui adeptus fuit possessionem Episcopatus, si ultra tempus à iure statutum differat consecrationem, & eo medio tempore beneficia, quæ prius obtinebat administrat, erit in illis intrusus. n. 14.

Qui non habet titulum coloratum, dicitur intrusus. n. 15.

Collationem beneficij qui obtinet ab eo, qui prohibitus est conferre, tam à iure quàm ab homine, est incoloratus possessor. n. 15.

Titulum in coloratum habet quicumque fuerit intrusus. n. 15.

Beneficij titulus non penitus incoloratus quandoque dari potest, ut si collatio fiat ab eo, qui ex accidenti fuit effectus incapax conferendi, qui alias erat legitimus collator. n. 16.

INCOLORATVM Possessorem intrusum esse diximus supra in quæst. antecedenti. n. 2. & 6. cum sequen. In præfenti autem agemus specificè de hac intrusione, quam quidem talem esse & reputari in iure patet ex text. in cap. cum iam dudum, de præben. cap. dudum, el. 2. de electione, quæ iura ad intentum allegat Felinus in cap. in nostra, in secundo corol. n. 12. circa medium, de rescriptis, & idem docuit in cap. veniens. n. 2. in 2. notabili, vers. primo si non habet, de accusationibus, per text. in cap. eum qui, de præben. Decius cons. 121. in causa venerabilis, colum. vltima, n. 4. Zerola in praxi p. 1. verb. intrusus, n. 1. Riccius in praxi aurea, resol. 224. in princip. & alij plures relati per Flamin. Parisium de resignat. benef. lib. 7. q. 1. n. 114. & latè Azor. tom. 2. institutionum moral. lib. 7. cap. 35. q. 10. Quod adeo vcrum est, vt valeat argumentum ab incolorato possessore ad intrusum, & è conuerso, ita vt dici possit, Incoloratè quis possidet, ergo est intrusus: Aliquis est intrusus, ergo incoloratè possidet: vt accuratè docuit idem Felinus in d. cap. in nostra, in 2. corol. in fine, & in corol. 36. n. 32. vers. dicitur autem non colorata &c.

Et vt clarius procedere possimus, inquirendum & explanandum est, quando quis dicatur possessor incoloratus, & quando coloratus, vt ex eo cognosci possit, quando quis iudicetur intrusus. In qua re Ioannes Calderinus in cap. cum nostris, de concessione præbendæ, solemnem repetitionem illius textus confecit, & Cosmas Guimier in pragmat. sanctione, to. 2. tit. de pacificis possessoribus, in glos. verb. coloratum, fol. mihi 55. in secunda

secunda impressione de anno 1555. alias 1575. antiquos Doctores de hoc articulo agentes allegat, & ibidem late articulum disputat.

Ad cuius declarationem duæ Regulæ sunt notandæ, quæ omnem materiam complectuntur, ex quibus Doctores supra allegati eam comprehendunt.

Prima est, quod ubicumque defectus non est in conferente beneficium; nec ipso iure, vel per sententiam hominis inducitur priuatio illius; possessio adepta in vim talis iuris, erit colorata, vt in cap. cum in nostris 6. de cõessione præbendæ. Quod idem dicendum est, si defectus adsit in conferente, & postea superueniat Superioris confirmatio, vt in cap. quia diuersitatem, vers. nisi forte, de concessione præbendæ, & tradit Ludouicus Gomezius ad Regulam de triennali q. 27. vbi allegat Abbatem post Calderinum, Anto. & Imolam, in d. cap. in nostris, de concessione præbendæ.

3 Secunda Regula, quæ tacitè colligitur ex prima, ea est, vt ubicumque defectus est in conferente, vel quia non habet potestatem conferendi; aut si illam habet, priuatio inducitur vel ab ipso iure, vel ab homine; tunc talis possessio resultans ex ea collatione, dicitur incolorata; vt patet ex textu in cap. de multa, de præbendis, cap. licet Episcopus, eodem titulo in 6. & de hac Regula plura possunt adduci exempla.

Primum erit in eo, qui recipit beneficium à laico, qui non habet potestatem conferendi, cap. illud, vers. tunc quia laicus, de iure patronatus, cap. illa, ne sede vacante.

4 Secundum exemplum erit in collatione beneficij spectantis ad Episcopi collationem, quæ si fiat per Capitulum Sede vacante, est incolorata, vt expressè deciditur in dicto cap. illa, ne sede vacante: & pluribus relatis tradit Garcia de beneficijs, 5. p. cap. 7. n. 51. Gonzalez ad regul. 8. §. 4. proæmy n. 35. & glos. 9. §. 1. n. 77. latè Quaranta in summa Bullarij, verbo, Capitulum Sede vacante, vers. nono quaro &c.

5 Ex quo textu, & Doctoribus sequitur, quod collatio facta per non habentem potestatem, non imprimit colorem retinendi beneficium, argumento tex. in l. minor autem, vers. denique, ff. de minoribus, l. hoc colore, ff. de inofficioso testamento, ex quibus iuribus patet, illum incoloratè possidere, qui sine causa vel titulo legitimo retinet, & insitit in re: l. nec vllam, §. omnibus, ff. de petitione hæreditatis, vbi titulus datus à non habente potestatem alienandi, habetur pro non titulo: l. Sulpicius, ff. de donationibus inter virum & uxorem.

Tertium exemplum erit, in collatione 6 facta à Vicario Generali, non habente ad id speciale mandatum, cap. finali, de officio Vicarij, in 6. quia cum non habeat potestatem conferendi, vt docent Garcia de beneficijs 5. p. cap. 8. n. 80. Gonzalez gloss. 5. §. 3. n. 25. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 303. n. 1. & alij penes Barb. in pastoralis, p. 3. allegat. 54. n. 60. cum sequen. Exinde sequitur, per talem collationem non tribui titulum coloratum, nisi vt ait Lapos in cap. si tibi absenti, de præbend. in 6. adiuetur aliquo adminiculo, licet modico, veluti iuramento ipsius Vicarij attestantis se habere mandatum, vel quod constet saltem dicto vnus testis, vt docet Ægidius decis. 50. quem sequitur Gomezius ad d. Regulam de triennali, in d. q. 27. vers. tertius casus, vbi refert ita fuisse in Rota declaratum.

Quartum erit in Collatore ordinario, 7 habente manus ligatas propter inhibitionem exequutoris Gratia, vel propter Decretum appositum in litteris, aut ex alia simili causa. Glos. in cap. si soli, verbo, si soli, de concessione præbendæ, in 6. quam sequitur Gaspar de Perusis in tract. de reseruat. & eo relato Ludouicus Gomezius in dict. q. 27. vers. quartus casus. Vnde cum conferens non habeat facultatem ad eum effectum, titulus ex eo resultans carebit colore.

Quintum erit, in Ordinario conferente 8 beneficium reseruatim, reseruatione in corpore iuris clausa, quia tunc non confert titulum coloratum, cum collatio talis beneficij ad Papam pertineat; ex his quæ diximus supra in quæst. antecedenti, num. 18. usque ad 25.

Sextum exemplum desumitur in collatione beneficij vacantis in Curia, quod si fuerit collatum ab Ordinario, non tribuit titulum coloratum propter Decretum cap. 2. de præbend. in 6. de quo latè egimus supra in quæst. antecedenti, num. 25. & sequent. & probatur ex Regula 5. Cancellaria, aliàs 6. vbi copiosè Mandosius, quæst. 3. & Barb. in past. p. 3. allegat. 57. n. 127. & ex Regula de triennali, vbi Gomezius in dicta q. 27. vers. ex quibus inferitur, videndus Valascus cons. 79. n. 7. & sequent. quem refert & sequitur Barb. in dict. allegat. 57. n. 20. vbi in sequentibus latè disputat, quando dicantur beneficia vacare in Curia.

Deducitur septimum exemplum in collatione facta ab Ordinario de beneficio litigioso in Curia, Calder. cons. 13. de verb. significat. Lancellotus de attent. p. 1. cap. 13. n. 90. & sequent. Gonzalez gloss. 11. n. 111. Rota decis. 312. n. 1. p. 2. recentior, quos refert & sequitur Barbol. in d. allegat. 57. num. 49. vbi

vbi disputat, quando ad eum effectum beneficium dicatur litigiosum; & aliqua tetigimus supra in *quest. antecedenti*, n. 27. quibus iunge Rotam *decis. 4. de restit. spoliator. in nouis*, & *decis. etiam 4. eodem tit. in antiquioribus*, quæ voluit; habentem huiusmodi titulum, esse taliter intrusum, quod si spoliaretur non deberet restitui.

11 Octauum exemplum erit in eo, qui cum haberet titulum, ingreditur tamen beneficij possessionem præter Superioris auctoritatem; licet enim habeat pro se titulum, attamen eo vti non potest ministerio proprio, ad possessionem ingrediendam, sed indiget decreto, & auctoritate Superioris concedentis, vel mandantis, mitti in possessionem, vt tenet Innocentius in *cap. bona, el. 2. de postulat. Pralator. & in cap. in litteris, de restitut. spoliatorum*; quod quidem extendit, vt locum habeat, etiam si talis fuerit munitus litteris canonicatorijs ipsius tituli.

12 Quamuis enim de iure possit quis cum executorialibus propria auctoritate, ingredi possessionem, (vt illorum verba infnuant & concedunt) stylus tamen Rotæ contrariam praxim amplectitur, vt testatur Fe inus in *cap. ad probandum, in 4. colum. de re iudicata*, Bellamera *consil. 10. dub. 5.* quem referi Ripa in *cap. sape, n. 69. de restitut. spoliatorum*, quos allegat & sequitur Ludouicus Gomez ad *dictam regulam de triennali, in dict. quest. 27. vers. si etiam & quinto*, vbi concludit, possessionem prædicto modo captam, dici, & esse discoloratam, & ex inde ea vtentem, & ex alijs modis superius allegatis, esse intrusum. Hæc sint dicta quoad primam partem secundæ Regulæ à nobis in initio adductæ

13 Deueniamus iam ad secundam; quando videlicet priuatio inducitur ipso iure. Et erit exemplum in eo, qui habet beneficium curatum, & recipit secundum, vel secundam Dignitatem, aut Præbendam incompatibilem: nam si primum Curatum, vel Dignitatē obtineat, aut duo beneficia incompatibilia quoad titulum, & retentionem, habet etiam in primo titulum incoloratum; nam ipso iure vagat per assequutionem secundi, propter malignantem clausulam decreti *cap. de multa, de præben. & extrauagantis, Execrabilis, eodem titulo, & Concilij Tridentini sess. 7. cap. 4. de reformat. de quo vide Valerium Reginaldum in praxi fori penitentialis, lib. 30. tract. 3. n. 276. & sequent. & Nicol. Garciam de benef. p. 11. cap. 5. num. 7. & præcipue num. 76. & seqq.*

14 De hoc eodem titulo erit secundum

exemplum in eo qui recipit Episcopatum, & postquam adeptus est illius possessionem, differt in longum tempus Consecrationem, ita vt lapsum sit quod à iure statuitur ad eam consequendam, in *cap. cum in cunctis, §. cum vero, de electione*, vbi Glof. *verb. tempore*, declarat quodnam sit illud tempus, & decernitur in Tridentino *sess. 23. cap. 2. de reformat.* Barb. plures referens in *pastor. p. 2. allegat. 1. n. 39. & sequent.* Itaque si Episcopus post confirmationem, & adeptionem possessionis Episcopatus, vel post præscriptum tempus à iure ad petendam consecrationem, aut post eam consequutam, administrat beneficia quæ prius obtrinebat, cum ipso iure vacent, illaque detineat, & possideat, erit intrusus in eis, ex rationibus supra allegatis.

Ex huc vsque dictis in hac questione tres colliguntur Conclusiones depromptæ ex Regulis supra explanatis. Prima, quod omnis ille qui habet collationem ab eo qui est prohibitus conferre, tam à iure quam ab homine, dicetur habere titulum incoloratum. Secunda, quod omnis, titulum coloratum non habens, dicitur intrusus. Tertia, quod quicumque est intrusus habet titulum incoloratum.

Pro coronide aduertendum est cum Cosma Guimier in *Pragmat. sanct. tom. 2. tit. de pacificis possessoribus, verbo, coloratum, vers. septimo vt supra dictum est, &c.* Aliquando dari titulum incoloratum, sed non penitus; quia potest accidere aliquando, dari titulum non penitus incoloratum, vt vidimus in eo, qui illum obtinuit ab eo, ad quem in radice & origine potestas conferendi remanebat, quamuis ex accidenti talis potestas in alium sit translata, vt in *cap. licet, & in cap. finali, de supplenda negligentia Pralatorum*, vbi deciditur; quod si is ad quem de iure pertinet collatio, intra sex menses à die vacationis non prouideat, & conferat illud; ius deuoluitur ad immediatum Superiorem, de quo latè agunt Garcia de *benef. 10. p. cap. 2. n. 1. cum pluribus sequent. & cap. 4. num. 10.* Seraph. *decis. 701. n. 1.* Mantica *decis. 660. n. 2.* Ferentil. in *annot. ad decis. 18. Buratti, & alij penes Barb. in pastor. p. 3. allegat. 58. n. 1. & sequent.* Si igitur post lapsum semestrem conferat, talis ab eo collatarius, erit incoloratus possessor, sed non penitus. cum originem habeat non ex potestate absoluta, sed ex accidentali defectu deuolutionis, qui aliàs non remaneret impeditus ad impetrationem, aut collationem obtinendam, iuxta terminos dicti *cap. licet, & cap. finali*, vt latè probat Cosmas in *d. verbo, coloratum, vers. secundo casu*

casu dicitur incoloratus, & vers. & ideo fuit incolorata, &c. vbi videre poteris.

QVÆSTIO IV.

Qui cæpit possessionem beneficij cum sola signatura; an dicatur intrusus.

S V M M A R I V M.

Possessionem beneficij qui accepit cum sola signatura, & litteris non expeditis, est intrusus. num. 1. & 3.

Pralatus non potest administrare, nec pro tali admitti ante expeditionem litterarum suæ promotionis. n. 2. & 3.

Beneficio priuatur tanquam intrusus, qui illius possessionem ingreditur propria auctoritate, sine litteris Superioris. n. 3. & 7.

Gratia Apostolica ante litterarum expeditionem est informis, & ideo pronisus non potest ea vti ante illarum consecutionem. n. 4. & 14.

Regula Cancellariæ annullant omnes commissiones faciendas super beneficijs concessis, de quibus litteræ non fuerint consecutæ. n. 5.

Nulla dispensatio Apostolica proficere potest, antequam super ea litteræ sint concessæ. numer. 6.

Signatura sola sine litterarum expeditione non sufficit, vt gratia Papa dicatur perfecta. ibid. Possessio beneficij adipisci debet de licentia, & mandato eius, qui contulit vel fecit gratiam. n. 7.

Sola signatura gratiæ Papa non tribuit facultatem ingrediendi possessionem beneficij, sed Bulla. n. 7. & 8.

Titulum canonicum beneficij si quis habeat, non ex eo potest propria auctoritate illius possessionem capere, sed indiget mandato Superioris conferentis, n. 8.

Contrarium tamen plures inuentur, num. 9. & sequent.

Intrusus dicitur, qui sine mandato Superioris, sed propria auctoritate capit possessionem, num. 7. & 8.

Ad obtinendum in interdicto recuperanda possessionis sufficit, quod supplicatio, vel gratia sit signata absque litterarum expeditione. n. 9.

Titulus coloratus est necessarius in beneficijs, ad obtinendum in interdicto recuperanda. n. 9.

Possessio beneficij potest canonicè consequi cum sola supplicatione signata; nam ad essentiam gratiæ, litteræ non sunt necessaria, sed ad Tract. de Intrusione.

illius canonizationem, & tituli probationem, n. 10.

Intrusus non dicitur obtinens tria beneficia curata, vel aliàs incompatibilia, si ex simplici signatura sit dispensatus, n. 11.

Titulum canonicum habens, si ingrediatur sine violentia beneficij possessionem, non priuatur iure suo, n. 12.

Beneficio non priuatur, qui in illo se intrusit cum sola signatura. n. 12.

Intrusus dicitur ille, qui non intrat per ostium, num. 13.

Signaturam gratiæ si quis à Papa habeat, intrat per ostium, cum ab illo habeat possessionem, nec erit intrusus, si possessionem ingreditur, nam in vim signaturæ, habet titulum à Papa, n. 13.

Beneficij possessionem si quis consequatur cum sola signatura, litteris tamen non expeditis, non debet dici possessor, sed nudus & merus detentor, ac violentus, & ideo erit intrusus, num. 14.

Violentus possessor beneficij non facit fructus suos, sed tenetur illos restituere, & perdit omne ius, quod in illo fuerat consequutus, num. 15.

Beneficij possessionem si quis adipiscatur, Bullis non expeditis, sed cum simplici signatura, quamuis possit puniri in foro externo, pænis statuis contra intrusos, tuis tamen erit in interno, & conscientia. n. 16.



ADIPISCENTEM possessionem beneficij cum sola signatura, intrusum esse tenet Felinus in *cap. veniens, n. 3. vers. & adde quod intrans, de accusationibus*, ex eo quod ille qui Bullis non expeditis Beneficij possessionem acquirit, amittit omne ius, quod in illo habebat, non obstante signatura: & ad id comprobandum allegat Regulam 38. Cancellariæ, & Calderinum *cons. 13. de verborum significatione*, & Glossam magnam in *cap. causam qua, el. segundo, qui filij sint legitimi, & in cap. veritatis, de dolo & contumacia*. Sed profecto attentè perlegi dictas Glossas, & meo paruo videri, nihil in eis reperio, quod Felini sententiam probet.

Ea tamen roborari potest ex Extrauaganti, *Iniuncta, de electione, in communibus*, vbi statuitur, neminem debere administrare tanquam Prælatum, nec ab Ecclesia pro tali recipi, antequam habeat litteras Apostolicas suæ promotionis, vt tradunt Azor. *to. 2. institut. moral. lib. 3. cap. 29. q. 9. vers. ceterum, Gratianus 10. 1. disceptat. forens. cap. 127. n. 45. & sequent. & alij penes Barb. in Pastor. p. 3. allegat 54. n. 161.*

Secundo probatur ex *l. inuermus, vers. sed 3* sciat,

sciat, C. de officio Magistri officiorum, ibi, sed sciat is qui sine sacro rescripto ad eandem pervenire militiam ausus fuerit; non solum ea se priuari, verum etiam pena librarum auri subitici. Ergo eodem modo, qui sine literis Papæ ingreditur possessionem beneficij, erit eo priuatus, tanquam intrusus ex defectu legitimi tituli.

4 Tertio facit Regula 27. Cancellaria, de non iudicando iuxta formam supplicationis, vbi statuitur. gratiam Apostolicam esse informem ante literarum expeditionem, quia ante ipsam confectionem omnis gratia Principis est quædam res informis, vt plura ad intentum referens, & varios Doctores allegans, tradit Mandosius ad d. Regulam 27. q. 3. n. 4.

5 Et ad intentum ponderari valent aliæ duæ Regulæ Cancellariæ; Altera est, 29. (ex his quas in meo posse habeo) quæ casat omnes commissiones fiendas super beneficiis concessis per gratiam Apostolicam, de quibus literæ Apostolicæ non sint confectæ, & processus desuper habendos. Altera est 53. vbi voluit Papa, quod nulla dispensatio alicui proficere possit, antequam super ea literæ Apostolicæ fuerint concessæ: Ergo ex mente Pontificis parer, solam signaturam non sufficere, sed præcisè esse necessarias literas in forma: & exinde deducitur, ingentem se in possessionem beneficij sine illis, intrusionem incurrere.

7 Ratio autem huius conclusionis desumitur ex eo, quia beneficij possessio adipisci debet de licentia eius qui contulit, vel fecit gratiam; vt in cap. pastoralis 19. de privilegijs, vbi Glossa, verbo, in possessionem, alia iura allegat idem concludentia: atqui in signatura non datur facultas intrandi in possessionem, sed in Bulla; ergo qui ex sola signatura adeptus fuerit possessionem, tanquam indignus priuatur iure quod habebat, & consequenter iudicandus est intrusus.

8 Nec in hoc casu per hanc restrictionem, & dispositionem intendit Pontifex Episcopo, aut Archidiacono aliquod præiudicium inferre, vt notat text. in d. cap. pastoralis, de privilegijs, & in cap. super eo, de officio delegati: nam si ex sola signatura posset capi possessio, quandoque in ipsa gratia aliqua subreptio, vel obreptio adesse posset, ex qua sequeretur Ordinariis aliquod detrimentum, vel præiudicium, si ante adeptionem possessionis ipsi non propalaretur: ad quod euitandum necessaria erit Superioris auctoritas ad consequentem possessionem: quam sententiam post longam

disputationem tenent Couarruias lib. 3. variar. resol. cap. 16. n. 8. Flaminus Parisius plures allegans in tract. de resignat. benef. lib. 10. q. 6. n. 27. vbi n. 30. & seqq. resoluit pro intrusione; latè Aimon. Craueta conf. 134. num. 24. varia fundamenta adducens, & Barb. in collect. ad d. cap. Pastoralis, n. 4. & seqq. vbi n. 6. in terminis mouet hanc questionem, quam dicit non contemnendam, & resoluit, non posse beneficiarium habentem titulum canonicum propria auctoritate apprehendere beneficij possessionem; eamque etiam tuerur Cosmas in Prag. sanctione, lib. 2. de pacificis possessoribus, in gloss. verb. non violentus, Zerola in praxi p. 1. verbo, Bulla, in principio, & verbo, Intrusus, vers. qui intrat possessionem, & c. Riccius in praxi aurea, & quotidiana, resol. 224. vers. sep:imo, qui intrat possessionem non leuatis Bullis, & alij plures penes ipsos.

Prædicta tamen opinio, licet tot sit Doctoribus, & fundamentis munita, plures contrariam sequuntur, & in primis Castadorus decis. 8. incipiente, Quamuis ad Canonizationem, sub tit. de restit. spoliator. vbi testatur, Dominos de Rota declarasse, quod ad obtinendum in interdito recuperandæ possessionis, sufficit supplicationem, seu gratiam signatam esse absque litterarum expeditione pro titulo colorato, qui in beneficialibus est necessarius, ex Innocentio; cuius opinio communiter approbatur in cap. in literis, de restitutione spoliatorum; Nam possessio canonicè consequi potest cum sola supplicatione, cum ad essentiam, & formale gratiæ, non requiratur literæ; sed tantum ad canonizationem, & probationem tituli, secundum Archidiaconum, Ioan. Andream, Dominicum, & Franch. in proem. 6. in cap. in nostra, de rescript. & Geminian. conf. 10. cum Baldo in leg. humanum, C. de legibus, quos allegat Castadorus vbi proxime, num. 3. & in sequentibus numeris, alia fundamenta refert, & plures Rotæ decisiones ad intentum tradit Beltraminus in annotat. ad decis. 471. Ludouisi, num. 12.

Quæ sententia roboratur secundò ex eo, quod detinens tria beneficia curata, vel aliàs incompatibilia, non dicitur intrusus, si ex simplici signatura sit dispensatus ad ea obtinenda, nec incidit in poenas Extrauagantis, Execrabilis; & ita fuisse iudicatum in Rotâ testatur Gloss. in d. Regula 53. Cancellaria, ergo sufficit signatura, nec opus est literis.

Tertio fauet huic sententiæ doctrina quam tradit Milis in repertorio, verbo, Beneficium, q. 58. incipiente, Beneficij Possessionem,

nem, vbi probat, quod habens titulum, si sine violentia ingrediatur beneficij possessionem, non priuatur iure quod ad illud habebat. Immo in Curia Romana non datur priuatio, si quis cum sola supplicatione se intruset. vt in specie, talibus verbis resoluit Staphileus de licentis gratiæ & institutione, sub tit. de rescript. in forma Breuium, fol. mihi 189. vers. consuevit etiam aliquando concedere, & c. Ergo sine literis, ex sola signatura poterit quis ingredi possessionem beneficij sine incurfione intrusionis.

13 Denique quod talis non dicatur intrusus, suadetur ex eo, quod tradit Rebuff. in tract. de pacificis possessoribus, n. 5. qui incipit; Nec refragatur & c. vbi ita argumetur: Is dicitur intrusus, qui non intrat per ostiū, sed aliunde; textus singularis in cap. Relatum 21. de iure patronatus, vbi Gloss. verb. per ostium, alia iura allegat; sed qui habet signaturam intrat per ostium, cum provisionem habeat à Papa; ergo non dicitur intrusus cum enim detur titulus ab ipso Papa in vim signaturæ, consequens est, velle Papam possessionem acquiri vigore illius tituli; argumento textus in l. 2. ff. de iurisdic. omnium iudicium. Quod idem tenet ipse Rebuffus in praxi p. 1. tit. forma & declaratio nouæ provisionis, vers. postea dicitur per se, vel per alium, in §. etiam si cum signatura, vbi ex Gomezio ad regulam de non iudicando iuxta formam supplicationis, questione 5. & Castadoro decis. vltima, de restit. spoliatorum, testatur ita in Rota seruari; quos sequitur Menochius, pluribus relatis, de recuperanda possessione, remed. 15. num. 464. & 465. vbi latè agit de hoc articulo; & de adipiscenda, remed. 6. num. 36. & seqq.

14 In hac opinionum varietate, licet hæc secunda tot rationibus, & Doctorum auctoritatibus sit munita; primam tamen in praxi veriore, & sequendam arbitror, nec ab ea recedendum.

Fini verò pro illius canonizatione adest constitutio Iulij III. quæ fuit lecta & publicata Romæ in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominice 1553. die 27. Maij, Pontificatus ipsius anno. IV. quæ incipit: Sanctissimus in Christo Pater: quam allegat Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 10. tom. 1. q. 6. n. 16. in fine, vbi dicit, esse constitutionem 33. Iulij III. quam non inueni inter eius constitutiones penes Cherubinum; illam tamen reperi ad literam in summa Constitutionum summorum Pontificum, inter impressas per Petrum Matthaum Lugduni de anno 1588. inter constitutiones Tract. de Intrusione.

Iulij III. conf. 5. pag. 351. vbi decernitur, quod capiens possessionem beneficij litteris non expeditis, sed cum sola signatura, non possessorem, sed nudum, & merum detentorem, ac violentum, & sine aliquo titulo, & in eo intrusum dicendum esse: Similitérque non facere fructus suos, sed teneri ad eorum restitutionem; omnéque ius quod in illo consequutus fuerat, amississe, fierique inhabilem, & incapacem obtinendi illud, & c. prout latius in dicta constitutione continetur. Et notandum est, adesse in ea decretum Irritans, & clausulâ, sublata, de cuius effectibus dixi in meo pastoralis in teruo, par. 1. tract. 4. quest. 2. num. 9. & sequent. & intom. 2. Pastor. Regul. par. 1. claus. 4. num. 11. & sequent. & claus. 13. num. 1. & exinde per dictam constitutionem tenet hanc sententiam Gigas in Epit. de intruso, num. 38. vers. cum prædictis transirem, eamque hodie esse in viridi obseruantia, & de stylo certam testatur Flamin. Paris. in dict. quest. 6. num. 17. & sequent. & ibi allegat alios idem affirmantes, atque Rotam ita obseruare testatur Sarnen. decis. 164. lib. 1. in manuscriptis; & ad intentum vide Doctores allegatos pro prima sententia num. 7. & Rebuff. in repetitione ad tit. de causa possessionis, & proprietatis, in præfatione in 8. q. vers. octauo quæro quæ remedia nobis competant, fol. mihi 251. in impressis Lugduni de anno 1587. & latissime in repetitione ad cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante, in expositione ad gloss. in verbo, retinere, post vltimum notabile, n. 20. fol. mihi 497. vers. idem dicerem si non expeditis literis.

Tandem circa prædicta, pro quiete animarum aduertendum iudico, hanc sententiam non habere locum in foro conscientia, sed tantum in contentioso; enimvero si quis bullis non expeditis, sed cum simplici signatura beneficij possessionem adipiscatur, tutus erit in foro conscientia, quoad eum enim non incidit in poenas intrusi, à iure statutas; quia cum habeat aliqualem titulum, non debet ille iuris rigor seruari, vt optimè aduertit Rebuff. in d. repetit. ad cap. Pastor. de clerico excommunicato ministrante, ad d. gloss. verb. retinere, n. 22. præcipuè in vers. sed ista cessant in foro conscientia, & in vers. sequenti, fol. mihi 497.

QVÆSTIO V.

Crimen committens, depositione, seu priuatione dignum; vel vitium habens, propter quod beneficio priuari possit, si in eo permaneat, an sit Intrusus.

S V M M A R I V M.

- Committens crimen, dignum priuatione beneficii, si in eo permaneat, erit intrusus. n. 1.*
Electus & confirmatus in beneficio, si ex aliqua legitima causa spoliatur, & agat possessorio recuperanda, in quo non obtineat, tenetur restituere fructus perceptos. n. 1. & 2.
Nemo ex sua improbitate commodum consequi debet. n. 2.
Intrusus in beneficio tenetur restituere fructus, quos percepit. n. 2.
Intrusus largo modo is potest dici, qui licet fuerit positus in beneficio auctoritate Superioris, habet tamen vitium, vel defectum, propter quem debeat priuari. n. 3.
Criminosus iuste beneficium possidet ante sententiam priuatoriam; secus tamen si ab ipso iure inducatur priuatio. n. 4.
Priuatio beneficii à iure imposta, statim incurritur sine aliquo ministerio; nec in controueniente requiritur scientia pœna. n. 5.
Pœna priuatoria beneficii, ipso iure imposta, incurritur absque aliqua priuationis sententia; secus tamen si procedat ex hominis dispositione, quia tunc requiritur sententia. n. 6.
Clericus criminosus, & accusatus, potest resignare beneficium, etiam cum reservatione pensionis, pendente accusatione, & ante sententiam priuatoriam. n. 7.
Clericus homicida non est intrusus in beneficio, ante sententiam priuatoriam, etiam si illud possideat, & fructus ex eo percipiat. n. 8.
Nemo plus iuris in alium transferre potest, aut dare, quam ipse habeat. n. 9.
Resignatio beneficii facta à Criminoso pendente iudicio criminali, est valida & tenet. n. 9.
Dictio, quasi, denotat improprietatem. n. 10.
Intrusio est delictum graue, & ideo pro tali non potest qualificari, nisi in casibus in quibus expresse committitur. n. 11.
Clericus beneficiarius inforDESCENS in excommunicatione per annum & ultra, an sit intrusus in beneficio, anceps est questio, pendens ab illa, an sit ipso iure eo priuatus. n. 12.

Beneficiarius criminosus ex quibus causis sit ipso iure priuatus beneficio, vel veniat priuandus. n. 13.



COMMITTENS crimen depositione, vel priuatione dignum, vel vitium habens propter quod beneficio priuari debeat, si illud retineat & administret, intrusum esse, suadet ex Glof. in cap. cum super, verbo, restituendum, de causa possessionis & proprietatis, vbi probatur, quod si quis minus canonicè electus, & confirmatus spoliatur, & agat possessorio recuperanda, & ex eo restituatur, si postmodum talis electio, & confirmatio irritetur ob aliquod vitium, vel delictum, ex quo priuari debeat beneficio, vel præbenda, aut dignitate, tenetur restituere fructus perceptos; quia ex improbitate sua non debet aliquid commodi consequi: quod colligit Glof. in fine, ex argumento quasi expresse in cap. grauis, de restitutione spoliatorum, qui textus loquitur de intruso, & violento inuasore: & ita concludit Glof. quod cum ille Canonicum non habuerit ingressum, restituere tenetur fructus, quod inde percepit, quia quasi intrusus est, & per consequens tenetur restituere fructus ei Ecclesiæ, ex qua illos percepit: quam sententiam tuerentur Cardinalis Alexander in cap. propter, colum. vltima, 19. distinct. & ibidem Dominicus similiter in vltima colum. Selua de beneficiis 3. p. q. 11. n. 9. vers. quinto modo, Felinus in cap. in nostra, in secundo corollar. n. 27. de scriptis, & cons. 44. Titius possessor. n. 5. vbi ita ait.

Intrusus largo modo dici potest is, qui licet fuerit auctoritate Superioris positus in beneficio; tamen habet vnum vitium, vel defectum, propter quem deberet priuari, cap. veniens, de accusationibus, & ideo Glof. magna vocat istos tales, quasi intrusos &c. & eisdem fere verbis idem tenet Decius tom. 1. cons. 121. In causa venerabilis. n. 4. vers. & licet etiam; Quod videtur de mente Ricci in praxi aurea & quotidiana, resol. 224. num. 1. vers. quinto qui committit.

Contrariam tamen sententiam plures tuerentur, Rebuffus in praxi, ad regulam de subrogandis colligantibus, glof. 4. num. 14. & Hieronymus Gigas in epitome de intrus. n. 26. & 27. & alij plures.

Fundamenta desumuntur ex eo, quia quantumcunque quis sit criminosus, iuste retinet beneficium, donec per sententiam priuetur, si alias ab ipso iure non sit priuatus; vt voluit Abbas in cap. item cum quis, colum.

lum. penultima, de restit. spoliat. in quo conueniunt communiter Doctores.

6 Et ratio est, quia priuatio beneficii, ex dispositione iuris inducta, statim sine aliquo ministerio incurritur, nec requirit in controueniente scientiam pœna; vt notat Glof. in cap. extirpanda, §. i. verbo, priuatum, de præbend. quia quoties in dispositione dicitur, ipso iure, pœna irrogatur absque aliqua priuationis sententia: vt latè probat Gonzalez glof. 56. num. 33. & 34. & pluribus relatis Barbof. de dictationibus vsus frequentibus, dictione 178. n. 4.

Secus tamen si procedat ex dispositione hominis, quia tunc necessaria est illius scientia, & quod præcedat declaratio seu sententia, vt cum Gonzalez glof. 56. n. 101. vsque ad 109. latè probauit in meo pastoralis interno, p. 3. vot. 3. num. 17. Si ergo qui obtinet beneficium, antequam per sententiam priuetur, iuste beneficium retinet, & fructus ex eo legitime percipit, consequenter titulum habet, & eo existente intrusionem cessare fatendum est, & dictis supra, q. 1. & seqq.

7 Quod autem titulum habeat, apertè probatur, quia interim potest beneficium resignare, donec eo per sententiam priuetur, vt per Flaminium Paris. de resignat. benef. lib. 3. q. 16. num. 1. & sequent. vbi plures allegat, & ita declarauit Rota coram D. Peña, pro vt habetur in meis recollectis ipsius tom. 2. decis. 1173. num. 3. & decis. 1288. num. 3. & talis resignatio potest fieri non solum purè, verum etiam cum reservatione pensionis, vt cum Flores de Men. var. lib. 1. quest. 13. num. 8. tradit Barbof. in collect. ad textum, in cap. si hi, vltimo, vt lite pendente, in 6. quod quidem habet etiam locum pendente iudicio super crimine, Glof. in cap. 2. verbo, finita, vt lite pendente, in 6. Gonzalez in d. glof. 56. n. 147. vbi plures Doctores & Rotæ decisiones idem probantes refert; quibus iunge Farinacium in praxi criminali, p. 4. tit. de homicidio, q. 119. n. 74. Rotam coram Peña, vbi proximè, in dicta decis. 1288. n. 3. Flaminium Parisium in d. q. 16. num. 8. qui hanc conclusionem ampliat, & copiosè exornat.

8 Et ideo Clericus homicida (qui ex vera & magis communi opinione venit priuandus per sententiam, vt infinitos referentes tradunt Paris & Farinac. vbi proximè, non potest dici intrusus, etiam si possideat beneficium, & fructus ex eo percipiat ante sententiam condemnatoriam priuationis: cum ante eum habeat titulum coloratum & legitimum, aliàs non posset renuntiare, vel resignare in fauorem tertij, ex regulis

Tract. de Intrusione.

iuris vulgaribus, quod nemo plus iuris in alium transferre potest, quam & ipse habet leg. 2. C. de pœnis, cap. nemo potest, 79. de regulis iuris, in 6. Scfe decis. 188. n. 15. & 23. nec quis potest dare, quod non habet, l. traditio, ff. de acquirendo rerum dominio, l. nemo plus, ff. de regulis iuris, cap. nemo plus, eodem tit. in 6. Card. Tuschus tom. 2. lit. D. conclus. 17. Surdus cons. 194. n. 17. & cons. 247. n. 10. & passim tradunt Doctores; ergo si resignatio valet pendente causa criminali, ex eo est, quia talis accusatus titulum legitimum retinet, nam aliàs resignatio nõ subsisteret; ergo non potest dici intrusus, etiam si beneficium retineat, & fructus ex eo percipiat; quod quidem locum habet in alijs quibuscunque criminosis, qui ipso iure non sunt priuari, sed veniunt priuandi per sententiam, ex rationibus superius traditis.

Hanc secundam sententiam veriorē, & tenendam iudico, tanquam magis conformem dispositionibus iuris, & vallatam firmiter rationibus fundamentis. Nec contra eam vrgent rationes primæ opinionis, ex eo quia Glof. in d. cap. cum super, verbo, restituendum, de causa possessionis, & proprietatis, solum vocat talem criminosum, quasi intrusum, ex quo illa dictio, quasi, denotat improprietatem; vt infinitos allegans tradit Barb. de dictationibus vsus frequentibus, dict. 311. n. 2.

Vnde cum Doctores qui primam sententiam tuerentur, fundamentum sumant ex dicta Glossa, non bene ex ea deducitur affirmasse, committi intrusionem propriè, sed cum dictione, quasi, denotante improprietatem: quod quam longè distet, nemo est qui non videat: Et cum intrusio sit graue delictum, nõ debet improprie pro tali qualificari, sed in casibus tantum, in quibus expresse committitur; maxime cum agatur ad inducendam priuationem beneficii, ex traditis per Peñam in meis recollectis tom. 1. decis. 581. n. 2. & tom. 2. decis. 1119. n. 2. vbi annotauit alias decisiones, ac per consequens cessat ratio, & auctoritas, in quibus prædicti Doctores fundantur.

De inforDESCENTE in excommunicatione per annum & amplius, est anceps questio, an sit, vel non intrusus in beneficiis ab ipso obtentis; cuius resolutio pendet ab alia, an scilicet ipso iure sit illis priuatus, vel non; quam latè disputat Gonzalez in d. glof. 56. n. 101. & seqq. & n. 104. vsque ad 108. ex variis fundamentis resoluit, talem inforDESCENTEM non esse ipso iure priuatum beneficii, quam sententiam verissimam iudico, qua retenta patet, ante sententiam priuatoriã non esse intrusum ex rationibus superius traditis, quæ in præfati rectè adaptantur.

¹³ Quæ autem sint delicta, vel causæ, ex quibus ipso iure detur priuatio beneficii, enumerantur ab Azor. tom. 2. inst. moral. lib. 7. cap. ib. & cap. 17. & ibidem late agit de casibus in quibus Beneficiarius debeat per sententiam priuari beneficio, apud quem videre poteris; quia cum non sit nostri instituti ideo in hoc articulo non figimus pedem.

Q V Æ S T I O VI.

Obtinens beneficium curatum, si secundum similiter curatum sine dispensatione recipiat, an dicatur intrusus.

S V M M A R I V M.

Intrusus dicitur, qui obtinet secundum beneficium curatum, si primum etiam curatum retineat. n. 1.

Priuatus si quis fuerit beneficio, illudque retineat, & in eo resideat, erit intrusus. n. 3.

Obtinens secundum beneficium incompatible, non potest retinere primum, quia ipso iure vacat. n. 2.

Percipiens fructus primi beneficii quod vacat per ademptionem secundi, ambobus priuandus est per sententiam, n. 3.

Beneficia duo curata, tam secularia quam regularia, sine dispensatione Papæ non potest quis obtinere, aliàs erit intrusus, n. 4.

Dispensatus ad obtinenda duo beneficia curata, vel aliàs incompatibilia, si aliud de nouo consequatur, indiget noua dispensatione, aliàs erit intrusus in illis prioribus, in quibus dispensatus existebat, n. 5.

Violentus occupator secundi beneficii curati erit intrusus, si primum retineat, n. 6.

Stilius non debet esse melioris conditionis, quam Peritus, n. 6.

Inuasor non debet gaudere potiori privilegio, quam is, qui iuste rem occupat, n. 6.

Beneficia duo curata non possunt insimul obtineri, etiam sub pretextu, quod primum non sit sufficiens ad congruam sustentationem, n. 7.

Intrusus dicitur, qui retinet duo beneficia curata, etiam sub pretextu, quod primum non sufficiat ad congruam sustentationem, licet adesset consuetudo in contrarium, n. 7.

Obtinens secundum beneficium curatum tenue, non potest retinere primum, etiam si sit pingue, quia per ademptionem secundi, ipso iure vacat primum: quod si illud retineat, erit intrusus, n. 8.

Intrusus erit qui adipiscitur possessionem secundi beneficii curati, & primum retineat, etiam si protestetur, quod non intendit primum dimittere, vel renuntiare, n. 9.

Protestatio contraria facto, nihil operatur, num. 9.

Protestatio contra expressam iuris dispositionem non potest aliquid operari, n. 9.

Corruptela dici debet consuetudo contra expressam iuris dispositionem, n. 10.

Consuetudo periculosa animabus non excusat, num. 11.

Intrusus non erit retinens duo beneficia curata, si unum dependeat ab altero, quia primum ipso iure non vacat, n. 12.

Habens duo beneficia curata, unum in titulum, & aliud in commendam, non erit in primo intrusus, n. 13.

Acceptans secundum beneficium curatum calore iracundie, si breui intervallo peniteat, & ab eo recedat, non erit intrusus in primo beneficio curato, retinendo illud, num. 14. & 17.

Iracundia est quadam accensio sanguinis circa cor, n. 15.

Iracundia generat quandam irrationabilem perturbationem mentis, quæ uehementius quam sat sit animum commouet, n. 15.

Calore iracundie facta, & dicta, irrita sunt, ac nullius momenti, n. 16.

Mulier subito calore iracundie misso repudio, diuertens à marito, si statim redeat, non videtur diuertisse, n. 16.

Dolus, & animus delinquendi non presumitur, ubi perseuerantia non datur, n. 17.

Intrusus non erit acceptans, & retinens beneficium curatum, si probabiliter ignorabat, se aliud etiam curatum habere, quia fuerat collatum suo legitimo Procuratori, ipso absente, nam ante certiorationem primum non vacat, n. 18.

Beneficium alicui collatum, non dicitur suum, ante ademptionem, n. 19.

Obtinens secundum beneficium curatum, ignorans habere aliud, quia suo Procuratori, ipso inscio fuerat collatum, potest eligere quodnam ipsorum retinere velit, nam tunc per ademptionem secundi non videtur primum renuntiasse, n. 20. & sequen.

Dubitans an sibi fuerit collatum primum beneficium, si obtineat secundum, & in utroque permaneat, non erit intrusus, n. 22.

Renunciatio non trahitur ad ea, quæ quis dubitat an sibi competant, vel non, n. 23.

Acceptans secundum beneficium, si non potest illius fructus percipere, non dicitur intrusus in primo obtento, si illud retineat, & fructus ex eo percipiat, quia non vacat, n. 24.

OBTINEN



OBTINENTEM secundum beneficium curatum, & in primo residentem, fructusque percipientem, intrusum esse sine dubio affirmandum est; nam si quis ipso iure est priuatus beneficio, & in eo resideat, vel illud retineat, vere est intrusus: vt probauimus in q. antecedenti, à n. 4. usque ad 9. potiori ergo iure erit, obtinens secundum curatum, & primum retinens: nam cum illud vacet à die habitæ possessionis secundi, vel ab eo quo per ipsum stetit quominus illam consequeretur, ipsoque sit priuatus, vt expressè deciditur in cap. de multa, §. 1. ibi, eo, ipso iure sit priuatus, &c. de prebendis & dignitat. & in clement. Gratia, de prebendis & dignitat. & in clement. de re script. & in extrauagant. de re script. deinceps, ubi Gloss. in verbo, ipso iure, de preben. quod fuit innouatum per Trident. sess. 7. cap. 4. de reformat. & tradunt Flaminus Parisius de resignat. beneficiorum, lib. 3. q. 1. num. 129. Garcia de benef. 11. p. cap. 5. num. 100. Barb. in collect. ad d. cap. de multa, n. 8. ubi plura tradit.

³ Sequitur exinde, intrusum esse, qui se detinet, & percipit fructus primi beneficii, iam ipso iure vacantis: quodque adeo verum est, vt si primum retinere contenderit, per sententiam secundo beneficio priuandus & spoliandus veniat; vt expressè deciditur in d. cap. de multa, de preben. & dignitatibus, & in cap. dudum, de electione, & probant Nicolaus Garcia de benef. in d. cap. 5. num. 7. late Azor. tom. 2. inst. moral. lib. 7. cap. 16. q. 1. vers. decimum tertium crimen, Valerius Reginaldus in praxi fori penitentialis, lib. 3. tract. 3. num. 309. & tradunt communiter Doctores ab ipsis allegati, apud quos videre poteris, quæ conueniunt ad materiam incompatibilitatis, quam noster sermo non tendit, & ideo in illa non detinemur.

⁴ Quam conuclusionem extende, vt non solum sit vera in beneficiis curatis secularibus, sed etiam in regularibus, in quibus eodem prorsus modo non potest quis duo beneficia curata regularia obtinere, sicut nec secularia; nam certum est, in utroque casu per ademptionem secundi, ipso iure vacare primum, vt patet expressè ex cap. singula 3. & ibi Gloss. verbo, teneatur, de preben. in 6. & ex clementina unica, §. finali, de supplenda negligentia Prælatorum, Hoyeda de incompatibilitate beneficiorum, p. 1. c. 13. n. 14. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 15. n. 48. & per consequens si talis Regularis retineat primum beneficium curatum, adepta iam possessione secundi, erit intrusus.

⁵ Extende secundò prædictam resolutionem, vt procedat etiam, si quis ex dispensatione plura habeat beneficia, nam si aliud curatum præter illa acceperit, non adepta noua dispensatione, erit intrusus in illis, si ea retineat, quia dicta priora beneficia non obstante dispensatione quoad ea, ipso iure vacant per ademptionem vltimi, in quo non fuit dispensatus: vt probat text. in cap. non potest, de preben. in 6. & in clementina si plures, ubi Gloss. verbo, vacare, eodem titulo, & utrobique notant Doctores, vt per Hoyedam in d. cap. 13. num. 15. & Gonzalez in d. gloss. 15. n. 27. qui alios allegant.

⁶ Extende etiam tertio vt locum habeat in eo, qui vi occupat, seu scienter se iniuste intrudit in secundo beneficio curato, quia in primo remanendo dicitur intrusus, cum ab ipso iure sit illo priuatus: cap. cum qui 18. de preben. in 6. ubi ipse textus rationem reddit, Non enim decet, vt stultus melioris, quam peritus conditionis existat, vel quod inuasor eo, qui iuste ingreditur, privilegio gaudeat potiori, &c. & notat ibidem Gloss. & communiter Doctores in verbo, eum qui: quam extensionem refert etiam Barbofa allegando Rotam, Rebuff. & Hoyedam in collect. ad d. cap. de multa, de preben. num. 6. vers. amplia principalem.

⁷ Extenditur quarto, quamuis secundum beneficium curatum non sit sufficiens ad congruam sustentationem; nam etiam si curatus vt eam habeat, indigeat obtinere primum beneficium, cum secundo; eo tamen non obstante erit intrusus in primo, si ambo retineat, ex ea ratione, quia propria auctoritate non potest illud obtinere etiam sub pretextu congruæ sustentationis, quia ipso iure vacat: Et hoc est verum etiam si in contrarium adesset consuetudo: vt aduertunt Abbas in cap. extirpanda, §. qui vero, num. 46. de preben. Hoyeda in d. cap. 13. num. 22.

⁸ Ex eodem fonte dimanat quinto, vt etiam dicatur intrusus in primo beneficio curato licet sit pingue, secundum verò tenue, ex eadem ratione; quia ipso iure vacat, vt probatur in cap. quorundam, 74. distinct. & tradunt Benedi. Capra in tractatu de Regulis & fallent. Regul. 90. num. 62. & Hoyeda in d. c. 13. num. 23. ubi dicunt, hanc esse communem opinionem: & rationem reddunt, quia impurandum est ei, qui uoluit acceptare secundum beneficium tenue incompatible, cum primo pingui.

⁹ Extenditur sexto, vt similiter dicatur intrusus, qui adeptus fuit possessionem secundi beneficii curati, etiam si expressè protestetur, quod non intendit dimittere

B 4 seu

feu renuntiare beneficium primum curatum, vt probat Glossa in *clementin. gratia*, verbo, *renuntiare, vers. Et puto hanc Decretalem, de rescriptis*, quam sequuntur Imola in *d. cap. de multa*, & eo relato Capra in *dict. Regula 90. num. 60.* Hoyeda in *dict. cap. 13. n. 2. 4.* huiusmodi enim protestatio tanquam contraria factio nihil operatur, vt docuit Glos. in *d. clementin. gratia, verbo, renuntiare*, ex textu in *cap. cum M. Ferrariensis, de constitutionibus*, & in *cap. vt quis duas, de electione in 6.* quam extensionem admittit etiam Barb. in *colle. ad d. cap. de multa, n. 6. vers. amplia secundo*, vbi optimam reddit rationem, quia talis vacatio, vel retentio primi curati non inducitur ex ipsius protestantis voluntate, sed ex ipsius iuris dispositione, contra quam protestatio nihil operari potest ex regula text. in *l. nemo potest, de legatis primo*, cum vulgaris.

10 Extenditur vltimò, vt insuper habeat locum etiam stante consuetudine, quod quis possit obtinere duo beneficia curata, quia adhuc dicitur intrusus in primo, si ex sola consuetudine secundum simile curatum consequatur; nam in tali casu non potest consuetudo titulum legitimum attribueri, cum potius sit corruptela, vt probant Innocentius in *cap. nonnulli, de clericis non residentibus*, Abb. in *cap. extirpanda, §. qui vero, num. 36. in repet. de preben.* Berta. in *reperi. verbo, Beneficium, num. 60. vers. beneficiorum sufficientia presupposita, &c.* Et ratio est, quia huiusmodi consuetudo animabus est periculosa, & vt talis in hoc casu nullatenus excuset, ex *cap. finali, de consuet. cap. non satis, cap. cum Ecclesia, de simonia*, & in *cap. vltimo, de pœnis & remissionibus*, Rebellus de *obligationibus iustitia, p. 1. lib. 1. q. 5. n. 4.* & communiter Doctores. Quod autem sit animabus periculosa patet ex *d. cap. quia nonnulli, de clericis non residentibus*. & de hac extensione vide Hoyedam in *d. cap. 13. num. 32. vers. in hac tamen Doctorum controuersia.*

12 Et licet prædicta conclusio, & omnia hucusque in præfenti quæstione dicta, sint certa; in aliquibus tamen casibus admittitur, vt obtinens secundum beneficium curatum non sit intrusus in primo, veluti si vnum ipsorum dependeat ab altero, tunc enim in primo cessat intrusio, quia illud ipso iure non vacat: *cap. eam te, §. 1. de atate, & qualitate, cap. extirpanda, §. 1. de preben. cap. dudum, §. nos igitur, vers. suggestit*, ibi, *Nisi vna penderet ex altera, de electione*, vbi Glos. verbo, *penderet*, & verbo, *intitulatum, post medium, in vers. primo vbi vna*; Hoyeda in *d. cap. 13. n. 33.*

13 Secundus casus est, si quis haberet vnum beneficium curatum in titulum, & aliud in commendam; quia tunc in primo intrusionem non incurret; ex eo quia ipso iure illo non priuatur, vt patet expressè in *d. cap. dudum, §. nos igitur, vers. suggestit*, ibi, *vel vnam intitulatam, & alteram commendatam haberet, &c. de electione*, vbi Glos. in *d. verbo, intitulatam, circa medium, vers. item si habet vnam intitulatam, &c.* Idemque probatur ex *cap. qui plures, 21. q. 1.* & tradunt Sayrus in *floribus decisionum, tit. de preben. decis. 32.* quem refert & sequitur Aloysius Ricci. in *colle. decis. p. 2. decis. 474. vers. limita tertio*, Gonzalez ad *regul. 8. glos. 5. §. 8. n. 65.* vbi refert duas declarationes sacre Congregationis; latissimè Garcia de *benef. p. 4. cap. 4. à n. 34. cum pluribus sequen.* qui agit de hac limitatione; apud quem videre poteris.

14 Tertius casus est, notatu dignus, vt non detur intrusio, quando quis acceptasset secundum beneficium curatum calore iracundiæ, & breui interuallo pœniteret, quia tunc in primo beneficio non dicitur intrusus, cum pœnitere possit, & exinde non vacet, vt tradunt Ioannes Andreas in *cap. de multa, de preben.* & Abbas in *5. colum. vers. extra casum glossa, Felinus in cap. ex litteris, colum. vltima, de diuortis*. Decius in *l. quidquid 48 ff. de regulis iuris*, Hoyeda qui alios allegat in *d. cap. 13. n. 35.*

15 Ratio autem desumi potest ex eo, quia cum iracundia sit quædam accessio sanguinis circa cor, vt docet Aristoteles *lib. 1. de anima*; exinde generat quandam irrationabilem perturbationem mentis, secundum Hugonem *lib. 2. de sacram. ex quo dixit Aristot. lib. 4. Ethicor. cap. 5.* ibi, *iracundi quidam celeriter commouentur, & in quos non decet, & quibus de causis, & vehementius quam sat sit, sed facile, ac citò etiam eorum iras desistit, quod in ijs est optimum, &c.*

16 Hinc est, quod facta, & dicta calore iracundiæ, irrita sunt, ac nullius momenti: ex *l. qui diuortium, §. 1. ff. de diuortis*, ibi, *quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, iudicium animæ fuisse, ideoque per calorem misso repudio, si breui reuersa vxor est, nec diuortisse videtur, &c.* Quod quidem eisdem ferè verbis probatur ex *l. quidquid 48 ff. de regulis iuris, & ex cap. diuortium 33. q. 3. de pœnitentia, distinct. 1.* & tradunt Bartolus, & Iason in *l. si filiam tuam, C. de inofficioso testamento*. & plura ad intentum congerit Tiraquel. de *pœn. temp. aut remit. prima causa n. 24. & sequen.* qui tractatus in aliquibus Codicibus non reperitur; cum tamen

men inuenies in *impressis Lugduni de anno 1574. apud Gulielmum Ronillum, & est medium inter tractatū commentarij ad legem, Bo- ues, §. hoc sermone, ff. de verbor. signific. & al- rerum tract. de privileg. pia causa*, quem omnino circa hunc articulum videbis.

17 Quæ conclusio merito approbatur; nam si non datur perseverantia, dolus, & animus delinquendi non præsumitur, & per consequens cessante delicto pœna releuari debet; & ideo etiam si adeptus fuerit possessionem secundi beneficii curati, motus eodem repentino iracundiæ calore, si incontinenti pœniteat, non censetur vacare primum beneficium quod obtinebat, & consequenter illud retinendo non dicitur intrusus, vt aduertunt Ioannes Andreas, Abbas, & Hojeda vbi supra, contra Antonium de Butrio in *d. cap. de multa*, quem ibidem reprehendit Panormitanus & Benedic. Capra in *d. regul. 90. n. 41.*

18 Quartus casus est, quando acceptans, & apprehendens beneficium curatum, probabiliter ignorabat, se habere primum beneficium curatum, vt quia erat collatum suo legitimo Procuratori, ipso ignorante, vel eo absente & ignaro, ad terminos text. in *cap. accedens, de preben. & in cap. si tibi absenti, eodem titulo in 6.* de quo late Garcia de *beneficiis. 4. p. cap. 2. & 3.* tunc enim non censetur intrusus, quia primum beneficium non vacat ante ipsius acceptationem, & donec certior factus, nolit acceptare: vt per Flamin. Paris. de *resignat. lib. 1. c. 8. n. 5. & 8.* Sanchez de *matrim. lib. 1. disput. 36. n. 4.* Garcia in *d. 4. p. cap. 3. n. 11.* Gonzalez ad *regulam 8. glos. 26. n. 13. & 14.* vbi in sequentibus numeris, varias rationes adducit, & in præfenti fundatur in ea; nam beneficium alicui collatum, ante acceptationem non dicitur suum, vt optimè notauit Quintilianus Mandosius in *Regulas Cancellaria, ad regulam 5. q. 5. n. 6.* & tunc datur optio, vt expressè deciditur in *cap. gratia, de rescriptis in 6.* & docet Garcia de *beneficiis p. 1. cap. 2. n. 125.* & ita hunc casum declarant Capra in *d. regul. 90. n. 63.* & Hojeda in *d. cap. 13. num. 37.*

19 Et ratio est, quia stantè ignorantia obtentionis primi beneficii curati non censetur voluisse renuntiare primum beneficium, per adeptionem secundi, vt probatur ex text. in *l. Mater decedens, in principio, ff. de inofficioso testamento, l. cum Aquilina, ff. de transactionibus, l. Maleficiis, §. longe minus, ff. de obligat. & actionibus*, & tradit Menochius *lib. 2. de Arbitrarijs, centuria 3. casu 201. num. 52.* vbi declarat quænam debeat esse hæc ignorantia.

22 Quintus casus est, quando quis dubitat, an sibi collatum fuerit primum beneficium curatum, nam tunc respectu illius, nulla consideratur intrusio, cum per adeptionem secundi non vacet primum; ex ea nimirum ratione, quia sicut ignorans excusatur ab intrusione, ex motiuis præcedentis casus, sic similiter dubitans, nam iste illi equiparatur: ex traditis à Tiraquello in *l. si vnquam, C. de renouandis donationibus, in præfat. n. 99.* & Pinel. in *authent. nisi, n. 60. colum. 2. C. de bonis maternis.*

23 Tum & etiam, quia renuntiatio non trahitur ad ea, quæ quis dubitat, an sibi competant nec ne; iuxta textum expressum in *l. finali, §. 1. vers. sin autem nescius, & dubitans. C. de furtis*, quem textum ad hoc dixit notabilem, eum commendando Butrig. & Angel. & ad idem intentum adducunt textum in *l. vltima, C. de condic. indebiti, & ita tenet Hojeda in d. cap. 13. n. 47.*

24 Sextus casus est, quando acceptans & apprehendens secundum beneficium, eiusque possessionem, non potest illius fructus percipere, vt puta quia alius ex titulo legitimo cum causa illos percipit, tunc enim non censetur vacare primum, vt probat textus in *cap. si tibi concesso 26. de preben. in 6.* vbi Glos. verbo, *vacare*, adducit aliqua familia, quæ probant hanc conclusionem, & ibidem Dominicus, & Francus. *n. 4.* optimè Staphil. de *litteris gratia, tit. de statu beneficiatorum, §. huiusmodi, n. 14.* & plures referens tradit Garcia de *beneficiis 11. p. cap. 5. n. 123.* Quapropter dici non potest intrusus, cum primum beneficium non vacet.

25 Alios casus similes congerit Alfonso Hojeda in *d. cap. 13. à n. 49. vsque ad 59.* quos non refero, ne in hoc vltèrius immeremur, vt deuenire valeamus ad alias quæstiones, & penes ipsum videre poteris.

QVÆSTIO VII.

Si quis obtineat, vt ei ab Ordinario conferatur beneficium litigiosum, sitque ipsi collatum, & virtute talis collationis se in illius possessionem ingesserit, an dicatur intrusus.

SVM MARI VM.

Intrusus est, qui obtinuit ab Ordinario collationem beneficii litigiosi, possessionemque illius adeptus, in eo se ingessit, n. 1. & 5.
Beneficia

Beneficia litigiosa conferri non possunt, donec lis non sit finita contra superstitem, quia noui contententes non debent dari possessoribus, & litigatoribus. n. 2.
Lites non debent esse immortales. ibid.
Decretum irritans, appositum in dispositione, inficit titulum, & possessionem. n. 3.
Ordinarius si efficiat aliquid contra dispositionem Superioris, in qua adest Decretum irritans, est nullum & irritum, quod contra illud fecit. n. 4.
Beneficia litigiosa solus Papa, & non alius inferior, conferre potest. n. 4.
Ordinarius non potest conferre beneficia litigiosa vacantia intra, vel extra Curiam. num. 5.
Ordinarius si conferat beneficium litigiosum per mortem unius ex pluribus litigantibus, confert quod non potest, & ideo talis prouisus, si beneficium retineat, erit intrusus. num. 6.
Lis in beneficio extincta non dicitur per mortem unius ex litigantibus, sed per cessum, vel decessum aliorum. n. 6.
Obtinens prouideri ab Ordinario de beneficio litigioso, quod vacauit non solum per mortem naturalem Rei, & possessoris, sed civiliter & interpretari, si illud retineat, & fructus percipiat, alijs colligantibus existentibus, erit intrusus. n. 7.
Subrogationem qui obtinuit ab Ordinario de beneficio litigioso in ius cedentis, vel decedentis lite pendente, alijs contententibus existentibus, est intrusus. n. 8.
Beneficia litigiosa tam coram iudicibus Ordinarijs & delegatis, quam coram arbitris, non possunt conferri. n. 9.
Attentata regulariter sunt, gesta per partes pendente compromisso, veluti alienando, cedendo, vel nouum ius impetrando, vel his similia, que Arbitrarij reuocare potest. num. 10.
Intrusus erit prouisus ab Ordinario de beneficio litigioso pendente causa, etiam coram Arbitris. n. 10.
Lis si iniuste & calumniose mota fuerit in beneficio Ecclesiastico, ex eo non impeditur Ordinarius quin illud conferat. n. 11.
Lis quando est calumnia & iniusta, non causat attentata. n. 12.
Titulus beneficij si non sit vitiosus, sed legitimus, non potest dari in eo intrusio. n. 12.
Prouisus ab Ordinario de beneficio litigioso, si lis est inter prouisum, & eum ad quem pertinet electio, non potest incurri intrusio, quia ex tali litis pendencia non impeditur noua electio, si electus decedat, nec ex ea attentata causantur. n. 13.
Litis pendencia inter electum, & eum ad

quem pertinet ius eligendi, non causat attentata, si noua electio fiat. n. 13.

Ordinarius potest superstiti litiganti conferre beneficium litigiosum, si vnus decedat, nec adsit tertius, & tunc talis prouisus liberatur ab intrusione, cum per illam collationem extinguatur lis. n. 14.

Intrusio in beneficijs purgatur, cum ex actu gesto, vel gerendo non causantur attentata, sed inducitur titulus legitimus. num. 15.



BTINENTEM beneficium litigiosum, si consequatur possessionem virtute prouisionis, & collationis ab Ordinario factæ, & in illo se ingesserit; intrusum esse fatendum est; vt patet ex textu in cap. si hi contra quos, vt lite pendente, in 6. vbi prohibetur, quod Dignitates, Personatus, vel alia beneficia litigiosa nullatenus conferantur, donec contra superstitem, lis fuerit finita, & pluribus relatis tradit Gonzalez ad regulam 8. glos. 6. n. 146. Et ratio prohibitionis est duplex: Prima quæ ibi exprimitur, videlicet, quia noui aduersarij seu contententes possessoribus litigatoribus non debent dari; Altera & principaliter est, fauor Ecclesiarum, ne lites fiant immortales; vt tradit Mohedanus decis. 178. alijs 180. Vacante eremitorio. sub titulo, vt lite pendente: quam refert & sequitur Lancellotus de attentatis à tertio: p. 1. cap. 3. n. 98. & 99. & Flaminius Parisius de resignationibus, lib. 2. q. 3. n. 105. & 106.

Cumque prædictus textus statuatur, quod si aliquid contra huiusmodi prohibitionem actum fuerit, eo ipso irritum habeatur: Ergo si quis mortuo reo, & possessore obtineat prouideri per Ordinarium de tali beneficio, & in vim talis prouisionis adipiscatur possessionem, dicitur, & erit intrusus, cum titulum ipso iure nullum habeat, obstante decreto irritante, in dicto textu appposito, quod inficit nedum titulum, verum etiam possessionem, vt pluries declarauit Rota in impressis per Posthium de maintenance post tractatum, in ultima impressione de anno 1647. videlicet decis. 408. num. 4. & decis. 480. n. 8. & decis. 517. num. 5. & decis. 545. n. 1. & decis. 578. n. 9. & in alijs pluribus, & in terminis prædicti textus probat Gonzalez glos. 67. quæ est ultima, n. 36. in fine, cum seqq.

Vnde sequitur, quod per dictum decretum irritans, erit nullum, irritum, & inane, quidquid Ordinarius effecerit conferendo tale beneficium litigiosum, alio, vel alijs colligantibus existentibus, cum remaneat

neat inhibitus, & priuatus ne id efficere queat, in vim prædicti decreti irritantis, contenti in d. cap. si hi contra quos, ex his quæ dixi in meo pastorali interno, part. 1. tract. 4. q. 2. num. 9. & 10. nam cum sit Pontifici referuata collatio beneficij litigiosi, alio colligante superstite, sequitur exinde, quod cum obtinens tale beneficium non consequatur titulum legitimum, erit in illo intrusus si remaneat in eo.

Quod habet locum, ne dum in eo qui obtinuit prouisionem ab Ordinario de beneficio litigioso in Curia, sed etiam si lis extra Curiam penderet, quia cum dictum caput, si hi contra quos, vt lite pendente in 6. indistinctè loquatur, debet etiam indistinctè intelligi: l. de pretio, ff. de public. in rem actione, l. 1. §. quod autem, ff. de aleat. l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præstandis, Riccius in praxi fori Ecclesiast. decis. 419. num. 1. & decis. 605. num. 2. in prima editione, Narbona de appellatione à Vicario ad Episcopum, p. 1. num. 27. Et per hæc, & alia ita docet Mandosius contra Gomez. in tract. de impetrantibus beneficia vacantia per obitum fam. Card. q. 9. n. 6. vers. imo quod plus est, &c.

Notandum est etiam, vt similiter procedat, si essent tres, vel quatuor qui litigarent, & vnus, vel duo decederent: nam si Ordinarius conferret per mortem talis decedentis, ille prouisus esset intrusus: quia collatio, & prouisio facta videtur contra dispositionem prædicti capitis, si hi contra quos. Enimvero cum alij colligantes habeant ius ad tale beneficium, ex clement. 1. §. quod si vnus, vt lite pendente, non potuit Ordinarius illud conferre, nam cum lis non sit extincta nisi per cessum, vel decessum omnium litigantium, vt cum pluribus docet Gonzalez ad reg. 8. glos. 6. num. 150. & 151. sequitur exinde, quod dispositio dicti capitis, si hi contra quos, eodem operatur effectus, & per consequens in dicto casu dabitur intrusio: & ita tenent Dominic. in d. cap. si hi, post præscriptum, & Franc. colum. penultima, in fine, per text. in d. clement. 1. & in terminis ex eodem text. ita defendit Lancellot. de attentatis à tertio, p. 1. in d. c. 3. num. 10 vbi alios allegat.

Secundo idem dicendum est, vt intrusus sit obtinens sibi prouideri ab Ordinario de beneficio litigioso, non solum si illud vacauerit per obitum naturalem Rei, & possessoris; verum etiam civiliter & interpretariuè, puta per translationem ad aliud beneficium, cum in tali casu dispositio dicti capitis si hi contra quos, non solum æqualiter, sed fortius habeat locum: vt optimè cum Archidiacono tradit Lan-

cellotus in d. cap. 3. num. 103. vsque ad 108.

Insuper erit intrusus nedum qui obtinuit collationem ab Ordinario (vt dictum est), sed etiam qui habuit ab eo subrogationem in ius cedentis, vel decedentis lite pendente, vt docet Lancellotus in d. cap. 3. num. 108. vbi allegat quandam Seraphini decisionem, quam reperies in eius impressis tom. 1. decis. 152. idemque tenet Gonzalez in d. glos. 6. num. 143. Quod intellige locum non habere, quando non adest aliquis, qui causam prosequi valeat, tunc enim bene poterit Ordinarius subrogare, vt tradunt Lancellotus vbi proxime, num. 109. & 110. & Gonzalez num. 146. ex ea nimirum ratione, quia cum tunc iam lis videatur extincta, remanet in dispositione iuris, ex quo non habet manus ligatas, & exinde non consideratur intrusio.

Quæ omnia vera sunt, non solum in beneficijs litigiosis coram Iudicibus Ordinarijs, & delegatis, sed etiam si lis agitaretur coram Arbitris, secundum opinionem Franchi, qui post Hostiensem, & Imol. in cap. ex parte, de Verborum significatione, formaliter id tenet in cap. 1. sub num. 4. in glos. in verb. Mori, vt lite pendente, in 6. vbi docet, quod dispositio d. cap. si hi contra quos, locum habet, & intelligi debet eodem modo, quando lis pendet coram Ordinario Iudice, vel delegato, ac quando agitatur coram Arbitro, & ad intentum allegat textum in l. si quis rem, ff. de Arbitris.

Huius autem extensionis ratio desumi potest ex eo, quia regulariter gesta per partes, compromisso pendente, in præiudicium alterius partis, veluti alienando, cedendo, nouum ius impetrando, vel quid simile faciendo, sunt attentata & nullas Arbitrarij potest ea reuocare: vt copiosè tradit Lancellotus in d. cap. 3. num. 112. & de attentatis pendente compromisso, p. 2. cap. 15. num. 121. & 130. cum sequen. Sequitur ergo quod sic ab Ordinario prouisus de beneficio litigioso, dum pendet compromissum, erit intrusus, cum non habeat titulum legitimum: nam illo pendente quidquid factum fuerit, nullum, & attentatum reputatur.

Huc vsque dicta, vera censenda, & intelligenda sunt, dummodo lis calumniosè, & iniuste non fuisset mota, & ad fraudandum ius Ordinarium; vt declarauit Rota penes Cassadorum decis. 7. sub tit. de dolo & contumacia, num. 1. quam refert, & sequitur Lancellotus in d. cap. 3. num. 113. vers. primo nisi lis fuisset calumnia, &c.

Fundamentum huius conclusionis deducitur ex eo, quia quando lis est calumnia,

niosa, non caufat attentata, vt probat Lancelot. in d. cap. 3. num. 14. cum sequen. & exinde cum titulus non sit vitiosus, sed legitimus, & subsistens, nullatenus intrusio considerari potest; & punctim in terminis intrusionis probat hanc conclusionem idem Lancelotus, p. 2. cap. 4. de attentatis lite pendente, limit. 4. num. 3. vbi ferè per totam, varia argumenta adducit, quæ confirmant prædictam doctrinam, & ibidem testatur, ita per Rotam fuisse declaratum in vna Burgen. canonicatus 18. Decemb. 1562. coram Oradino.

13 Ex eadem ratione dimanat, non dari intrusionem, si lis esset inter electum, seu prouisum; & cum ad quem pertinet ius eligendi, aut prouidendi quia ex tali litis pendentia non impeditur alia electio, taliter quod si fiat, non erit attentata: vt cum Fran. Vital. & Innocen. probat Lancelot. in d. prima parte, cap. 3. num. 134. vers. septimo quando lis esset inter electum, &c. & per consequens non potest dari intrusio.

14 Sicut nec etiam daretur, si vnus ex litigantibus decederet, & ab Ordinario fieret collatio talis beneficii litigiosi in fauorem superstitis litigantis, qui quidem solus remanebat, tunc enim non daretur intrusio, quia cum esset ratio d. cap. si hi contra quos, nullatenus incurritur ex eo, quia per talem collationem extinguitur lis, & cum tertio non fiat iniuria: dispositio pœnalis d. cap. si hi contra quos, (quæ in dicto motiuo fundatur) operari non potest; & ideo videtur magis satisfactum menti ipsius, si extinctio litis per hanc viam consequatur: vt notabiliter tradit Lancelotus in d. cap. 3. num. 135. vers. octauo quando Ordinarius; ex quibus deducitur, in tali casu non dari intrusionem.

15 Alios plures casus limitantes primam nostram resolutionem reperies penes Lancelot. in d. cap. 3. à num. 54. cum sequen. qui dimanant ex eodem fonte, scilicet non caufare attentata: quibus cessantibus inducitur titulus legitimus, eoque existente, purgatur intrusio, illòsque referre consultò omitto, cum breuitati consulam, & apud ipsum videre possis.

QVÆSTIO VIII.

An ingrediens propria auctoritate beneficii possessionem, cuius canonicum titulum habet, intrusus dicatur.

S V M M A R I V M.

Beneficiarius habens canonicum titulum, an possit propria auctoritate apprehendere beneficii possessionem, si à nemine sit occupata. n. 1.

Possessionem beneficii non potest quis apprehendere propria auctoritate, etiam si habeat canonicum titulum, sed requiritur auctoritas Superioris. n. 2. & 4.

Contraria sententia defenditur. num. 5. & sequent.

Creditor non potest propria auctoritate vendere bona iudicati, sed requiritur facultas Iudicis. n. 2.

Emptor non potest propria auctoritate apprehendere possessionem rei emptæ. n. 3.

Dominium transfertur in beneficialibus ex solo titulo legitimo, & canonico, non tamen possessio, quæ requirit apprehensionem, quam habet plus facti, quam iuris. n. 4.

Adipiscens possessionem beneficii propria auctoritate, non est intrusus, nec venit puniendus pœnis intrusionis, si habeat canonicum & legitimum titulum, & alius non sit in possessione. n. 5.

Prouisus in beneficio potest illud administrare ante apprehensam possessionem, si habeat canonicum titulum, nec alius possideat. n. 6.

Possessio beneficii apprehensa propria auctoritate per habentem canonicum titulum, & nemine possidente, operatur omnes effectus vere possessionis. n. 7.

Apprehendens propria auctoritate possessionem beneficii, cuius canonicum titulum habet, licet non sit intrusus, nec pœnis intrusionis puniendus veniat, aliquam tamen meretur. n. 7.

Quod intellige vt n. 8.

Pœna vt imponi possit, necesse est culpam præcedere. n. 8.

Culpa caret in vtroque foro, qui operatur cum opinione Doctorum. n. 9.

Habens canonicum titulum in beneficio non potest propria auctoritate illius possessionem apprehendere, sed tenetur id efficere cum facultate illius, qui contulit. n. 10.

Beneficij possessionem qui propria auctoritate, & sine canonico titulo ingreditur, est intrusus. n. 11.

Intruso

Intrusio in beneficialibus cessat, quoties adest legitimus, & canonicus titulus. num. 12. & 14.

Adipiscens propria auctoritate possessionem beneficii, cuius canonicum titulum habet, est intrusus, si alius sit in possessione; secus tamen si hæc sit vacua. n. 12.

Prouisus, & electus in beneficio, cuius canonicum titulum consequutus fuit, potest propria auctoritate possessionem illius apprehendere, dummodo in ea non sit alius, cui violentiam faciat. n. 13.

Violentus possessor potest esse aliquis, sed ex eo non sequitur, quod sit intrusus. n. 15.

Dictio, seu, de sui natura cadit inter diuersa. num. 15.

Violentus possessor longè differt ab intruso in beneficio. n. 16.

Intrusus definitur, vt sit ille, qui obtinet, vel retinet beneficium, sciens nullum ius canonicum sibi in eo competere. n. 17.

Violentus possessor beneficii incurrit in pœnas c. eum qui, §. vlt. de præben. in 6. n. 17.


Existimans se habere legitimum titulum cum vere non habeat, licet propria auctoritate possessionem adipiscatur, non est intrusus; erit tamen violentus occupator. n. 18.

Violentus bone fidei spoliator beneficii, alias non habens titulum, ex hoc solo quod est violentus, non debet dici intrusus. n. 19.

Etiam si postea notitiam habeat iniusti tituli. num. 20.

Sed hoc non est verum. n. 21.

Possessor violentus beneficii, occupado illud bona fide, non incurrit vitium intrusionis; sed si superueniat scientia iniusti tituli, nõ potest illud retinere, alias erit intrusus. n. 22.

 VIVS quæstionis resolutio pendet ab altera, valde inter Doctores controuersa, vtrum scilicet Beneficiarius, qui titulum habet canonicum, licetè possit propria auctoritate beneficii possessionem apprehendere, si à nemine detineatur? quam lato calamo disputat Couarru. lib. 3. var. resol. cap. 16. n. 6. & seqq. & eo relato cum aliis pluribus Flamin. Paris. de resignat. benefic. tom. 2. lib. 10. q. 6. à n. 27. qui varia argumenta, & rationes pro vtraque parte allegant: & tandem Couarru. num. 8. & Paris. n. 38. & copiosè Menoch. de adipiscenda, remed. 6. n. 34. & seqq. cum Maranta de ordine iudiciorum, dist. 10. principali, n. 13. & Rebuff. in commentarijs ad Regias constitutiones Gallie, tom. 3. tit. de materijs possessorijs, in præfatione, n. 219. tenent, talem Beneficiarium habentem titulum canonicum, non posse licetè propria auctoritate apprehendere. Tract. de Intrusione.

dere beneficii possessionem, sed requiri illà Iudicis, vel Superioris habetis talem potestatem; qui fundantur in l. Miles, §. qui iudicati, ff. de sententia & re iudicata, vbi deciditur, quod iudicati bona non potest propria auctoritate creditor vendere, sed requiritur ministerium, & auctoritas Iudicis: sicut nec etiam emptor potest apprehendere possessionem rei venditæ, l. si ex stipulatione, ff. de acquir. possess. vt notant Bartol. & cõmuniter Doctores in l. prædia, & in l. fundi emptor, ff. eodem titulo; alias punitur pœnis in dictis iuribus contentis, & videtur expressè decifum in cap. Pastoralis, vers. ad quod respondemus, de priuilegijs, vbi Gloss. in verb. in possessionem, idem probat.

Ex quibus dicendum venit ad propositam quæstionem intrusum iudicandum esse, ingredientem possessionem beneficii propria auctoritate; quamuis titulum habeat canonicum: quia licet in beneficialibus ex solo titulo transferatur dominium, vt patet ex text. in cap. si tibi absenti, de præben. in 6. & tradunt communiter DD. in cap. cum M. de constitutionibus, vt per Innocen. & Compostel. non tamen possessio sine apprehensione; quia habet plus facti quàm iuris, cap. cum nostris, de concessione præbend. l. cum hæredes, ff. de acquirenda possessione, Baldus in l. 1. C. de rerum permutatione, Anton. Faber in Rationali, ad text. in l. denique, §. 9. ex quibus causis maiores, litera D. fol. mihi 693. Et ex ea ratione, Superioris facultas requiritur ad factum exequendum; & illa cessante, potestatem non habet Beneficiarius se ingerendi; & si id effecerit, iudicandus erit intrusus, ex his quæ diximus supra, q. 2. n. 31. vers. septimo erit intrusus, quam sententiam defendunt Cosmas in pragmat. sanctione, tom. 2. sub tit. de pacificis possessoribus, in Gloss. verbo, Non violentus, vers. sed debet facere, &c. quem refert & sequitur Ludouicus Gomezius ad regulam de triennali possessore, q. 48. Rebuffus in praxi, p. 1. tit. forma & declaratio noue prouisionis, in par. 4. Bullæ, verbo, per se, vel per alium, vers. item vult. pag. mihi 143. in impressis Lugduni, de anno 1580. vbi pro hac sententia allegat Panormitanum, Felium, & Petrum de Perus. quos etiam refert Flamin. Paris. de resignat. beneficiorum, lib. 10. q. 6. n. 30. licet ipse contrariam doceat, vt dicemus infra, n. 9.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam veriore, & tenendam iudico, videlicet adipiscentem propria auctoritate possessionem beneficii, cuius canonicum, & legitimum titulum habet, non esse intrusum, nec pœnis intrusionis puniendum fore, dummodo id efficiat

C alio

alio in possessione non existente, sed omnino ea remanente vacua.

6 Enimvero cum prouisus per titulum canonicum ante apprehensam corporalem possessionem administrare possit, si alius non possideat, ut probat text. in cap. *transmissam* 15. ibi, *Confirmationem accepistis, de electione*; ex eo intrusionem non committere fatendum est, ut plures allegans late tradit Barb. in collect. ad d. cap. *transmissam*, n. 3. vbi disputat hunc articulum, & longa manu Couarr. lib. 3. var. c. 16. n. 6. & 7. vers. *tertius casus*, vbi n. 8. vers. *at si quis*, &c. optime probat, possessionem beneficij apprehensam propria auctoritate ab habente canonicum titulum nemine possidente operari effectus iustæ & veræ possessionis, quamuis ipse Couarr. dicat, talem apprehendentem possessionem propria auctoritate puniendum fore, pœna aliqua non admodum graui propter grauitatem communis sententiæ.

7 In quo cum eo non conuenio; nam ad hoc ut pœna imponatur, debet supponi culpa: ut docet S. Thomas *secunda secundæ* q. 108. artic. 4. in solut. art. Gutierrez *canonicarum quest. lib. 2. c. 30. n. 12. cum sequen.* & alij plures relati per nostrum Cenedo in collect. ad sextum collect. 1. num. 2. cum igitur in præfenti, culpa considerari non possit, pœna imponenda non est.

9 Quod autem culpa non reperiatur, patet, nam aut talis potuit uti opinione, quam ipsemet Couarr. defendit, vel non: Quod potuerit, suadet ex eo, quia erat fretus auctoritate tantorum Doctissimorum Doctorum, illam tenentium; quo casu in utroque foro culpa carebat, ut est concursus omnium sententia in cap. *Capellanus*, per eum text. de feriis, vbi Glossa, & ibi Anton. de Butri. quem refert & sequitur Gutierrez lib. 1. *Cano. q. c. 9. n. 12. & sequen.* Castadorus *decis. 3. sub tit. de constit. n. 11. & sequen.* Aut uti non poterat tali opinione; & hoc dici non potest, tum quia ipsemet Couarr. eam defendit validissimis fundamentis n. 8. vers. *& si quis*; Tum & etiam, quia est communis plurimorum Doctorum, ergo culpa considerari non potest, ac per consequens nec pœna, etiam modica, imponi potest; & ideo retenta prædicta opinione scilicet non esse intrusum, eam defendunt Hostien. Ioan. Andr. & Anto. quos refert & sequitur Milis in repert. verbo, *Intrusus*, Abbas, Selua & Ripa relati & sequuti per Paris. de resignat. lib. 10. q. 6. n. 30. vers. in contrariam, vbi affirmat, ita fuisse firmatum in Rota coram Cantuccio, in vna Romana Capellanæ 4. Maij 1576. in qua fuit responsum, quod doctrina Rebuffi, & aliorum contra-

rium tenentium, procedit in capiente possessionem beneficij per se, & propria auctoritate, sine legitimo & canonico titulo. Et ut veritas huius sententiæ clarius pateat, notandæ sunt sequentes considerationes.

Prima sit, quod licet concederemus, veram esse opinionem tenentium, habentem canonicum titulum non posse propria auctoritate possessionem apprehendere, sed teneri id efficere auctoritate illius qui beneficium contulit, ut in d. c. *Pastoralis, de priuilegiis*, cum aliis supra citatis; Exinde tamen non sequitur, intrusum esse: Nam ut talis dicatur, necessarium requiritur quod sit ne canonico & legitimo titulo, & propria auctoritate ingrediatur beneficij possessionem; ut optime probat Milis in repertorio verbo, *Intrusus*, vbi copulatiue requirit factum proprium adipiscendi possessionem, & carentiam tituli canonici, & vno ex eis deficiente, non dari intrusionem; ut patet ex his quæ diximus supra q. 1. num. 3. & sequen.

Vnde cum in præfenti titulus canonicus reperiatur, fatendum est, intrusionem cessare; dummodo non sit alius in possessione, quia tunc in ipsius præiudicium id efficere nequit, & in hunc sensum intelligendi sunt Cosmas, Rebuff. & alij relati per Barb. in *Pastor. p. 3. allegat. 57. n. 20.* dum docent, apprehendentem possessionem propria auctoritate, esse intrusum, quod & nos fatemur, si omnino non sit vacua: quia si vacua existat, ita ut à nemine occupetur, tunc enim non incurretur intrusio, si habens canonicum titulum propria auctoritate possessionem ingrediatur; secus tamen erit, casu quo tertius sit in possessione: & in eo loquuntur Rebuff. & alij, quia tunc non potest propria auctoritate possessorem expellere, nec possessionem apprehendere; & si fecerit, erit intrusus: c. eum qui, de præben. in 6. Ripa in c. *scilicet, de restitu. spoliat. num. 68.* Quod quidem videtur de mente ipsius Rebuffi nam in *praxi. p. 1. sub tit. de missione in possessionem*, postquam n. 2. dixit, non posse prouisum, vel electum, propria auctoritate apprehendere possessionem; subdit, n. 3. per hæc verba: *Non tamen esset priuatus iure, qui possessionem apprehenderet nisi violentiam adhiberet illi, qui iam est in possessione: 10. de Selua in tract. de benef. in 3. p. q. 15. Et quando alius est in possessione beneficij, non licet propria auctoritate possessionem accipere, d. l. si ex stipulatione, ff. de acquirenda possessione, alijs spoliat possessorem: d. cap. eum qui, &c.* Ex qua doctrina videtur, se Rebuff. declarare in eo, quod ibidem subdit numero 37. Et ideo potius ad

ad nostrum intentum, quam contra, loquitur.

14 Nec similiter contradicit alia doctrina ipsius Rebuffi in *praxi sub tit. noua prouisionis, in verbo, per se, vel per alium*, quam adduximus supra, n. 4. Quia loquitur, & debet intelligi de capiente possessionem ministerio proprio, & sine auctoritate Superioris, hoc est absque confirmatione, & sic sine legitimo titulo: quo deficiente sine dubio erit intrusus: ut late diximus supra, q. 3.

15 Et ut ulterius veritas nostræ doctrinæ clarius pateat, notabiliter aduertendum est, posse aliquem esse violentum possessorem, sed exinde non sequitur esse intrusum, ut patet ex textu in c. eum qui 18. de præben. in 6. ibi, *vi occupat, seu se scienter iniuste intrudit in eo, &c.* ponderando dictionem illam, *seu*, quæ de sui natura cadit inter diuersa: ut cū Gonzal. glos. 48. n. 17. tradit Barb. de diction. *usu frequent. dict. 363. n. 2.* Ex quo sequitur, apprehendentem possessionem vacuam, non solum non incurere intrusionem, verum nec etiam si in illa alius existat, & per vim eum expellat, dummodo habeat canonicum & legitimum titulum; qui tamen si dicatur violentus possessor, non tamen dici poterit intrusus, ut notabiliter aduertit Dominicus in d. c. eum qui, in secundo notabili, per eum textum, vbi inquit esse notandum pro rescriptis, quæ dicunt, *dum tamen non fuerit intrusus, &c.* nã si quis haberet canonicum titulum, ad eum effectum non diceretur intrusus, licet per vim occupauerit beneficium: quam sententiã tuentur Milis in repert. verbo, *Intrusus*, vers. *imo habens canonicum titulum*, Decius, Felin. & Ludou. Gomezius quos refert & sequitur Couarr. in d. lib. 3. var. resol. c. 16. n. 7. vers. *illud prætermittendum non est*, vbi variis rationibus hanc conclusionem comprobatur.

16 Quæ verior apparet ex definitione Intrusivi: nam is dicitur, qui accipit, & retinet beneficium Ecclesiasticum, sciens nullum ius perfectum & canonicum sibi in eo competere: ut diximus supra, q. 1. n. 2. & 3. Vnde qui scit se ius habere, & sic titulum legitimum & canonicum, quamuis occupet beneficium, non diceretur intrusus, licet (ut dictum est) appellari debeat, & sit violentus possessor, & incurrat in pœnam d. c. eum qui, §. *ult. de præben. in 6.* & illa violenta possessio, seu occupatio operabitur, non incurtionem intrusionis, sed violenti possessoris, scilicet ut priuetur omni iure quod habet in beneficio: Et hoc est verum, tam si possessor resistere vel non, conatus fuerit: nam si eo inuito, talis occupator adeptus fuerit possessionem, in utroque casu incurrit in

Tract. de Intrusione.

pœnam d. c. eum qui, §. *finali*, ut late probant Lapus *allegat. 127. n. 3. & 4.* Oldrad. *conf. 319. n. 1. circa medium.*

Et prædicta non solum procedunt in habente titulum legitimum & canonicum, verum & etiã locum habent in eo, qui cum titulo legitimo vi occupat beneficium ab alio possessum, & quod magis est, etiam si sine titulo fiat: dummodo tamen existimet titulũ habere in quibus casibus non erit dicendus intrusus, licet sit violentus possessor.

Et ratio est, quia non fuit ingressus possessionem, sciens se in eo ius non habere, cum existimet se fretũ esse titulo legitimo: quo casu posse etiam vi occupare beneficium, docuerunt Dominicus & Fran. in d. cap. eum qui, eorumque auctoritate idem docet Gomez. in d. regul. de trienniali q. 1. n. 1. vers. *circa primum*; dicens, quod violentus spoliator, aliã non habens titulum, ex hoc solo quod est violentus, non debet dici intrusus, & ita firmat Couarr. in d. lib. 3. var. c. 16. n. 7. vers. *illud prætermittendum non est*, vbi respondet Milli in repertorio, verbo, *Intrusus non dicitur*, qui contrarium docere videtur, & eius dictum intelligit Couarr. (& bene) de eo qui scienter occupauit, cognoscendo sibi titulum deesse, quo casu erit vere intrusus, ut patet ex definitione intrusionis superius tradita num. 17.

Immo voluit Couarr. in d. n. 7. in vers. *illud prætermittendum non est, in fine*, locum habere, etiam si occupas per vim sciat postea, quod per talem occupationem violentam, ipso facto se ius proprium quod habebat amisisset, per text. in d. c. eum qui, §. *ultimo, de præben. in 6.* & quod talis, adhuc non erit intrusus, persistendo etiam in beneficio.

Verum salua pace sapientissimi, & Doctissimi Couarr. eius doctrina admitti non potest; nam ille occupator qui scit, nullum ius habere ad beneficium, iniuste illud retinet, ac per consequens manifeste patet, intrusum esse ex eo, quia cum per bonã fidem non se posset tueri, ex qua aliquis titulus oriebatur; per superuenientiam illegitimi, & non canonici tituli caret qualitate requisita ad euitandam intrusionem; nam ei defunt canonicus titulus, & bona fides, sine quibus intrusionem euitare non potest; ut probatur ex his quæ diximus supra, q. 1. & ex Milis in repertorio, verbo, *intrusus videtur, in fine*, vbi ita ait: *Et ex hoc videtur, quod postea iniuste retinendo dicatur intrusus, &c.* & optime probat Gigas in *Epitome de intrusione, num. 6. in fine.*

Et sic patet, quod licet violentus, bona fide per vim occupando beneficium in quo existimabat titulum canonicum habere,

non incurrat vitium intrusionis, ut probauimus supra; tamen superueniente postea scientia, & notitia iniusti & vitiosi tituli si retinet iniuste beneficium vi occupatum, intrusionem incurret, cum sine titulo possideat, nec aliquod ius in eo habeat, nec bona fide se tueri possit; & ideo opinio Couarruiæ circa hunc articulum non est admittibilis, maxime cum aliquod fundamentum non adducat, ex quod id probari possit; & nostra sententia plenius patebit ex dicendis infra in quest. 2. 8. vbi agemus de illa disputatione Quis dicatur intrusus bone, vel male fidei.


QVÆSTIO IX.

Simoniacus an dicatur intrusus, vel qui cum titulo Simoniaci beneficium possidet.

S V M M A R I V M.

Beneficium qui obtinet per Simoniam, est intrusus, n. 1. & 10. cum sequen.
Sed contra, n. 6. & sequen.
Simoniacus ipso iure priuatus existit beneficio, & in eo nullum ius habet, n. 2.
Beneficium retinens, quo ipso iure priuatus existit, intrusus dicitur, n. 2.
Dignitates Ecclesiasticas qui obtinet Simoniacè, ipso iure est illis priuatus, & inhabilis ad alias obtinendas, simulque tenetur ad restitutionem fructuum, quos percepit, n. 3.
Simoniacus ut retinere possit beneficium, per Simoniam acquisitum; & fructus ex eo perceptos non teneatur restituere, solus Pontifex dispensare potest, n. 4.
Simoniacus non solum priuatur ipso iure beneficiis per Simoniam adeptis, sed etiam aliis ritè & rectè obtentis, n. 5. & 7.
Simoniacus non est intrusus, n. 6.
Ecclesia læsa propter negligentiam procuratoris, qui ipsius iura non produxit, restitui debet, n. 7.
Intrusus est ipso iure priuatus beneficiis, n. 7.
Impedito non currit semestre, datum à iure ad eligendum, seu conferendum, & computandum est à die sententiæ, & non ultra, n. 7.
Intrusus dicitur, qui in beneficio titulum penitus nullum habet, n. 8.
Simoniacus habet titulum in beneficio, licet inualidum & vitiosum, ex eo tamen non potest dici intrusus, n. 8. & 9.
Simoniacus differt ab intruso; nam iste est, qui nullum coloratum titulum habet; ille verò, qui eum obtinet, quamuis sua culpa elidibilem, n. 8.
Quod intellige ut n. 17.
Intrusus non debet dici aliquis in beneficio ex

eo solo quod à iure sit illo priuatus, n. 9.
Beneficium qui per vim ingreditur, ipso iure est eo priuatus, quamuis habeat titulum coloratum, nec exinde reputatur intrusus, n. 9.
Quod intellige ut n. 12.
Retinens beneficium, quo ipso iure est priuatus, dicitur intrusus, n. 10. & 11.
Simoniacus ipso iure est priuatus beneficio, & ideo si illud retineat, erit intrusus, n. 11. & 16.
Opinio que contrarias sententias distinguit, sequenda est, n. 12.
Distinguens opiniones proximus est veritati, n. 12.
Intrusus non est, qui vi occupat beneficium ex illo actu violenta occupationis; erit tamen, si postea illud retineat; dummodo aliquo legitimo, & canonico titulo non fuerit munitus, n. 13. & 16.
Violentus possessor non est intrusus, si aliàs habeat canonicum & legitimum titulum; secus tamen si eo careat, n. 14. & 16.
Possessor violentus beneficii perdit ius quod in eo habet, & ideo erit intrusus si postea illud retineat, n. 14.
Simoniacus nullum titulum coloratum habet in beneficio, in odium delicti; & ideo erit intrusus si illud retineat, n. 15.
Simoniacus est incapax, & priuatus beneficio, tanquam detentor rei furtiua, ex eo instanti commissa Simonia, n. 16.
Intrusus esse potest aliquis in beneficio pluribus in casibus, licet aliàs habeat aliquem titulum, cum aliunde intrusio originem habere poterit, n. 17.
Fur & latro dicitur omnis Simoniacus, n. 18.
Intrusus, & Simoniacus sunt fures, & latrones, nec habent titulum, licet eis videatur, quod dimittere non debent eam facti possessionem, quam habent, n. 18.
Vitium furti purgari non potest, nisi in potestatem Domini res furtiua redeat, n. 19.
Simoniacus non potest purgare vitium furti, quod commisit, retinendo beneficium Simoniacè obtentum, & ideo erit intrusus, & iniquus possessor, n. 20.

 Vt beneficium cum titulo Simoniaci obtinet, intrusum esse voluit Cardinalis in cap. nisi cum pridem, de renuntiati. quem refert & sequitur Felinus in cap. in nostra, in secundo corollar. n. 13. vers. & caue, quia vult Imola; de rescripti. & suam probat sententiam hoc argumento.

Omnis Simoniacus ipso iure est priuatus beneficio, & in eo nullum ius habet: Sed retinens beneficium, quo ipso iure est priuatus, dicitur intrusus, ut latè diximus supra q. 2. n. 5. cum pluribus sequen. Ergo Simoniacus

moniacus est intrusus. Ad quod allegat Brix. in suo reperiario, verbo, Intrusus.

- 3 Quod autem Simoniacus sit ipso iure beneficio priuatus, apertè constat ex constitutione Pauli II. in extrauaganti 2. quæ incipit, Cum deestabile, sub titulo, de Simonia, quæ fuit innouata per Pium V. in alia constitutione, sub dat. Roma Kalendis Aprilis anno 1566. incipiente, Cum primum Apostolatus officium; quam reperies in Bullario Cherub. tom. 2. inter constit. Pij V. const. 5. vbi in 8. & ut Simoniacè prauitatis 8. in vers. qui dignitates, pag. 179. in nouissima impress. de anno 1655. ita ait: Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas & quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos percepit restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea & quacumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda &c. Et de hoc articulo optime Stephan. Quaranta in summa Bullarj, verbo, Simonia, vers. caueat, fol. mihi 471. qui ita ait.
- 4 Caueat autem Pœnitentiarius, ne in absolutionibus à Simonia reali, vel conuentionali, etiam occulta, vnquam concedat, ut ipsi Simoniaci beneficia super quibus Simoniam commiserunt, seu pecunia, vel alia re pro illis recepta, aut fructus exinde post commissam Simoniam perceptos in toto, vel in parte retinere possint. Quinimo in absolutionibus huiusmodi apponatur clausula, quod vterque ad beneficium, super quod fuit commissam Simoniam, perpetuò inhabilis existat. Hactenus verba Pij IV. per quæ, ut asserit Toletus in sum. lib. 5. cap. 93. dictus summus Pontifex reseruauit sibi dispensationem, in retinendo beneficio, & fructibus per Simoniam conuentionalem, & occultam commissam.
- 5 Secundo amplia, ut dicta priuatio censetur ipso iure facta, ut non solum de beneficiis, super quibus est commissam confidentia, sed etiam de aliis antea ritè & licitè obtentis: ita ex vi verborum constitutionis Pij V. colligi per plura docet Parisius in tract. de confidentiis. q. 58. num. 31. & infra, Quod nota quoad multos effectus qui resultant ex amissione beneficiorum ipso iure, de quibus per Hojedam in tract. de incompatibilitate beneficiorum cap. 13. n. 59. & sequen. p. 1. Hæc Quaranta. Cui adde Gutierrez canon. quest. cap. 9. n. 3. Cassador decis. 1. sub tit. de Simonia, n. 4. & 7. Ludouic. Gomez. in regul. de triennali q. 47. n. 3.
- 6 Contrariam tamen sententiam plures

tuentur, scilicet quod Simoniacus non sit intrusus, Imola in cap. Nisi cum pridem, n. 10. in vers. in eadem glossa, Innocentius in cap. nihil, in glossa magna, circa medium, de electione, Cardin. Alex. in cap. propter, n. 4. vers. & ideo ibi Innocentius, 19. distinct. vbi allegat pro se textum in cap. 2. de in integrum restitutione. Sed ille textus ad intentum nihil facit cum solum probet, quod Ecclesia læsa propter negligentiam procuratoris, qui ipsius iura non produxit debet restitui.

Similiter adducit textum in cap. eum qui, de praben. in 6. qui potius contrarium probat, nec ex eo aliquid in eius fauorem deduci potest: nam ita ait; Eum qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter iniuste intrudit in eo; decernimus, ipso iure fore priuatum beneficio, &c. Ergo cum ipso iure sit priuatus, potius fauet fundamentis, in quibus contraria sententia fundatur.

Tertiò allegat textum in cap. quia diuersitatem, de concessione praben. qui textus solum probat, quod semestre datum à iure ad eligendum, seu conferendum, non currit legitime impedito, nec postea, nisi tantum à die notitiæ.

Et præterea Card. Alex. adducit etiam pro se Innocen. in cap. 2. de institut. & Baldum in cap. inter ceteras, de rescripti. Sed profectò patet ex dictis, quod iura prædicta nullatenus faciunt ad intentum, nec ex eis aliquod deducitur fundamentum, quod eorum opinioni faueat: Quam intendunt etiam probare ex eo, quod intrusus dici debet, qui nullum penitus titulum in beneficio habet; sed Simoniacus habet titulum, licet inualidum & vitiosum; ergo intrusus dici non potest. Secundo quia differentia constituenda est inter Simoniacum, & intrusum; nam iste erit, qui titulum saltem coloratum non habuerit, iuxta notata in cap. cum nostris, de concessione praben. & diximus supra, q. 1. n. 2. & q. 2. ferè per totam, sed Simoniacus habet titulum coloratum, quamuis sua culpa elidibilem; ergo cum titulum habeat, dici non potest intrusus: quibus fundamentis hanc eandem opinionem defendit Gigas in Epit. de intruso n. 65. & 66.

Ad argumenta Felini respondent Cardin. Alex. & Gigas vbi supra, non beneficii consequentiam, quam deducunt Doctores primæ sententiæ, videlicet, Petrus est priuatus ipso iure beneficio quod obtinet, ergo illud retinendo erit intrusus quod quidem non sequi intendunt probare ex text. in cap. eum qui, de praben. in 6. vbi habetur, quod qui per vim beneficium ingreditur licet alias habeat titulum coloratum, ipso iure est priuatus beneficio, sed ex eo non reputatur

ratur intrusus; ergo priuatio ipso iure non est sequela intrusionis. Ex quo infert Dominicus *ibid.* ad rescripta habentia clausulam, *Dummodo non sit intrusus*, &c. quod per vim occupans beneficium, licet titulum habeat illegitimum, non ex eo debeat reputari pro intruso ad effectum prædictæ clausulæ. Quod etiam tenet Francus *in 2. notabili.*

10 Hæc sunt fundamenta, quibus præallegati Doctores pro utraq; parte suas tulerunt opiniones; Meo tamen paruo videri, primam veriore, & tenendam iudico, nec ab ea recedendum; cum ratio adducta per Felinum, magni sit ponderis, quæ etiam suaderet ex his quæ diximus *supra*, q. 2. n. 5. & sequen. & præter auctoritatem Brixien. quem allegat Felinus, adde contra Simoniacum, Couarruu. Zerol. & Riccium, quos ad intentum adduximus *supra*, q. 5. n. 34. qui Doctores inter alias species intrusionis eam constituunt, quæ ex simonia procedit.

11 Et præterea, *supra*, in dicta q. 2. ferè per totam, latè probauimus, quod retinens beneficium, quo priuatus est, siue per sententiam hominis, vel ipso iure, est intrusus, si illud retineat: ergo bona est consequentia Felini & aliorum; videlicet, *Simoniacus ipso iure est priuatus beneficio, ergo si illud retineat, erit intrusus.*

12 Nec contra hoc obstat instantia Gigantis, quod occupans vi beneficium, eo sit priuatus ipso iure; & tamen quod non dicatur intrusus: Distinguendo namque tempora conciliabimus iura, & opiniones: nam vt ait Surdus *cons. 58. num. 5.* opinio quæ distinguendo concordat contrarias sententias, admittenda & tenenda est; nam distinguens, proximus est veritati: & ad probandam hanc conclusionem plures *ibidem* allegat. Quibus iunge Fontanellam *de patris tom. 2. claus. 5. glos. 8. parte 9. n. 34.*

13 Fateor equidem, intrusum non esse occupantem vi, ex illo actu violentæ occupationis; dicitur tamen intrusus retinendo beneficium, si aliàs legitimo, & canonico titulo non fuerit munitus; quia cum violentus ingressor, sit ipso iure priuatus, caret titulo obrento per priuationem inductam à iure; & ideo est verum dicere, ex illo actu violentiæ non esse intrusum, sed ex mora subsequuta retentionis, stante priuatione ab ipso iure inducta sine aliquo hominis ministerio. Quod suadet ex his, quæ diximus *supra* q. 5. & in q. antecedenti, num. 15. & sequen. vbi probauimus violentum possessorem non esse intrusum, si titulum legitimum & canonicum habeat; secus tamen si eo careat.

Vnde sequitur, quod cum violentus possessor, per violentiam perdat ius, quod habebat ex dispositione textus *in d. cap. eum qui, de præben. in 6.* & patet idem in delictis *supra* enumeratis *in quest. præcedenti*, n. 17. colligitur, quod si talis delinquens priuatus ipso iure beneficio propter delictum commissum, permaneat, & retineat beneficium, quo priuatus est, occupabit illud sine titulo. Vnde infertur, quod cum Simoniacus in odium delicti nullum coloratum titulum obtineat, vt probat Cassadorus *in d. decis. 1. sub tit. de simonia, num. 6. & 7.* immò illo sit priuatus; deducitur, quod per retentionem reputari debet pro intruso, & pro tali haberi, cum sit omnino incoloratus possessor, licet alias violentus dici non possit, nec pro intruso qualificari ex solo actu violentiæ, sed simul ex eo quod retinet postea beneficium, & fructus percipit sine titulo per violentiam perpetratam, quod sufficit ad inducendam intrusionem. Et ideo bene sequitur, quod violentus ex solo actu violentiæ non est intrusus, si aliquo titulo colorato fretus fuerit, quod quidem in simoniaco nullatenus verificari potest, nam ex illo instanti consummata simoniæ, est priuatus & incapax beneficii; ac incoloratus possessor, tanquam detentor rei furtiue, vt dicemus *infra*, num. 18. & sequen. ex quibus valet argumentum, quod Simoniacus est priuatus ipso iure; ergo intrusus si permaneat in illo.

Nec similiter obstat, quod dixit Imol. *in d. cap. Nisi cum pridem*, n. 7. ad constituendam differentiam inter Intrusum, & Simoniacum: quod intrusus sit, qui in beneficio quod obtinet nullum penitus habet titulum, & quod illud obtinet Simoniacus, et si elidibilem. Nam licet verum sit, eum reputari intrusum, qui nullum penitus titulum habeat, ex inde tamen non sequitur absolute, quod qui titulum habeat non sit intrusus: in pluribus enim casibus, de quibus mentionem fecimus *supra*, q. 2. id verificatur: & num. 34. diximus de Simoniaco. Maximè si sublato colore, per quem ab initio potuit obrinere beneficium, illud retineat, & fructus ex eo percipiat; & ideo pluries verificari potest, esse aliquem intrusum, quamuis fretus existat aliquo titulo, qui pro legitimo & colorato haberi non potest: nam aliunde intrusio oriri potest, vt in Simoniaco, de quo *supra*, in d. quest. 2. num. 34.

Et tandem notandum est, quod omnis Simoniacus, fur est & latro, vt aperte constat *in cap. ordinationes 113. in fine, prima, quest. 1.* & tradunt Hieron. Gigas *in Epit. de*

de intruso, n. 67. Cassadorus *in dict. decis. 1. sub tit. de simonia*, n. 7. in fine, vbi ait, quod Simoniacus, & intrusus, sunt fures, nec habent titulum; licet sibi videatur, quod non debeant dimittere eam possessionem facti, quam habent.

19 Vnde sequitur, quod cum vitium furti purgari non possit, nisi res furtiua redeat in potestatem Domini, vt *in cap. 1. si res aliena*, 14. q. 6. & probat Glossa *in dict. cap. ordinationes*, verbo, *Fures*, & tradunt communiter Doctores; sequitur exinde, quod si Simoniacus retineat in se beneficium simoniacè obtentum, nullatenus poterit purgare vitium furti, & simoniæ, nisi dimittendo; & per consequens iniuste & iniquè possidebit, quod suum non est: nam caret omni titulo, aliquo colore munito; & ideo concludendum, & fatendum est, Simoniacum, permanentem, & retinentem beneficium per Simoniam quæsitum, verè esse intrusum.

QVÆSTIO X.

Qui est in antiquissima possessione beneficii, si de titulo non doceat, an dicatur intrusus.

SVMMA RIVM.

Beneficium possidens de tempore antiquissimo, etiam si titulum non doceat, non est intrusus. n. 1. Quod limita vt n. 13.

Titulus beneficii coloratur ex sola antiqua possessione. n. 1.

Possessio beneficii, per aliquot annos continuata facit presumere de validitate tituli. num. 2.

Tempus longum, vel longissimum, requisitum vt inducat presumptionem tituli legitimi in beneficio, quantum esse debeat. n. 3.

Translatarius pensionis, si agat pro iustificanda quasi possessione transferentis ex sola possessione, debet illam probare per triginta annos. n. 3.

Quasi possessio transferentis pensionem si non ascendat ad triginta annos, licet excedat viginti, non sufficit pro iustificatione præsumenda. n. 4.

Titulus canonicus, & legitimus beneficii probatur ex sola possessione pacifica decem annorum. n. 5.

Probatio possessionis pacifica per decem annos sufficit pro canonizatione, & probatione tituli beneficalis. n. 5.

Episcopus visitando Diocesim inquirat de titu-

lis Beneficiatorum, & ideo si constat de longa possessione, præsumitur de validitate; cum non sit credibile, quod permittat aliquem sine titulo possidere. n. 6.

Possidens beneficium per decennium, licet non doceat de titulo, tutus est, ne pro intruso iudicari debeat, si alias clarè, & legitime non constaret de intrusione. n. 7. & 13.

Possessio decennalis beneficii inducit presumptionem, quod possessor sit verus titularis. num. 7.

Remedium attentatorum regulariter non datur contra tertium, sed contra eum agi debet via ordinaria, coram Iudice Ordinario. n. 8.

Quod intellige vt n. 9.

Tertius si lite pendente se intrudat in possessionem rei, de qua litigatur, talis intrusio reuocanda est via attentatorum. n. 9.

Tertius qui lite pendente se intrusit in possessionem beneficii, de quo litigatur, si per longum tempus possedit, non potest ab illa amoueri via attentatorum, quia per talem antiquam possessionem cessat præsumptio intrusionis. n. 10.

Quod intellige vt n. 11. & 13.

Intrusio non presumitur in eo, qui per multum tempus beneficium possedit, dummodo intrusio non pateat, iuxta dispositionem textus in cap. si hi contra quos, vt lite pendente, in 6. n. 11.

Decretum irritans, appositum in dispositione, inficit nedum titulum, sed etiam possessionem. n. 12.

Possidens beneficium per longum tempus, quamuis tutus videatur, ne pro intruso haberi debeat, si tamen de contrario certo constaret, poterit omnino remoueri. n. 13.

Agens de intrusione contra Beneficiatum qui diu beneficium possedit, audiiri debet, si de illa constat. n. 14.

Prelatus qui diu tolerauit subditum in beneficio, non potest eum compellere ad ostendendum titulum sui beneficii; poterit tamen in se assumere onus probandi defectum tituli. num. 14.

Regula Cancellaria 3. de trien. possess. licet excuset, ne possessor triennis teneatur docere titulum; non tamen impedit, quominus admitti debeat volens probare nullitatem, & infectionem tituli. n. 15.

Quod intellige vt n. 16.

Stylus Rotæ non admittit probationem contra triennalem possessorem, pro nullitate tituli. num. 16.

Regula de trienniali licet non defendat possessorem nisi tantum in possessorio, quia non dat titulum; hodie tamen de stylo, possessores defenduntur in utroque. n. 17.

Nullus contra triennalem possessorem audietur circa validitatem tituli, tam in petitorio, quam in possessorio. n. 17.

Liber registorum, in quo tituli beneficiorum registrantur, operatur, quod si non reperiantur registrata beneficia, presumi debeat contra Beneficiarios de inualiditate tituli, n. 18.

Possessio triennalis pacifica beneficij, est melior titulus de mundo. n. 19.

Confidentia commissa in beneficio ab antecessore, non afficit successorem, si sit triennalis possessor. n. 20.

POSSIDENTEM beneficium de antiquo, vel antiquissimo tempore, intrusum non esse, etiam si titulum non doceat, affirmandum est ex ea ratione, quia per solam antiquam possessionem titulus coloratur; ut cum Anton. in cap. cum in litteris, colum. 12. de restitut. spoliatorum, notant, Milis in suo repeti. verbo, Intrusus, vers. intrusus no dicitur: & Hieron. Gigas in epit. de intruso, n. 80. vers. nec minus comprehenditur, & ita declaravit Rota penes Peñam in meis recollectis, tom. 1. decis. 352. n. 4. per hæc verba.

2 Quod si habetur respectus ad resignationem Perij, resignantis ad fauorem Ioannis Simonis, difficultas etiam tolli videbatur ex pacifica Perij possessione per aliquot annos: ex qua etiam resultabat præsumptio tituli validi, ex eadem allegatione Lapi, etiam ad commodum resignatarij, Sarnen. de trien. d. q. 10. n. 24. vers. secus tamen, est &c. Huic decisioni adstipulatur Seraphin. tom. 2. decis. 1055. n. 3.

3 Quodnam autem tempus sit illud antiquissimum, vel antiquum, ad effectum ut non præsumatur intrusus qui possidet beneficium; non erit abs re inquirere; In quo distinguendi sunt duo casus.

Primus est, quando translatus pensionis agit de iustificanda quasi possessione transferentis ex sola possessione, quia ex generali obseruantia Rotæ requiruntur triginta anni.

4 Quasi possessio enim transferentis, quæ non ascendat ad annos triginta, licet excedat viginti, non sufficit pro iustificatione præsumenda, ut pluries declaravit Rota penes Peñam in d. tom. 1. decis. 752. n. 3. vbi in mea additione, ibidem, allegaui Rotam recentiorum. p. 1. decis. 122. n. 5. & Ludouisium, seu Gregorium XV. qui late agit de hoc articulo, decis. 57. n. 5. & sequen.

5 Secundus casus est, quando agitur pro canonizatione, & probatione tituli beneficij, tunc enim sufficit probatio possessio-

nis per spatium decem annorum; quia ex eo tempore præsumitur titulus canonicus, & legitimus: prout declaravit Rota in Boianen. pensionis, 15. Ianuarij 1603. coram Peña, & habetur impressa in meis recollectis tom. 2. decis. 1004. n. 4. & 5. & in Oueren. beneficiorum, 12. Iunij 1609. coram Coccino, & habetur in eius impressis decis. 475. n. 4. & 5. & in Neritonen. pensionis 24. Maij 1602. coram Gregorio XV. decis. 57. vbi h. 5. vsque ad 8. adducit aliqua fundamenta, ex quibus prædicta conclusio roboratur.

Et fundatur in eo, quod cum Episcopus visitando inquirat de titulis Beneficiatorum, non est verisimile, quod permittat aliquem sine canonico titulo possidere: ad quod allegant Lapum, & Cassadorum decis. 2. de causa possessionis, & proprietatis, & decis. 8. super regulam.

Ex quibus dicendum est ad præsentem 7 quæstionem, quod possidens beneficium per decennium, licet non doceat de titulo, tutus est, ne pro intruso iudicari debeat. Possessio enim tanti temporis inducit præsumptionem, quod talis possessor sit verus titularis: nam aliàs non permanisset tanto tēpore in possessione: ut cū Ancharano cōf. 117. incipit, Satis impertinens, n. 2. declaravit Rota in meis recollectis Peñæ tom. 1. decis. 232. n. 11. & penes Duran in illo doctissimo discursu, qui est inter ipsius decisiones, de c. 285. n. 158. & 159. & hoc locū habet, si aliàs legitimè non constaret de intrusione possessoris, ut dicemus infra.

Inferitur ex prædictis, quod licet regulariter remedium attentatorum non detur contra tertium, sed agi debeat viâ ordinariâ coram Iudice Ordinario, cap. Romana, §. in alium, de appellationibus in 6. & tradunt communiter Doctores ibidem, ut per Flaminium Parisium de resignat. lib. 1. q. 16. n. 44. Menochium de recuperanda possessione, remed. 17. n. 44. & alios plures penes ipsos. Attamen si aliquis lite pendente se intrudit in possessionem rei, de qua litigatur, talis intrusio reuocanda est viâ attentatorum, ut ex Cassadoro decis. 9. n. 5. de causa possessionis & proprietatis, & Bisigneto de ius. 1. alias 20. incipient. Nunquid Reo, ut lite pendente &c. & decis. 5. alias 433. Nota nunquid Reo, sub titulo etiam, ut lite pendente: in antiquis, & probat Lancellorus de attentatis à tertio, p. 1. cap. 3. n. 74. & sequen.

Hoc tamen locum non habet, si talis tertius qui lite pendente se intrudit, in antiquissima existeret possessione beneficij, quia tunc contra eum viâ attentatorum agi non poterit, ex ea ratione, quia per talem antiquissimam possessionem cessat præsum

præsumptio intrusionis, ut cum Milis, & Gigante ubi supra, optime aduertit Lancellorus in d. tractatu de attentatis à tertio. p. 1. cap. 3. n. 82. alias 90. in ultima impressione, vers. primò quando is qui propria auctoritate.

11 Maxime si ille extitisset in possessione per tantum tempus, ut ius agendi super attentatis fuisset præscriptum, ut ibidem probat Lancellorus, n. 84. alias 91. & hoc procedit ex eo, quod diximus supra in hac q. n. 1. & 3. quia illud longissimum tempus facit præsumere quod cessat intrusio.

12 Hoc tamen intelligi, & restringi debet, ut non procedat in intruso, iuxta dispositionem capituli, si hi contra quos, ut lite pendente, in 6. propter decretum irritans in eo appositum, quod inficit titulum simul & possessionem; ut diximus supra, q. 7. n. 3. quibus iunge Peñam in meis recollectis tom. 2. decis. 928. vbi in mea annotatione, litera. E. alias decisiones allegaui: & ideo illud longissimum tempus non poterit sanare, quod statutum reperitur in d. cap. si hi contra quos, prout etiam interminis ita aduertit Lancellorus in d. cap. 3. n. 84. alias 92.

13 Illud tamen in præsentem notabiliter aduertendum iudico, quod quamuis præsumatur de non intrusione, nec vitioso titulo, vel ingressu in longissimo possessione, qui diu Ecclesiam possedit; si tamen de contrario ceterò constaret, poterit omnino remoueri secundum Hostiensem, & Abbatem, in cap. illud, de præsumptionibus, quos sequitur ibidem Felinus, n. 7. & probant Dominicus post Calder. & Lap. in cap. Ordinarj, de officio Ordinarj in 6. Dicentes,

14 quod si agens vellet probare intrusionem, seu non canonicam institutionem, etiam in factò antiquo, deberet audiri, ut patet ex text. in cap. dilecto 25. vers. propter quod institutionem præfatam nullam, de præben. vbi probatur quod licet Prælati qui diu in beneficio tolerauit subditum, non possit compellere eum ad ostendendum titulum sui beneficij, poterit tamen in se assumere onus probandi defectum tituli, & ita tenet Abbas post alios in d. cap. dilecto, colum. 2. quem refert & sequitur eisdem fere verbis proximè relatis Mascardus de probationibus conclus. 1377. à. n. 125. cum sequen. & eo allegato notat Barb. in collect. ad d. cap. dilecto, n. 9. vbi allegat Mascardum in conclus. 1371. in meo tamen codice, est 1377. qui n. 127. infine, & n. 128. notabiliter aduertit cum

15 Felin. in cap. illud, colum. penultima. n. 7. vers. tertio est aduertendum, de præsumptionibus, & in cap. sicut, n. 31. vers. tertio aduertit, de re iudicata: quod Regula Cancellariæ 33. de triennali possessore, licet excuset possessore-

rem, ut non teneatur docere titulum, cum ex triennio præsumatur; non tamen impedit quo minus volens probare nullitatem, & infectionem tituli, admitti debeat: & idem dicit, si forte probaretur, collationem factam in tali loco, in quo semper registrantur collationes, nullatenus reperiri, idque constaret per ostensionem librorum, quod talis collatio, quæ prætenditur registrata ibidem, non existeret: quod quidem secundum Felinum ubi proximè, est bene notandum.

16 Verum licet ita apud dictos Doctores resolutum reperiat, Ludouicus tamen Gomezus ad d. regulam, de triennali, q. 26. vers. alia est enim differentia, concludit, quod licet in puncto iuris ita procedat, de stylo tamen Rotæ non admittitur probatio anterioris tituli in contrarium, ad effectum dictæ Regulæ: qui postquam tradidit doctrinam Abbatis, & Felini, superius dictam, ita concludit:

17 Est bene verum, quod si in aliquo loco registrarètur tituli, fortè posset probari contrarium per ostensionem Librorum, Felinus &c. Sed tempore meo nunquam vidi probari contrarium: imo quod fortius est, licet secundum communem opinionem, Regula ista non defendat possessorem, nisi tantum in possessorio, quia non dat titulum, ut dicit Glossator hic, & Felinus in d. cap. sicut, tamen ut ex vsu videmus, hodie possessores triennales defenduntur in vtroque, quia nullus contra triennalem audiretur in petitorio, circa validitatem tituli.

18 Nam licet libri Registorum ostenderentur, in quibus tituli registrari solent, nihilominus semper præsumitur titulus alius, per quem triennalis defenderetur: Sed hoc non pono pro constanti, licet quoad allegationem Lapi 89. de titulo prædecessoris soleat hoc teneri, ut sæpe vidi, ut in d. causa Cöchen. & in pluribus alijs &c. Hæc Gomezus. Cui adstipulatur Rota, quæ semper

19 amplectitur dictam allegat. 89. Lapi; nam per possessionem triennalem beneficij ostenditur melior titulus de mundo, ut pluries declaravit ipsa Rota, & videre poteris in meis recollectis Peñæ tom. 1. decis. 232. n. 2. & sequen. vbi mea annotatio n. 11. alias allegat: & in terminis confidentiæ idem Peña in Calaguritana confidentiæ 14. Decembris 1592. in d. tom. 1. decis. 270. vbi

20 n. 5. ita concludit: Altera ratio fuit, quia cum in propofita facti specie ageretur de præfensa confidentia, commissa inter Franciscum, & Ioannem, & sic inter tertios iam defunctos, non autem de perpetrata inter Iustinum, & Didacum, longo tempore bonæ

bonæ fidei possessores, licet inter primos resignantes simoniaca confidentia probaretur, adhuc istis non præiudicasset, cum beneficio Regulæ de Trienniali, tuti redderentur: Sarnen. in regula de trienniali, q. 12. & fuit decisum in vna Hispanen. beneficij de Eziga 16. Nouemb. 1579. coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore.

Et hæc de hoc articulo dicta sufficiant, cum de eo latius æturi simus infra q. 24. vbi specialiter differemus quis dicatur intrusus ad effectum dictæ Regulæ de trienniali.

Q V Æ S T I O X I.

An intrusus teneatur soluere Episcopo Charitativum subsidium, vel Decimam Papalem, &c.

S V M M A R I V M.

Intrusus tenetur soluere Episcopo Charitativum subsidium, vel Decimam Papalem, seu aliam quamcunque contributionem generalem, vel particularem, impositam super beneficio, ab habente potestatem, num. 1. & sequen.

Quod intellige, vt n. 10.

Possessor beneficij tenetur soluere onus collectæ, vel alterius impositionis, annexæ beneficio, n. 2. & 16.

Quod limita vt n. 10.

Onus impositum beneficio sequitur ipsius possessorem, n. 2.

Delegatio si fiat tali Prælato, intelligitur data commissio existenti in possessione, illius Prælatura, licet in eam legitimam non habeat, n. 3.

Commissio data tali Prælato, intelligitur data possidenti Prælaturam, quamvis non habeat titulum legitimam, non tamen ei, qui verum & canonicum titulum habet, si non possideat, n. 3.

Intrusus in beneficio tenetur soluere onera, & annexa, non verò qui canonicum titulum habet, cum non possideat, nec fructus percipiat, n. 4.

Subditi Ecclesiastici tenentur soluere Episcopo charitativum subsidium, in eo tamen non debent grauari, n. 5.

Graumem, & onus impositum super fructus beneficij, soluere tenetur, qui illos percipit, n. 5.

Commoda sequi debent, quem sequuntur incommoda, n. 5.

Possessor beneficij soluere non tenetur onera annexa fructibus ipsius, si ex aliquo iuridico, & legitimo accidenti eos non percipiat, n. 6.

Obligatus soluere pensionem annuam super fructus sui beneficij, non tenetur illam soluere, si hos non percipiat, n. 7.

Intrusus percipiens fructus tenetur soluere pensionem annuam, impositam in beneficio, non vero titularis legitimus, qui illos non percipit, n. 7.

Pensionarius an teneatur contribuere titulari partem impositionis subsidij, vel alterius speciei, in qua beneficium existit oneratum? anceps est quæstio; & resoluitur affirmatiue, n. 8.

Pensionarij defalcant titularibus pro rata fructuum ratione subsidij, & excusati, impositi ad fauorem Regis Hispanie, etiam si primum quinquennium fuerit elapsum, n. 9.

Charitativum subsidium poterit Episcopus petere ab uno ex litigantibus super beneficio, si plures de eo litigant, n. 10.

Creditores hereditarij, volentes agere actione personali contra contententes super hereditate, quorum quilibet pretendit ad se pertinere, habent optionem, vt possint conuenire quem ipsorum voluerint, siue sint possessores hereditatis, vel non, n. 11.

Si tamen succubuerit, repetere poterit, quod solutum fuit, n. 12. & 14.

Duo si contendant esse insolidum heredes vnius testamenti, possunt creditores, & legatarij, pro debitis, & legatis, conuenire quemlibet ipsorum, qui si soluerit, & succubuerit, poterit ab aduersario repetere quod solutum fuit, n. 12. & 14.

Fructus qui non percipit, non debet compelli, ad soluendum onus in illis impositum, n. 13.

Pensionarius qui non consensit pensioni, non potest compelli ad eam soluendam, si ex beneficio fructus non percipit, num. 13.

Pensio Ecclesiastica est onus impositum super fructibus beneficij, n. 13.

Obligatus soluere pensionem, liberatur si beneficium resignauerit, in quo pensio est imposita, n. 14.

Perceptor fructuum beneficij tenetur soluere quodcumque onus in illis impositum, n. 14. & 16.

Actio personalis datur contra tertium pro muneribus, & tributis, vel alijs oneribus, etiam si rem non possideat; secus autem erit in actione reali, quia tunc sequitur rem & non personam, n. 15.



ANC quæstionem mouent in terminis Bellencinus in tractatu de charitativo subsidio, quæst. 34. quem refert & sequitur Remigius de Goñi, in eodem tract. q. 42. cumque reperies in tom. 15. tractatum, p. 2. pag. mibi 178. in impressis Venetijs de anno 1584. & remissiue eam etiam refert Moneta in tract. de decimis cap. 9. q. 3. in fine n. 137. & 138. Et dicendum est cum allegatis Doctoribus, intrusum teneri soluere Episcopo charitativum subsidium, & similiter Decimam Papalem, vel aliam contributionem generalem, impositam in beneficio, ab habente potestatem imponendi, ex sequentibus fundamentis.

1 Primò, quia in talibus solutionibus principaliter attendi debet, quis sit beneficij possessor; nam onus collectæ, seu impositionis vt plurimum, & regulariter, sequitur possessorem; vt patet ex l. 2. & 3. C. sine censu, vel reliquis fundum &c. & ad intentum plura tradit, & infinitos Doctores allegat Castillo lib. 1. de usufructu, cap. 56. à n. 14. præcipue, n. 16. optimè Auondañõ de exequendis mandatis Reg. p. 2. cap. 14. n. 18. latissimè Pater Ludouicus Molina tom. 2. de iustitia & iure tract. 2. de contractib. disp. 456. ferè per totam, & alij plures ab ipsis relati: ergo cum intrusus possideat beneficium, quamuis titulo illegitimo, tanquam ipsius possessor tenebitur soluere dictas impositiones, vt notat etiam Innocentius in cap. nihil, de electione.

2 Secundo, nam si delegatio fiat tali Prælato, intelligitur data commissio existenti in possessione talis Prælatura, licet nullum ius in ea habeat, non autem illi, qui non est possessor, licet verum & iustum titulum obtineat, vt probant Vinc. Ioan. And. & Anton. in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, Archid. in cap. si quisquam, 11. q. 1. & dicemus infra quæst. 48. vbi late differemus quod si vnus sit intrusus in aliquo Episcopatu, & alius legitimus titularis exclusus, præferri debet in commissione data sub nomine Dignitatis, qui tunc possidet: ergo eodem modo in præsentem, solus possessor habetur in consideratione ad omnes effectus, qui ex ipsa possessione, & fructuum perceptione resultant, sed prædicta onera respiciunt vtrumque, ergo possidens tenebitur ad præstationem.

3 Tertio probatur, quia iniquum videretur, quod intrusus fruatur beneficio, & illud occupet, & verus beneficiarius cogatur ab Episcopo, ad solutionem subsidij: ex quo sequeretur, quod intrusus esset melioris conditionis, quàm legitimè intitulus: ad

text. in cap. legi, 16. q. 1. cap. eum qui, de præben. in 6. cap. contingit, de dolo & contumacia, & ideo dicendum est, illum teneri ad solutionem.

4 Quarto facit, quod statuitur in cap. cum 5 Apostolus, §. probibemus, de censibus, vbi decreuit Concilium Lateranense primum, quod subditi non grauentur ex solutione subsidij charitatiui, & profecto si titularis compelleretur ad solutionem dictarum impositionum, magnum experiretur grauamẽ, cum sine perceptione fructuum graueretur soluere pro beneficiis, quæ non possidet, & liberaretur qui vtilitatem reportat, quod quidem admitti non debet; cum iura clament, quod incommoda sequi debeant, quem & commoda sequuntur: l. secundum naturam, cum vulgatis, ff. de regulis iuris, Card. Tusch. tom. 8. littera. V. conclus. 374. Escobar de ratiocinijs, cap. 42. n. 12. & tradunt communiter Doctores: ergo intrusus obligatus existit ad talem præstationem faciendam: quam sententiam sequendo Bellenc. in d. q. 34. defendit Flaminius Parisius, qui ad intentum multa congerit, in tract. de resignat. lib. 1. q. 8. ferè per totam. & in terminis intrusi, n. 38. & sequen.

5 Ex qua resolutione sequitur ex eadem 6 ratione, quod licet possessor teneatur soluere prædictas impositiones; Fallit tamen hæc regula, si nullos fructus ex beneficio percipiat ex aliquo accidenti, veluti propter bella, vel inundationem aquarum, seu fluminum, aut propter alium casum fortuitum, qui non potuit à Viro prudenti præueniri, nec ipsius culpa accidit, iuxta text. in l. si merces, §. vis maior, ff. locati, cap. propter sterilitatem 3. eodem titulo. Quomodo autem hæc fallentia intelligenda sit, & quæ requisita habere debeat, quidque obseruandum ad eum effectum, videre poteris apud Couarr. pract. quæst. cap. 30. ferè per totum, & Barb. in collect. ad d. cap. propter sterilitatem, vbi ad intentum plura congerit, & infinitos Doctores allegat, agentes de hoc articulo, ad quos te remitto; quia cum hæc tractatio non sit nostri principalis instituti, in ea non figo pedem.

6 Rursus ex eodem fonte dimanat, quod 7 obligatus alteri soluere annuam pensionem super fructus sui beneficij, non tenetur illam soluere, si fructus non percipit, etiam si beneficium possideat, ex rationibus superius traditis: & ideo intrusus tenebitur soluere pensionem si fructus percipit, non verò titularis: vt punctim tradit Garcia de benefic. p. 1. cap. 5. num. 182. vbi varias Rotæ decisiones allegat, & eo relato Barb. in praxi exigendi pensiones, p. 1. q. 10. num.

num. 14. & nos latius agemus in *quæst. sequenti*, ubi specificè hunc articulum tractabimus.

8 Sed hic se offert difficultas notatu digna, an scilicet talis pensionarius teneatur contribuere intruso, vel alteri legitimo possessori, partem impositionis, respectuè ad quantitatem pensionis, tam virtute charitatiui subsidij, quam alterius à Papa impositi; an verò percceptor fructuum sit obligatus ad integram solutionem sine defalcatione? Et dicendum est, pensionarium teneri ad contributionem, quam ex quantitate pensionis deducit, eritque obligatus illam Titulari resarcire, si aliter in reservatione non fuerit cautum per clausulas prægnantes, ex quibus liberatus remaneat, & Titularis cum eis se obliget ad solutionem, prout pluries declaravit Rota, & videre poteris latissimè apud Gratianum tom. 3. *disceptationum forensium*, cap. 548. *ferè per totum*, Seraphin. *decis.* 1348. Duran. *decis.* 48. & 157. Penam in *meis recollectis* tom. 2. *decis.* 1582. & *decis.* 1612. ubi mea annotatio plures alias *decis.* ad intentum adducit; & vide nostrum Cenedo in *collect. ad Decretales collect.* 115. num. 7. qui alios allegat.

9 Et in Hispania, & præcipuè in hoc Aragonum Regno, inconcusè defalcant pensionarij Titularibus ratam de quantitate pensionis pro subsidio, & excusato per summos Pontifices imposito ad favorem Catholici Regis nostri, etiamsi quinquennium primum sit elapsum, & nova gratia consequuta ad alium novum quinquennium, & sic deinceps, quod ita practicitur.

10 Prædicta autem conclusio, scilicet quod percceptor fructuum, etiamsi sit intrusus, vel iniustus detentor beneficij teneatur soluere charitatiuum subsidium, vel aliam impositionem, ad cuius præstationem poterit Episcopus compellere fructuum perceptorem: Limitatur, & intelligi debet, dummodo beneficium non sit litigiosum: nam si lis inter duos, vel plures pendeat, & alter contra alterum prætendat se esse Rectorem beneficij, & ad ipsum pertinere, quorum vnus est possessor, alij non: in tali casu, liberum erit Episcopo agere ad solutionem charitatiui subsidij, vel alterius contributionis, contra eum, quem ex illis voluerit, vt in creditoribus Prælatuæ resoluit Innocentius in *cap. quia cunctis*, in *sua glossa, verb. de capitulo, vers. sed quid si duo sunt*, quem sequitur Dominicus *ibidem*, de *concessione præben.* in 6. Idemque probat Bartolus in *l. si post litem, in fine, ff. de exceptionibus*, prout cum Bellenci in *d. q. 34. in*

fine, tradit Remigius de Goni, & ita declaravit Rota in *antiquis, decis.* 852. quæ incipit, *Duobus Abbatibus comendentibus*, &c.

11 Quod quidem prædicti Doctores probare intendunt, argumento sumpto de creditoribus hæreditariis, volentibus agere actione personali cõtra plures contendentes super hæreditate, quorum quilibet illam prætendit ad se tantum pertinere; quia tunc in optione erit creditorum agere contra quemlibet ipsorum, siue sit possessor, vel non: vt patet ex textu in *l. finali, §. sin autem ex contractibus*, ubi, *contra possessorem, vel petentorem, C. de petitione hæreditatis*, & ibi Bartolus, & *Glos. verbo, cautionem*.

12 Ad idem adducunt textum in *l. hæc autem, §. si duo, ff. si cui plusquam per legem falcidiam*, ubi si duo contendunt esse hæredes infolidum vnus testamenti, possunt creditores, & legatarij, conuenire tam possessorem, quam alterum petentorem, &c. Quod etiam probant ex his quæ habentur in *l. controuersia, C. de transactionibus*, ex quibus ita prædictam limitationem admittunt allegati Doctores subdunt tamen, quod si is qui subsidium soluerit, postmodum in lite succubuerit, repetet, vel compensabit ab aduersario, quidquid soluerit ratione subsidij, vel alterius impositionis eiusdem generis, vt in *d. l. finali, §. sin autem ex contractibus*.

13 Ego verò non acquiesco huic limitationi, quia verius est, has contributiones potius respicere fructus, quam personas, & ideo in illis existit onus, non vero in istis, vt patet ex his quæ diximus *suprà*, in *principio*, in confirmationem prædictæ resolutionis, à n. 2. vsque ad 6. non enim iuri consonum videtur, vt qui fructus non percepit, compellatur soluere onus in illis impositum, vt in pensione tradit Garcia de *benef. p. 1. cap. 5. n. 201.* quem refert & sequitur Barb. in *praxi exigendi pensiones. p. 1. q. 2. n. 49.* & variis exemplis comprobat Valenzuela tom. 2. *conf.* 137. n. 37.

14 Maximè cum hoc onus sit inhærens ipsis fructibus, vt cum Gigante, Parisio, & Valenz. in *d. tom. 2. conf.* 193. n. 1. resoluit Barb. *ubi proximè, n. 50. & q. 10. n. 13.* & sequitur ipsos fructus in quemcunque eorum possessorem, vt cum pluribus tradit Barb. in *d. praxi. p. 2. q. 15. n. 3.*

Et exinde est, quod obligatus soluere pensionem, liberatur, si beneficium resignauerit, & tunc illud onus transit in perceptorem fructuum, tanquam onus ipsis annexum, Mohedanus *decis.* 1. & 2. & 30. de *renuntiat.* Rota *diuers.* p. 1. *decis.* 699. num. 1. Valenz. qui alios allegat

in

in *d. conf.* 137. num. 6. & 7. Ex quibus in omnem euentum dicendum est, quod intrusus, vel alius quicumque fructuum percceptor, tenebitur soluere onera superius dicta, etiam si beneficium sit litigiosum. Fateor tamen cum Bellenc. Goni, & cæteris, quod si postmodum in lite succubuerit, poterit repetere, vel compensare ab aduersario quidquid soluerit ratione subsidij, vel alterius oneris, eiusdem generis, si condemnatur ad fructuum restitutionem.

15 Nec vrgent fundamenta proposita à Goni, quia exempla adducta de creditore Prælatuæ, & de creditoribus hæreditariis, & de legatariis, longè distant à nostro casu; nam in illis adest actio personalis, & realis, quæ procedunt ex ipsis obligationibus, vt cum Iafone, Rebuffo, & aliis docet Gratianus tom. 3. *discept. forens.* cap. 423. num. 42. & ideo cum actio personalis detur etiam contra tertium pro muneribus, & tributis, aliique oneribus, vt cum Guid. Pap. *decis.* 576. probat idem Gratianus *ubi proximè, n. 38.* nihil mirum, si in actionibus personalibus detur creditoribus talis optio; secus tamen in obligationibus, & oneribus specialiter impositis super fructus, vt in nostro casu; quia tunc solus possessor, & illorum percceptor tenebitur, & conueniri debet pro satisfactione onerum.

16 Ex quibus concludendum est, quod solutio charitatiui subsidij, vel alterius oneris impositi ab habente potestatem, fieri debet per intrusum, vel alium quemcunque possessorem beneficij, & fructuum perceptorem, non verò per Titularem, aut legitimum Beneficiatum, qui non possidet; atque ad id ab Episcopo compelli posse, tam si lis pendeat quam si non pendeat.

QVÆSTIO XII.

Pensio si sit reseruata per Pontificem super fructus alicuius beneficij, cuius possessionem retinet Intrusus, excluso legitimo & vero Beneficiato, habente iustum & canonicum titulum, quis teneatur illam soluere.

S V M M A R I V M.

Pensio imposita in beneficio, intrusus in eo non tenetur soluere, sed verus titularis. n. 1. Contraria sententia verior est, & tenenda. n. 5. Tract. de Intrusione.

Onus soluendi Ecclesiasticam pensionem per consentientem, & successores, intelligi debet de vero successore, qui legitimum & canonicum titulum habet. n. 2.

Verba in dubio intelligi debent in proprio significato, & referri ad ius, iurisque intelligentiam: non vero ad factum, factique interpretationem. n. 3. & 4.

Verba quando simpliciter sunt prolata, comprehendunt casum verum, non autem fictum. num. 4.

Intrusus in beneficio, percipiens ipsius fructus, tenetur soluere pensionem in illo impositam, non vero Titularis, qui fructibus est priuatus. n. 5. & 12.

Quod intellige vt n. 13.

Pensio est onus reale, impositum super fructus. n. 6. & 12.

Pensio sequitur non personam obligati, sed perceptorem, & possessorem fructuum, & transit in quemcunque possessorem, etiam incolortum, qui illos percipiat. n. 7.

Capitulum Ecclesie percipiens fructus beneficij vacantis per ius accrescendi, vel alio titulo, tenetur soluere pensionem in illo impositam, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. n. 8.

Pensio Ecclesiastica debetur heredibus pensionarij, non habita ratione temporis decursi, sed fructuum perceptorum, tanquam onus in eis impositum. n. 9.

Pontifex quando reseruat pensionem in beneficio, vult grauare fructus prouenientes ex eo, nõ verò beneficium, vt est beneficium. n. 10.

Fructus beneficij transeunt in quemcunque possessorem cum onere soluendi pensionem. n. 10. Successio dicitur quadam subrogatio in locum vltimi possessoris. n. 11.

Camera Apostolica si percipit fructus Episcopatus, vel alterius beneficij, tenetur soluere pensionem in eo impositam. n. 12.

Intrusus in beneficio percipiens fructus, & non Titularis, ita demum tenetur soluere pensionem in eo impositam, si talis pensio sit antiqua, vel ipse in eam consensit: non verò si à Titulari de nouo fuerit imposita. n. 13.

Culpa quando non est ordinata ad impedimentum, excusat ipsum impedimentum, ne impeditus agere teneatur. n. 14.

Pensioni qui consensit in beneficio, si non potest percipere fructus ex aliquo accidenti legitimo, & non ex culpa sua, ad illius solutionem compelli non debet. n. 14.

Pensio Ecclesiastica si sit reseruata per Papam in beneficio, Motu proprio, & ex certa scientia, sine consensu Titularis, vel in illo intrusi, solui debet ab eo qui fructus percipit. n. 15.

Pontifex potest imponere pensionem Ecclesiasticam Motu proprio sine consensu Titularis. n. 15. Pontifex

Pontifex est Dominus beneficiorum cum omnimoda potestate, n. 15.

- I** NTRVSVM liberum esse à solutione pensionis, Titularemque esse adstrictum ad eam præstandam, suadet ex eo, quia in litteris reservationis annuæ pensionis solet dici, & apponi clausula tenoris sequentis: *Per talem dictæ Ecclesiæ Beneficiatum, puta Præpositum, Archidiaconum, vel Decanum, &c. & eius in eadem successores persoluentiam, &c.* verbum enim, *successor*, intelligi debet de vero & legitimo ex mente Pontificis reservantis, non autem de eo, qui titulum nullum & inualidum habet: cum in dubio verba accipienda sint in propria significatione, *l. non aliter, ff. de legatis* 3. *Moneta in tractatu de distributionibus, q. 11. n. 100. noster Regens Sesse de inhibitionibus, c. 4. §. 5. n. 19.* Et ut ait Cassadorus *decif. 5. num. 54. de priuilegiis* (qui est penultimus titulus *decif. 5. num. 54.*) verba sunt referenda ad ius, iurisque intelligentiam: non verò ad factum, factique interpretationem: & quando sunt simpliciter prolata, comprehendunt casum verum, non autem fictum; textus in *l. finali, C. de his qui veniam a tatis impetrauerunt, Barb. in tract. de axiomat. usu frequ. axiomate 222.*
- 5** Contrariam tamen sententiam veriorum, & tenendam iudico, nec ab ea recedendum, videlicet, intrusum possidentem & percipientem fructus beneficii, teneri ad solutionem pensionis: non verò Titularem & legitimum Beneficiarium, si non possideat, nec fructus percipiat: prout in specie ita tenent Gigas *conf. 138. seu responsio 29. ferè per totum, incip. Erasimus Gemini de Cæsis, Flamin. Paris. de resignat. beneficiorum, lib. 1. quest. 8. n. 37.* & cum Bufato & aliis tradit Garcia *de benef. p. 1. c. 5. n. 182.* qui loquitur in terminis intrusi, eumque sequitur Barb. *in præxi exigendi pensiones, p. 1. q. 10. num. 14.*
- 6** Ratio est manifesta, quia cum pensio sit onus reale, impositum super fructus, ut cum Garcia & Barb. diximus *suprà*, in *questione antecedenti, n. 7. & sequen.* quibus iunge Statil. Pacificum in *tractatu de Saluiano interdito, inspectione 3. c. 2. n. 218. & c. 4. n. 610. & 611.* & ita tenuit Rota in *Corduben. pensionis, 2. Maij 1594. coram Cardinali Mantiua*, quam reperies in eius impressis, *decif. 272. n. 1. & 2.* & penes Pacificum *ubi supra, in calce operis, decif. 130.* & pluries idem declarauit ut patet ex annoratis per me in *recollectis* Penæ *tom. 2. decif. 624. n. 2.*
- 7** Exinde est, quod sequitur non personam obligati, sed possessorem beneficii, & fructum

perceptorem, Penæ *in d. decif. 624. n. 2. Ludouil. decif. 507.* qui alios allegat, *num. 1.* Et ideo illud onus transit cum ipsis fructibus in quemcunque possessorem, etiam incoloratum, qui illos percipiat: quæ resolutio clarior fit ex his quæ diximus in *quest. antecedenti*, quæ in præfenti à pari procedunt.

Ex quo sequitur, quod Capitulum Ecclesiæ si percipit fructus beneficii vacantis per ius accrescendi, vel alio titulo, tenetur soluere pensionem in illo impositam, non obstante quacunque consuetudine contraria, ut latè probat Gonzalez *ad regul. 8. glos. 5. §. 5. n. 44. & sequen.* ubi allegat varias Rotæ decisiones, & copiosissimè Barb. qui congerit quiddam pro vtraque parte circa hunc articulum considerari potest, in *tract. de exigendis pensionibus p. 1. q. 7. à n. 19. vbi n. 10. cum pluribus sequen.* hanc sententiam neruose defendit, fretus auctoritate plurium declarationum summorum Pontificum, & variarum decisionum, tam Tribunalium Ecclesiasticorum, quam secularium: à qua opinione tam in iudicando, quam in consulendo non audeam recedere.

Quod adeo verum est, ut onus pensionis sequatur perceptorem fructuum, quod pensio debeat hereditibus pensionarij, non habita ratione temporis decursi, sed fructuum perceptorum; ut pluries declarauit Rota, & patet ex allegatis in *vna Carpentoracæ ten. pensionis, 10. Decembris 1610. coram Cauallerio, & habetur in eius impressis decif. 129.* quam etiam refert Statilus Pacific. *post tractatum de Saluiano interdito, decif. 222. n. 1. & 2.* & ad intentum videbis *ibidem decif. 189. n. 3. & 4. & in tract. ipsius Pacifici inspectione 3. cap. 4. n. 265.*

Et ratio prædictorum desumitur ex eo, quia intentio Papæ, quando pensionem reseruat, est grauare fructus prouenientes ex beneficio, non vero Beneficium, ut est Beneficium; prout declarauit Rota in *Colimbrien. pensionis 28. Ianuarij 1605. coram Melino, quem reperies in recentior. tom. 2. decif. 133.* & ita in specie defendit Barbosa *in d. præxi exigendi pension. p. 1. in d. q. 10. n. 15.* & ideo tanquam hypothecati ad solutionem pensionis transeunt cum illo onere reali, in quemcunque illorum possessorem.

Nec obstat quod contra dictam resolutionem adduximus *suprà, n. 2. & seq.* quia potius fauēt nostre sententiæ: cum illa clausula, *Pensionem, &c. & eius in eadem successores persoluentiam* &c. intelligi debeat de successoribus eum effectu, hoc est de possessore, & perceptore fructuum, qui titulum talemqualem habet ad illos percipiendos, à quo cum eisdem

dem qualitatibus datur successionem cum hæc sit in locum alterius vltimi possessoris subrogatio, consequenter intelligi debet in illo, qui actu succedit, & percipit fructus; non verò de eo qui habitu, & in spe successor est; licet habeat titulum legitimum & canonicum, quia donec possessionem consequatur, non erit verum dicere, actu eum esse successorem; & ita verbum *successor*, in reservatione appositum, hoc modo sumendum est, ex fundamentis superius adductis.

- 12** Ex quibus concludendum est, intrusum, vel alium quemcunque Beneficiatum, percipientem fructus, teneri ad solutionem pensionis, licet titulum legitimum non habeat; non vero illum, qui canonicum titulum obtinet, si non possideat, quia est onus fructuum; ex Barbosa *in d. 1. par. quest. 2. num. 50. & in dict. quest. 7. num. 19. & seqq. & Gonzalez in dict. glos. 5. §. 5. num. 44. & sequen.* præcipue *num. 53.* ubi cum Gigante, & aliis idem resoluit in Camera Apostolica, si percipiat fructus beneficii grauati pensione, ut etiam teneatur ad illius solutionem, ex quo illos percipit; ut latissime videre poteris penes Garciam *de benef. par. 1. cap. 5. num. 182.* qui plura congerit & ad intentum est optima *decifio* Penæ *in meis collectis, tom. 1. decif. 624.* & dicemus *infra, q. 61.*

- 13** Pro coronide huius questionis aduertendum est cum Hieronymo Gigante *in d. conf. 138. n. 4. vers. intellige sane conclusionem, &c. usque ad finem consilij*, ita demum in prædicto casu Intrusum teneri ad solutionem pensionis, si hæc sit antiqua, in quam nec intrusus, nec verus Beneficiatus consensit; in quo casu possessor, & perceptor fructuum erit adstrictus ad illam soluendam; secus autem in pensione nouiter super fructus prædicti beneficii reseruata: nam aut Intrusus in eam consensit, & tunc ipse utique tenebitur soluere: si verò non; sed verus & legitimus Titularis in illam consensit; in eo casu talis Intrusus non tenebitur, quia tunc ipsius consensus cessat, & eo excluso non remanet obligatus: & similiter cum legitimus Titularis non possideat, nec fructus percipiat (nam eum excludit intrusus) non debet compelli ad talem solutionem faciendam, donec beneficii possessionem nactus fuerit. Non enim stat per eum quominus soluatur, ideoque si non adimplet quod aliàs adimplere tenebatur, non debet ei imputari; *cap. imputari, 41. de regul. iuris, in 6.* vbi Glossa in verbo, *imputari*, postquam varia exempla adduxit, postea aduertit, quod quando culpa

non est ordinata ad impedimentum, tunc ipsummet impedimentum excusat, etiam si culpa impediti proueniat. Vnde quamuis talis Titularis consenserit in pensionem, ut facilius beneficium consequatur, cum culpa non obtinendi illud non sit ordinata ad impediendam solutionem, sed ex eo quod intrusus possidet beneficium, & ex eo fructus percipit, non debet ei imputari, ut cogatur ad soluendam pensionem; & ideo non tenebitur, nec etiam intrusus, quovisque ipse amoueat ex beneficio per verum Titularem.

Notandum tamen est, quod si pensio fuisset de nouo assignata per Papam Mortui proprio, & ex certa scientia, sine consensu intrusi, vel veri Titularis (quod quidem efficere posse Pontificem non est ambigendum, cum in beneficialibus sit Dominus, in eisque habeat omnimodam potestatem; *cap. licet Ecclesiarum, de præbend. in 6. Clement. 1. ut lute pendente*; & latè tradunt Gonzalez *ad regulam 8. §. 1. præmij, num. 33. cum pluribus sequentibus*, Nicolaus Garcia *de beneficijs, 5. p. cap. 5. num. 2. & seqq. & p. 8. cap. 2. num. vltimo*, & alij penes ipsos) in hoc casu intrusus tenebitur soluere hanc pensionem, donec in illius possessione existeret, fructusque percipiet: si vero fuerit victus à legitimo Titulari, qui possessionem ingreditur cum perceptione fructuum, erit similiter adstrictus ad soluendam pensionem, licet neuter ipsorum illi consenserit, propter rationes & moriua adducta per Garciam, & Gonzalez *ubi proxime*, & ita in terminis resoluit Gigas *in dict. conf. 138. num. 4.* Ex quibus in hac questione ita concludendum est.

QVÆSTIO XIII.

Quis dicatur Intrusus in Papatu.

S V M M A R I V M.

Electio summi Pontificis non est Canonica, nisi due partes Cardinalium eligentium in unum conueniant. n. 1. & seqq.
Intrusus in Papatu dicitur ille, qui si non fuerit electus à duabus partibus, in eo se ingerit. num. 3.
Ingressus in Papatu per electionem, seu nominationem à minori numero quam duarum partium ex eligentibus, caret titulo canonico, nec pro Papa haberi debet, & ideo si administraret, erit Intrusus. n. 4.
Electus in Papatu, ut legitime fiat, an suum suffragium computari debeat in numero duarum

duarum partium eligentium pro ut requiritur, in quo Doctores dissentiunt. numer. 5.

Resolue tamen negatiue secundum nonam dispositionem Gregorij XV. n. 9. & 10.

Filius familias, qui fuerit Consul, vel Præses, potest apud semetipsum emancipari, vel in adoptionem dari. n. 6.

Electio summi Pontificis si fiat per scrutinium manifestum, potest electus consentire electioni de se factæ, & eius suffragium facit numerum; secus tamen si fiat per scrutinium secretum. n. 7.

Quod intellige ut n. 9. & 10.

Electio ambire vitiosum est, nec debet admitti, nisi qui fuerit vocatus tanquam Aaron. n. 8.

Suffragium electi in Pontificatu non numeratur in duabus partibus requisitis, ut electio legitima iudicetur. n. 9. & 10.

Et ideo erit intrusus, si se in Papatu ingerat. num. 11.

Intrusus in Papatu erit, qui se ingerat in administratione, si sit electus per merum grauem, cadentem in constantem virum, incussum in Electoribus. num. 12. & 13.

Electio requirit in eligentibus plenam libertatem. n. 12.

Papa statim atque eligitur, consequitur iurisdictionem. n. 13.

Electio summi Pontificis non indiget confirmatione, cum in terra non recognoscat Superioriorem, qui illam confirmare valeat. num. 13.

Iurisdicatio quæ per vim habetur, nulliter traditur. n. 13.

Electio summi Pontificis si fiat simoniacè est nulla, & ideo taliter electus si se in Papatu ingerat, erit intrusus. n. 14.

Electus ad Papatum ab uno, vel pluribus, qui pretio corrupti fuerant ad electionem, & ideo simoniacè, an sit legitime electus, si sine eorum suffragiis duas partes ex eligentibus habuerit. n. 15.

Hæretica prauitate infectus eligi non potest in summum Pontificem, & si in regimine & administratione se ingerat, erit intrusus. n. 16.

Electio summi Pontificis per adorationem, hodie est omnino sublata per Constitutionem Gregorij XV. n. 17.

Intrusus in Papatu erit, qui per adorationem fuerit electus, si in illo se ingerat, cum tale genus electionis sit omnino sublatum. num. 17.

Electio summi Pontificis præcisè hodie fieri debet iuxta Constitutionem Gregorij XV. & aliter facta, est irrita, & electus si contra

ipsum formam se ingerat in administratione, erit intrusus. n. 18. & 19.



Decisionem huius quæstionis supponendum est, electionem Romani Pontificis non esse canonicam & legitimam, nisi à duabus partibus Cardinalium eligentium fuerit facta, approbata, & conuenta. Quod si à paucioribus fuerit concordata, non erit ille legitimus Papa, in quem isti conueniunt; sed qui à duabus partibus fuerit concorditer electus, & receptus, ut expressè deciditur in cap. licet de vitanda 6. de electione. ibi, Et à duabus partibus concordantibus, &c. de quo latè agit Azor. tom. 2. institut. moral. p. 2. lib. 5. cap. 4. q. 7. & Camillus Borrel. in summa omnium decisionum tit. 4. num. 6. & alij plures penes Barb. de vniuerso iure Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 84.

De quo nouissimè adest constitutio 2. sanct. Mem. Gregorij XV. sub Dat. Roma 17. Kalendis Decembris 1621. Pontificatus sui anno 1. & habetur in Bullario Cherub. in vltima impressione, tom. 3. in constitutionibus eiusdem Pontificis constit. 13. quæ incipit, Aeterni, fol. mibi 291. vbi in summario inuenies alias constitutiones annotatas quæ à diuersis summis Pontificibus vsque ad illud tempus ad eum effectum fuerunt editæ: & vide ibidem, constitutionem 19. eiusdem Gregorij XV. pag. 297. vbi reperies Ceremoniale electionis, notatu dignum.

Ex quibus colligitur. Primo, illum esse 3 in Papatu intrusum, qui si non fuerit à duabus partibus electus, in eo se ingerit. & patet ex verbis dicti cap. licet, vers. si quis autem, ibi, Si quis autem de tertie partis nominatione confusus (quia de ratione esse non potest) sibi nomen Episcopi usurpauerit, tam ipse quam ij qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri Ordinis priuatione multentur, &c.

Vnde deducitur, quod ingrediens in Papatum, per electionem factam à minori numero duarum partium Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Eligentium, caret titulo canonico & legitimo, cum illum non habeat iuxta Canonicas sanctiones, & exindè eum intrusum iudicandum esse, qui se ingesserit in Papatu aliter, quam statutum reperitur in d. cap. licet, & in d. constit. Gregorij XV. de quo vide Barb. & ab eo allegatos in d. cap. 1. n. 110. & 111. qui in antecedentibus numeris, latè cum Bonacina, in peculiari tractatu de legitima summi Pontificis electione, tradunt, quomodo canonicè fieri debeat Papæ electio, iuxta dictam constitut. Gregorij

Gregorij XV. quæ postea fuit confirmata, & innouata per sanct. mem. Urbani VIII. constitutione, incipientè, Ad Romani Pontificis 5. Kalendis Februarij 1625. Pontificatus sui anno III. & habetur in eodem tom. 3. Bullarj Cherubini const. 45. eiusdem Urbani, pag. 61. quam etiam inuenies abbreviatam, & compendiatam penes Bonacinam in d. peculiari tract. de legitima summi Pontificis electione, disp. 1. de qua etiam latè agit Barb. in d. cap. 1. n. 103. Quod quidem dicti Pontifices disponere potuerunt, nam ad eos pertinet disponere de formula, & ratione eligendi futurum summum Pontificem: ut latè aduertit Azor. in d. cap. 5. q. 2.

Deducitur ex dictis quoddam dubium inquirendum, quod mouet Glossa in d. cap. licet, verbo, à duabus partibus, an scilicet electus computari debeat in duabus partibus, vt exinde etiam colligere possumus, an qui in Papatu fuerit electus à duabus partibus computato ipsius suffragio, sit intrusus, si in administratione se ingerat? Et resolutio secundæ partis, pender à primæ: in qua dissentiunt Doctores: nam alij tenent, non esse computandum suffragium, vel vocem electi, vt resoluit Glos. in d. cap. licet, verbo, à duabus partibus, & in cap. cum in iure 33. verbo, consentiat, in fine, de electione, per textum in cap. Cumana 50. eodem titulo, quam sententiam tuentur etiam Innocen. Bellamera, Compostel. Decius, Archid. & Geminianus relati per Barbofam in collect. ad d. cap. licet. n. 8.

Contrariam tamen, quod scilicet electus computari debeat in numero duarum partium plures defendunt, Rodriguez tom. 2. quæst. regul. q. 53. art. 10. vers. neque etiam obstat. Pineda in vita diui Ioannis Baptista, lib. 2. art. 3. c. 10. pag. 422. quos refert Barbofa vbi proxime, quibus iunge Spinum in speculo testamentorum, glos. 27. Principali, n. 56. Mirandam in manuali Prælat. tom. 2. quæst. 23. art. 40. conclus. 1. latè Azor. tom. 2. instit. moral. p. 2. cap. 5. quæst. 8. vers. quare vis quæstionis, & alios penes nostrum Cenedo in loco statim citando, qui mouentur ex l. plane, ff. quod cuiusque vniuersitatis: quæ ita ait: Plane, vbi due partes Decurionum ad fuerint, is quoque quem decernunt numerari potest. &c. Et similiter sumunt argumentum ex l. si Consul. ff. de adoptionibus, vbi si filius familiaris sit Consul, vel Præses, decidit Iuriscultus Paulus, quod potest apud semetipsum emancipari, vel in adoptionem dari, &c. Ex quibus & aliis fundamentis, præter proxime allegatos, hanc opinionem tuentur plures ex antiquioribus.

Hanc contrarietatem cum distinctione

componit Cenedo, & alij per eum relati in collect. ad Decretales, collect. 99. num. 2. in vers. reiectis variis intellectibus: videlicet quod quando electio sit per scrutinium manifestum, poterit quis consentire electioni de se factæ, & eius suffragium facit numerum, dummodò vocem habeat, & sit de Collegio, nullumque alium eligat; secus tamen si fiat per scrutinium secretum, quia in eo casu non potest electioni de se factæ consentire.

Cur autem in primo casu valeat, & non 8 in secundo; deducitur ex eo, quia in scrutinio secreto consideratur ambitio, cum ille ignoret an alij in ipsum consentiant, & ideo tanquam ambitiosus repelli debet, cum assumi nequeat à se, sed vocatus tanquam Aaron: At verò quando palam & clarè iam cognoscit, & videt, se per alios eligi, & nominari, tunc tanquam à sociis vocatus, ambitionis ratio, & motuum cessat, & sic potest consentire numerum augendo; quam distinctionem amplectuntur etiam plures relati per Barb. qui cum eis eam sequitur in d. collect. ad text. ad d. cap. licet, n. 8. in fine, de quo vide Cardin. Iacobatium in tract. de Concil. lib. 3. art. 1. vers. sed quid. n. 119. & sequen. quem etiam reperies tom. 3. tractatum, p. 1. in vltima impressione Venetijs 1584. pag. mibi 230.

Hodie tamen hæc indagatio, & contrarietas opinionum remanet decisa in dicta constitutione Gregorij XV. nam in §. 2. & sequen. expressè decernitur, quod suffragium electi non numeretur in duabus tertiis partibus, quocumque modo electio fiat, siue per viam scrutinij, siue scrutinij & accessus; & ita tradunt Barb. de vniuerso iure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 1. n. 104. & in collect. ad d. cap. licet de vitanda, n. 8. vbi n. 9. refert verba dictæ constitutionis: latissimè Bonac. vbi supra disp. 1. q. 5. punct. 1. proposit. vniuersa, conclusio. 4. n. 11. vbi varia adducit fundamenta, quæ videre poteris; nam conducent ad præsentem articulum.

Ex quo deducitur, quod stante prædicta constitutione, quæ requirit, & disponit non esse computandum suffragium electi, vt patet in §. 2. per hæc verba: Numerum autem suffragium duarum ex tribus partibus Cardinalium, in conclauis presentium, vt electio per viam scrutinij, siue scrutinij & accessus, valida sit; decernimus, & declaramus ita esse censendum, vt in duabus tertiis partibus, suffragium electi non numeratur, nec quisquam siue scrutinij & accessus, siue compromissi via procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare vllatenus possit &c.

Intrusus ergo iudicandus erit in Papatu 11 is,

is, qui in illo se ingererit, si præter suum suffragium non fuerit electus à duabus tertiis partibus, quia caret titulo canonico, obstantibus prædictis constitutionibus Gregorij XV. & Urbani VII.

12 Secundò extēde dictam resolutionem ad electionem summi Pontificis factā per metū grauem cadentem in constantē virum, quia iam non erit legitima & canonica, nam requirit ex sui natura plenam libertatem in eligentibus, vt patet ex text. in cap. ubi periculum. 3. §. caterum, ubi, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi, &c. de elect. in 6. & ibi Glos. verbo libertas, ita declarat: Quod quidem reperitur etiam decretum in Concilio Constantiensi sess. 39. illudque reperies tom. 4. Conciliorum, in impressis Venetijs de anno 1583. pag. mibi 383. in secunda columna, in fine, ver. quod si forte, per hæc verba, Quod si forte electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in constantem virum, seu impressionem de catero fieri contingat, ipsam decernimus nullius efficacia, vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari, vel approbari, &c. & ita tradunt Azor. tom. 2. inffit. moral. p. 2. lib. 4. cap. 2. q. 6. & cap. 5. q. 7. ver. si demum querat, quem cum aliis allegat Bonacina in d. tract. de elect. summi Pontificis, disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 1. fol. mibi 15. qui mouentur ex decreto dicti Concilij Constantien. illudque allegant sess. 29. sed in meo Codice est 39. prout allegauimus supra: Vnde sequitur, quod electus per dictum metum, si in administratione se ingererit, erit intrusus ex ratione supra dicta.

13 Tum & etiam, quia statim atque eligetur Papa, iurisdictionem adipiscitur, cum talis electio confirmatione non indigeat, prout alix inferiores requirunt; quia summus Pontifex nullum recognoscit Superiorem in terris, & exinde statim acquirit iurisdictionem; sed ea, quæ habetur per vim, nulliter traditur, vt in l. 2. ff. de iudicijs, Glossa in l. si mulier, §. si dos, verbo, vllam esse, in fine, ff. quod metus causa: ergo dicendum venit, electum in Papatu cum metu, cadente in constantem virum, incusso Electoribus, esse intrusum, si in illo se ingerat; Quomodo autem hæc ampliatio sit intelligenda, videre poteris penes Azor. & Bonacinam ubi proximè, qui à num. 3. vsque in finem, latè disputat, quinam metus debeat esse, vt ex eo electio annulletur.

14 Tertiò extēde, vt etiam dicatur intrusus, qui fuerit in Papatu electus per Simoniam, quia talis electio est irrita, & inualida, vt patet ex Bulla Iulij I. sub Dat. Romæ Kalendis Februarij, 1505. Pontificatus sui

anno 2. quæ incipit, Cum tam diuino, & habetur in Bullario Cherubini tom. 1. const. 3. eiusdem Pontificis, pag. 403. in prima impressione, & in secunda, pag. 355. ubi irritatur, & annullatur electio summi Pontificis, facta per Simoniam, dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiuscunque generis, Castra, Officia, vel beneficia, &c. Vt in §. 1. eiusdem constitutionis continetur, & patet ex text. in c. si quis pecunia, 79. distinctione, & cum Albano tradit Bonacina ubi supra disp. 1. q. 2. §. vnico, concl. vnica. n. 1. & 2. fol. mibi 23. & latè disp. 2. q. 6. per totam, fol. 63. Azor in d. lib. 4. cap. 5. q. 7. ver. deinde querat, & alij plures penes Barb. de vniverso iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 1. n. 111. quibus iunge nouissimè Iacobum Cohellium in suo tractatu de notitia Cardinalatus, c. 16. priuilegio 24. Ex quo sequitur, quod cum taliter electus per Simoniam non habeat titulum Canonicum & legitimum, erit intrusus in Papatu, si in eo se ingerat; & incurreret pœnas intrusi, præter illas impositas in d. const. Iulij I.

Sed hic se offert dubium, notatu dignum, videlicet vtrum talis electio vitiosa iudicari debeat, si aliquis fuerit electus in Papatum non solum ab vno, vel ab alijs, quem vel quos precio corruperat, verum & etiam à cæteris, quorum suffragia per se sufficerent ad perfectam electionem, adhuc exclusis illis Simoniacæ labe infectis; & Sopranus in tractatu de elect. Papa, lib. 4. c. 2. q. 18. quem refert Bonacina ubi supra, disp. 1. q. 2. in d. §. vnico, n. 9. pag. 25. tenet inualidam & irritam esse, ex eo quia Iulius I. in d. constit. decernit, vt electus per Simoniam Apostaticus sit, etiam si orania vota nemine discrepante habuerit, Bonacina tamen ubi proximè, & in d. disp. 1. q. 5. punct. 1. n. 9. pag. 34. contrariam probabilem iudicat; verum inspectis verbis dictæ constitutionis Iulij I. magis assentio primæ opinioni, quia fortiter vrget ipsius dispositio, clarè loquendo: fateor tamen, quod pro vtraque parte adfit probabilis ratio, & ideo non auderem damnare de intrusione illum, qui ita fuisset electus.

Quartò extēde, vt etiam si sit intrusus ille qui hæresis labe notatus existens fuerit electus ad Papatum, & se in regimine & administratione ingerat, ex eadem ratione superius tradita, videlicet quia talis electio est nulla, irrita, & à iure reprobata, vt patet ex d. cap. licet, de electione, & ibi Glos. verbo exceptione, & ex dicta Bulla Iulij I. de qua latè agit Azor. in d. 2. p. lib. 4. cap. 5. q. 7. ubi hanc sententiam tueretur in ver. & Innocentius: & Labor variat. lucubrat. tom. 1. lib. 4. cap.

cap. 6. n. 35. & alij penes Bonacinam ubi supra in d. §. vnico, n. 18. pag. 27. Iacobatium ubi supra, in dicto articulo 1. n. 118. ver. sed quid si Papa; prout ipsum allegauimus supra à num. 7. Vnde cum non habeat ingressum canonicum, sed vitiosum & infectum, nullatenus est legitimus summus Pontifex, nec pro tali haberi debet; ergo si administrauerit, & in eo se ingererit, erit intrusus, vt per se patet: & de hoc articulo vide plura penes Barbofam in collect. ad text. in c. si Papa, 40. distinct. præcipue n. 39. & 40. & Iacobatium ubi proximè, n. 129. cum pluribus seqq.

17 Quintò extēde ad electionem factam per Adorationem, nam licet olim legitimam esse constet; hodie tamen per dictam constitutionem Gregorij XV. irrita, nulla, & inualida declaratur: taliter quod nullum ius electo tribuat, vt patet in §. 19. ubi expressè decernitur, quod electio summi Pontificis præcisè fiat per suffragia secreta, & aliter facta sit irrita, & inanis: ad quod ita decernendum motus fuit Gregor. XV. ad euitanda inconuenientia, & damna quæ ex electione per Adorationem experiebatur; nam præ se ferebat tractatus antecedentes de persona eligenda, & alia quamplura, quæ animos turbabant; ad quod secandum, & abolendum totaliter, Gregorius abrogauit omnes modos eligendi summum Pontificem, præter contentos in illa sua Constitutione, declarando nullos, inualidos, & irritos quoscunque non expressos, aut vsque tunc practicos, propter damna quæ resultabant, quæ enumerat ex Soprano in d. lib. 4. p. 2. q. 1. cum pluribus sequent. Bonacina ubi supra in d. q. 5. punct. 1. vnica propositione, n. 6. pag. 34. Ex quibus sequitur, quod si electus per Adorationem se gerat pro Pontifice, erit intrusus propter carentiam legitimi, & canonici tituli, obstante dicta Constitutione.

19 Et tandem extēde, vt quoties summus Pontifex fuerit electus contra formam prædictarum constitutionū Gregorij XV. & Urbani VII. & se ingerat in administratione, & regimine Papatus, erit intrusus, quia electio aliter facta, quam ibidem disponitur, est nulla, & inualida, vt latè per Barbofam de vniverso iure Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 103. de quo consule Bonacinam ubi supra in d. disp. 1. qui in fine ipsius disputationis, epilogando omnia in ea contenta pag. 51. congerit quindecim casus in quibus electio summi Pontificis vitiatur, & euertitur, in quibus concludendum est, & fatendum, quod si aliquis fuerit electus per quemcunque modum ibidem expressum, & se

ingerat in administratione, erit intrusus in Papatu, ex ratione multoties repetita in præsentis tractatu, videlicet quia cum taliter electus habeat vitiosum ingressum, nec sit munitus aliquo legitimo & Canonico titulo, incurrit ex eo delictum intrusionis, & incidit in pœnas contra intrusos à iure impositas. Ex quibus, &c.

QVÆSTIO XIV.

Papa intrusus, & spoliatus, an sit restituendus.

S V M M A R I V M.

Spoliatus ab alio quam à Iudice, vel à Iudice si iuris ordinem non seruauerit, restitui debet. n. 1. & 4.

Quod fallit in intruso in Papatu. n. 2. & seqq. Intrusus in Papatu, si fuerit spoliatus, non debet restitui. n. 2. & 3.

Episcopi simoniaci, & qui habuerunt ingressum vitiosum in Episcopatu, non sunt habendi pro Episcopis, & ideo si à Sedibus fuerint expulsi, restitutionem petere non poterunt, antequam ad causam vocentur. n. 3.

Intrusus in Papatu, & spoliatus, an sit statim restituendus. n. 4. & seqq.

Sedem Apostolicam, si violenter aliquis occupauerit, ab ipsaque spoliatur, statim est restituendus, non obstante exceptione alicuius criminis, quia non habet Superiorem, coram quo petere possit restitutionem. n. 4.

Quod intellige vt n. 6.

Summus Pontifex spoliatus statim est restituendus, quia non recognoscit Superiorem, coram quo restitutionem petere possit. num. 5.

Quod intellige vt n. 6. & seqq.

Symmachus summus Pontifex fuit spoliatus Pontificatu, sed statim per Concilium fuit restitutus. n. 6.

Summus Pontifex spoliatus Papatu, petere potest restitutionem per Concilium. n. 6.

Papa si malè regat Ecclesiam, magis punitur à Deo, quam alij inferiores Prælati. n. 7.

Sedem Apostolicam si quis vsurpauerit pecunia, vel alio illicito modo: non Apostolicus, sed Apostaticus habendus est, & tunc licet Cardinalibus eum anathematizare, & cum laicorum auxilio ipsum repellere. n. 7.

Papa potest per Concilium Generale à Pontificatu amoueri, iusta subsistente causa. num. 8.

Quicumque intrusus, etiam in Papatu, si spoliatur sua possessione, non est restituendus. num. 9.

Quod intellige si notorie constat de intrusione, non verò si de ea non constiterit. num. 10. & 11.

Intrusus statim restituendus est, si non constat de notorio & manifesto defectu, ingressum impediente. n. 10.

Papa si fuerit electus à duabus partibus Cardinalium habet titulum legitimum & Canonicum ad obtinendam Sedem Apostolicam. n. 11.

Petere, ut Papa iustificet titulum suæ possessionis, ad effectum ut restituatur, ex eo quod fuerit spoliatus, magis procedit de stylo, quam de iure. ibid.

Papa si non seruato iuris ordine fuerit spoliatus, etiam per Concilium, non seruato iuris ordine, restitui debet antequam possit accusari, & ad eum effectum non tenetur accusatoribus respondere.

I Et quæstio difficilis est, & apud Doctores variè tractatur. Glossa namque in summa, 3. q. 1. verbo, quidam Episcopus, tenet, quod licet Regulare sit, spoliatum ab alio quam à Iudice, vel etiam à Iudice si iuris ordinem non seruauerit, restituendum esse, ut in cap. in literis, cap. cum quis, & cap. conquirente, de restitutione spoliatorum, & cap. denique, 6. quest. 3. traduntque Gonzalez ad regul. 8. glos. 2. n. 25. latè Cancer. var. resol. p. 2. cap. 7. num. 4. cum pluribus sequen. Gratianus tom. 4. discept. forens. cap. 734. num. 34. & 44. & pluries declarauit Rota in recentior. tom. 1. p. 2. decis. 565. n. 5. & decis. 674. n. 1. & tom. 2. p. 3. decis. 724. num. 5. & aliàs sæpe; quam conclusionem admittunt communiter Doctores.

2 Tamen hæc Regula generalis fallit in eo, qui in Sede Apostolica fuerit intrusus, & ita dicit Glossa in d. summa, quod in Papa intruso est speciale, ut restitutionem petere non possit, (de quo specialiter dicemus infra, n. 9. & sequen.) Quod idem docuit etiam alia Glossa in cap. in nomine Domini, verbo, audientia, 23. distinct.

3 Prædictæ autem Glossæ fundantur in §. patet, quem reperies post cap. Deus ergo, 6. eadem causa 3. q. 1. ibi. Illi ergo quorum electio vitiosa est, vel qui à Clero non sunt electi, vel à populo expetiti, vel qui per simoniam irrepserunt, non sunt habendi inter Episcopos, & ideo si à Sedibus quas tenere videbantur, expulsi fuerint, non possunt restitutionem petere, antequam vocentur ad causam, &c. Ex quibus verbis, prædictæ Glossæ resoluunt, speciale esse in Papa intruso, quod restitutionem petere non possit, per illa verba dicti capit. in nomine Domini, ibi. Nec aliqua

super hoc audientia reseruetur, &c. quam sententiam tuentur Speculator lib. 2. p. 1. tit. de petit. & possess. §. 2. qui incipit, Quoniam in superioribus, vers. secundus, intrusio in Romanam; Martinus Laudensis in tract. de Princip. q. 70. Ripa in l. naturaliter, §. nihil commune, n. 90. vers. decimo septimo fallit in Antipapa, ff. de acquirenda possessione, quos refert & sequitur Antonius Gabriel tom. 2. syntagmatis communium opinionum, siue receptorum iuris sententiarum lib. 5. sub tit. de restit. spoliat. concl. 1. in duodecima limitatione, n. 95. in vers. & propterea intrusus in Papam; idemque firmat Anton. Corset. in regula, Spoliatus, in vigesima limitatione.

Verum quamuis prædictæ Glossæ, & præcipuè in allegata summa. 3. q. 1. in verbo, quidam Episcopus, ita resoluunt, prædictique Doctores illius auctoritate freti idem teneant; Ego quidem paulò diligentius ipsas Glossas examinandas puto, ut veritas tantæ difficultatis pateat: Ergo aut Glossa in dicto verbo, quidam Episcopus, vult, intrusum in Papatu, & spoliatum, non esse penitus restituendum; quod quidem ex eius verbis colligi non videtur: nam ait, Quod spoliatus ab alio quam à Iudice, vel etiam si à Iudice fuerit spoliatus iuris ordine non seruato, semper & statim est restituendus non obstante exceptione alicuius criminis, vel non canonice institutionis; Quæ regula (ait Glossa) fallit, quando violenter aliquis Sedem Apostolicam occupauit, ex eo quia non habet Superiorem coram quo restitutionem petere possit, provt alij inferiores intrusi, & ita prædictam Glossam intelligunt Speculator, Marti. Laudens. & Ripa in locis supra citatis, n. 3. scilicet restitui non debeat, cum non habeat Superiorem coram quo petere possit restitutionem; eodemque prorsus modo illam admittit Archidiaconus in cap. in nomine Domini, 23. distinct. sub. n. 21. vers. in ea glossa hic habes &c. ut scilicet nullo modo sit restituendus eodemmet fundamento, quia non habet Superiorem coram quo restitutionem petere possit.

Quæ quidem ratio (vt aduertit Cardinalis Alexander. sub. n. 33.) est inefficax & nullius momenti; cum expressè conuincatur ex textu in cap. Nos si incompetenter, vers. item Symmachus, & quod ibidem notat Archidiaconus, 2. quest. 7. vbi patet, quod Symmachus erat spoliatus, & per Concilium fuit restitutus, de quo vide Cardinalem Dominicum Iacobatium in tract. de Concilio lib. 3. Artic. 1. vers. quinimo, n. 108. & 111. & 117. & 132. ergo habet coram quo agere possit ad restitutionem.

Quod

7 Quod etiam suadetur ex cap. si Papa. 4. distinct. ex quo probatur, quod si Papa male regat Ecclesiam Dei, magis punitur à Deo, quam alius inferior Prælati; idemque probatur ex cap. si quis pecunia, 79. distinct. vbi deciditur, quod si quis pecunia, vel alio illicito modo vsurpauerit Sedem Apostolicam non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur, & tunc liceat Cardinalibus eum anathematizare, & Laicorum auxilio eum repellere, &c. Et ita potest Papa amoueri à Pontificatu per Concilium Generale. Iacobatius vbi proximè, n. 112. & 113. & lib. 9. artic. 1. n. 40. & 41. cum sequen. propter crimina expressa in iure, ex quibus priuandus & spoliandus veniat: vt late tradunt Azor. & alij ab ipso allegati tom. 2. instit. moral. p. 2. lib. 4. cap. 7. q. 3. & 4. Ergo habet Superiorem coram quo petere possit restitutionem: ergo ratio Glossæ non concludit.

9 Insuper & etiam ex verbis ipsius Glossæ potius inducitur, quod intrusus in Papatu, & spoliatus sua quasi possessione, non debeat ante omnia restitui, nam aiunt hoc esse speciale in Papatu, & præter Glossam plures docent; sed hæc specialitas nullatenus considerari potest, vt notat Alexan. in d. summa. 3. q. 1. n. 28. nam & etiam alij inferiores, qui fuissent intrusi non restituerentur, vt constat ex notatis in dicto §. patet, eadem causa 3. q. 1. quem reperies post cap. Deus ergo, 6. in vers. illi ergo, & tradunt Innocentius, Abbas, & alij in cap. in literis, de restitutione spoliatorum, Menochius de recuperanda, remed. 1. n. 23. vsque ad 238. Rota decis. 2. de restit. spoliat. in antiquis, quam sequitur Mantica decis. 356. num. 8. vbi expressè decidunt, quod intrusi, & carentes titulo, si spoliati fuerint, non debeant restitui, quauis text. in c. licet 6. de elect. videatur in fine, aliquam specialitatem in Papa innuere, quam intelligere poteris provt dicit ibidem Glossa in verbo, speciale: & ideo concludendum videtur, in hoc casu non esse speciale; Sed dicendum quod si aliquis fuerit intrusus in Papatu ex aliquo patenti defectu, non debeat restitui, quia ei obstat exceptio notorie intrusionis, cap. significasti, de diuortijs, cap. ad decimas, de restit. spoliat. in 6. vbi Barbof. in eius collect. n. 15. & 16. plures allegat. & dicit communem esse Doctorum sententiam; & in specie eam tenet Antonius de Rosel. in tract. de potestate Papa, & Imperatoris, fol. 38. n. 75. vbi affirmat, quod notorie intrusus in Papatu, & spoliatus, non sit restituendus; quod quidem probari testatur ex cap. si quis per pecuniam, & except. si duo, 79. distinct. & ex

d. cap. in nomine Domini, 23. distinct. Idemque videtur de mente Antonij Gabriëlis in d. lib. 5. communium opinionum, sub tit. de restit. spoliator. concl. 1. n. 98.

Si vero non sit notorie intrusus in Papatu, tunc restituendus venit, iustificando prius titulum suæ electionis, vt patet ex d. cap. Nos si, §. Symmachus 2. q. 7. & probat Antonius Rosel. in d. tract. de potestate Papa, & Imperatoris, fol. 38. n. 72. de quo videndus est Cardin. Iacobatius in d. tract. de Concilio lib. 3. artic. 1. vers. quinimo, à n. 108. vsque ad 117. qui habetur etiam tom. 13. Tractuum, p. 1. in impressis ultimo, Venetijs, de anno 1584. vbi copiosè agit de intellectu dicti §. Symmachus: apud quem videre poteris. Et n. 110. probat, quod petere à Papa, colorare titulum possessionis, magis procedit de stylo, quam de iure; Quod quidem facilius quam alij inferiores efficere potest, quia talis electus in Papatu colorabit titulum, docendo solum, se à duabus partibus Cardinalium electum fuisse, vt ait Dominicus in d. cap. in nomine Domini, quem sequitur ibidem Præpositus sub n. 33. post medium.

Et quod Papa spoliatus non seruato iuris ordine; si non sit notorie intrusus, debeat primò & ante omnia restitui per Concilium, etiam non seruato iuris ordine, ante quam possit accusari, nec teneri ad eum effectum accusatoribus respondere, docet Cardinalis Iacobatius in d. lib. 3. art. 1. num. 94. cum pluribus sequen. apud quem latè videre poteris quidquid circa hanc quæstionem excogitari valet: nam ex professo eam longa manu disputat, & consultò omitto hic repetere; vt ad alia deuenire possimus, & in sequenti quæstione aliqua conducibilia ad præsentem, in medium proponemus.

QVÆSTIO XV.

An Papa Intrusus censendus sit Schismaticus, & vt talis deponendus.

S V M M A R I V M.


Sedem Apostolicam qui temerariè, & sine titulo, saltè colorato occupauerit, est Intrusus, Schismaticus, & Apostaticus, & ipso iure Anathematizatus. n. 2.

Assumens Cathedram Petri aliter quam per canonicam electionem, debet ab ea excludi, & est excommunicatus cum omnibus suis auctoribus, & fautoribus, & tanquam inuasor

uasor totius Christianitatis incurrit in pœnas à iure impostas. n. 3.
 Intrusus in Papatu reputari debet tanquam Antichristus, & inuasor totius Christianitatis, & cum omni celeritate, & conatu eiciendus est. n. 3. & 4.
 Schismaticus dici non debet contendens de Papatu, si fretus existat aliquo legitimo & canonico titulo, aut saltem iusto, vel colorato, seu probabili dubio. n. 5.
 Intrusus in Papatu dici non debet, qui aliquo legitimo, & iuridico errore ductus contendit, quamuis sit in lata culpa, dummodo non sit in dolo. n. 5. & 6.
 Schismaticus iudicari debet, qui de Papatu contendit nullo colore fretus; non verò qui aliquem habeat, etiam si sit in lata culpa, dummodo dolo careat. n. 6.
 Schismaticus iudicandus est, qui temerariè, & sine aliquo colore se in Papatum intrudit; non verò qui legitime fuit electus, etiam si cum illo contendat. n. 7. & 11.
 Octavianus, & post eum Guido fuerunt Schismatici, & pro talibus declarati, quia sine legitimo titulo contenderunt de Papatu cum Alexandro III. qui erat verus & legitimus Pontifex. n. 8.
 Papa legitime electus, non est Schismaticus ex eo, quod contendit cum alio, qui temerariè, & sine colore se intrudit in Papatum. n. 7. & seqq.
 Quod intellige ut n. 13.
 Symmachus Pontifex quamuis fuisset accusatus; fuit tamen declaratus pro vero Papa per Concilium, contra Laurentium Antipapam Schismaticum. n. 9.
 Schisma multis modis dici potest; sed illud propriè appellatur, per quod quis ab unitate Ecclesie segregatur, in quantum est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus constitutum. n. 10.
 Summus Pontifex tanquam Caput vniuersæ Ecclesie vnita, ut tale influit in omnibus Catholicis. *ibid.*
 Papa electus legitime & canonicè, si in suo iure, & Sede molestetur, non est segregatus ab vnione Ecclesie, ex eo quod suum ius lueatur. n. 11.
 Iniuria nasci non debent, vnde iura nascuntur. n. 11.
 Verus Papa canonicè electus, administrare potest Ecclesiam vniuersalem, etiam si alius intrusus Antipapam intendat, quod in Sede non in throno. n. 12.
 Duo contendentes de Papatu, quorum alter est verus, alius verò intrusus; si ambo diu & pertinaciter perseuerent in contentione, & scissura Ecclesie, nec adhibeant remedia opposita ad tollendum schisma, ambo sunt

schismatici, & vt tales priuandi Papatu, n. 13. & 16. & 18.
 Ecclesia Catholica vnica debet esse, & extra unitatem accipere non potest Spiritum sanctum, illamque tenere, & conseruare ad eius firmitatem opus est, n. 14.
 Vestis Domini nostri Iesu Christi indiuisa remansit, quia significabat vnitatem Ecclesie, n. 14.
 Papa & omnes alij procurare debent unitatem Ecclesie, & totis modis & viribus evitare schisma, n. 15.
 Schismatici pertinaces in sustinendo & fouendo schismate, transcunt de schismaticis, in hereticos: n. 15. & 16.
 Schismaticus si post longum tempus sua secta pertinaciter adhaerit, tunc dicitur hereticus, n. 16. & 26.
 Pœna Papæ heretici, est depositio: n. 16.
 Schismatici sunt omnino extra Ecclesiam, & segregati ab eius unitate, similiterque reputantur Dei hostes; existuntque in statu perditionis, suntque peiores & sceleratiores quàm pagani. n. 17. & 18.
 Schisma si est inueteratum, fautores illius censentur Heretici, ex quo Ecclesiam scindunt, cum ipsius vnionem non procurent. n. 18. & 26.
 Duo si contendant de Papatu, & ex hoc oriatur scandalum, vterque deponi debet, n. 19.
 Electiones duæ si reperiantur factæ de diuersis personis pro summo Pontifice, potest Concilium vtramque cassare pro vitando scandalo schismaticis, n. 20.
 Concilium Pisanum cassauit electiones factas de Gregorio XII. in Italia, & Benedicto XIII. in Gallia, ad vitandum illud prolixum schisma, fuitque electus Alexander V. num. 21.
 Papa non recognoscit Superiorem in terra: & ideo à nemine debet iudicari. n. 22.
 Verus Papa si contendat cum Antipapa intruso, non debet cedere, etiam pro sedando schismate, nec ex ea causa priuandus venit. n. 22.
 Sed contraria sententia est verior. n. 23.
 Scandalum vtilius nasci permittitur, quam quod veritas relinquatur. n. 22.
 Quod intellige ut n. 24.
 Papa pro causis in iure expressis potest iudicari à Concilio, ritè & rectè conuocato, n. 23.
 Veritas triplex est, alia bona vite, alia Iustitie, & alia discipline, & prima omitti non debet propter scandalum, bene tamen cetera. n. 24.
 Veritas iustitie ad Iudicem pertinet, altera vero veritas discipline ad Prælatum; quæ quandoque omitti possunt pro vitando scandalo, n. 24.

Ius naturale, & diuinum est indispensabile, à quo recedendum non est, etiam pro vitando scandalo, n. 25.
 Multa concedenda sunt pro vitando scandalo, quæ aliàs concedi non deberent, n. 25.
 Papa & Antipapa contendentes, pro sedando schismate, cedere debent; & si pertinaciter renuant efficere, ambobus obedientia subtrahenda est, vt sic per indirectum ad vnionem compellantur, n. 26.
 Vnionem subterfugientes digni sunt omni pœna, n. 27.

 ANc quæstionem examinant Anton. de Rosel. in tract. de potestate Papæ & Imperatoris, in rubrica: an Papa pro simonia, & pro alio crimine deponi possit, à n. 11. & vers. an propter schisma, cum sequen. vsque in finem, & Cardin. Dominicus Iacobatius in tract. de Concilio lib. 9. artic. 1. n. 54. vers. sed Modernus Arctinus vsque in finem, & per totum articulum secundum; quem etiam reperies tom. 3. Tractatum p. 1. pag. 229. in vltima impressione Venetiis 1584. Ex quorum dictis ad resolutionem duo casus sunt distinguendi.

1 Primus est, quando quis temerariè in Papatu se intrudit nullo colore, vel titulo saltem dubitabilis veluti si Sedem Apostolicam occupauerit, & in eius administratione & gubernatione se ingesserit sine iusta electione, aut aliàs dispurabili, cum fundamento probabili, tunc enim sine dubio erit Schismaticus, & Apostaticus, ipsoque iure Anathematizatus, vt patet ex textu in cap. in nomine Domini, vers. quod si quis contra hoc nostrum decretum, 23. distinctione, cap. si quis pecunia, 79. distinct. 3. cap. licet 6. de electione, vbi deciditur, quod assumens Cathedram Petri aliter quàm per Canonicam electionem, veluti si illam arripuerit præsumptione, seditione, aut alio illegitimo titulo; debeat excludi, & est excommunicatus cum omnibus suis auctoribus, & fautoribus, & sicut Antichristus, & inuasor totius Christianitatis pœnas in dicto cap. in nomine Domini, & in dictis iuribus impostas incurrit; (de quibus in quæstione sequenti, latius agemus:) & talis intrusus omni conatu, & celeritate eiciendus est, vt deciditur in d. cap. si quis pecunia, & in d. cap. licet; quam sententiam probat Cardinalis Iacobatius in d. lib. 9. artic. 1. num. 59. vbi allegat Cardin. in cap. 1. de schismat.

2 Secundus casus est, quando intrusus in Papatu aliquo legitimo, & iuridico errore ductus, qui eum saltem à culpa excusaret,

se intrusisset per illum errorem, vel non legitimum intellectum, tunc enim cum fretus existat aliquo titulo colorato, forsan propter facti, vel iuris dubium; dicendum est, ex eo solo quod de Pontificatu contenderit, non esse iudicandum; vel habendum pro schismatico; cum bona fides, & iustum dubium ipsum excuset: vt patet ex his quæ notant Dynus & Bartolus in l. penultima, & finali ff. ad legem Iuliam de adulteriis, & in l. 1. §. ceterum, ff. de ventre inspiciendo, Anton. Rosel. in d. tract. de potest. Papæ, & Imperatoris, in rubrica, n. 30. vers. si verò quis se contendit, & Iacobatius vbi supra. num. 61.

Et prædictus casus ampliatur, vt procedat etiam si talis intrusus sit in lata culpa, dummodo non sit in dolo; licet enim verò pro culpa pœna imponi possit, vt in d. l. penultima, & finali, ad leg. Iuliam de adulteriis, non tamen debet censeri Schismaticus, nam alter illegitimus Antipapa cum ipso contendens Schismaticus iudicandus est, secundum Rosel. vbi supra n. 30. & 38. & Iacobatium vbi supra n. 61. quod quidem non simpliciter intelligendum est, sed cum aliquibus circumstantiis infra annotandis; ad quas enodandas, duo etiam alij casus ex eisdem Auctoribus aduertendi, & subdistinguendi sunt.

Primus est, quando contendens de Papatu temerariè, & sine aliquo colore se intrudit ad excludendum eum, qui ritè, & rectè ac canonicè electus est, quia tunc ille verè censendus est Schismaticus (vt dictum est) non verò secundus canonicè electus, ex eo, quod cum illo illegitimo & intruso litigat & contendit, nam defendit suum verum & legitimum ius, & electionem, vt patet ex textu in cap. 1. de schismaticis, vbi ille Octavianus & post eum alter Guido intrusi, qui cum Alexandro III. contenderunt de Papatu (vt notat *ibidem* Glossa verbo Octauiano) iudicati & declarati fuerunt pro Schismaticis, ipse verò Alexander, qui cum illis contendeat pro legitimo; non verò pro Schismatico, vt tradunt Illescas tom. 1. historia Pontif. lib. 5. cap. 26. in vita huius Pontificis, & Baronius anno Domini 1159. & 1160. & apud Spondanum in epitome ad ipsum tom. 2. pag. 553. & anno 1166. pag. 565. in impressis Lutetie Parisiorum anno 1630. Ergo legitime electus, ex quo contendit cum intruso, non debet pro Schismatico iudicari.

Quod etiam probatur in §. hinc etiam, 9. 17. distinct. quem reperies *ibidem*, post text. in cap. concilia 6. ex quo constat, quod licet Symmachus fuisset accusatus; fuit tamen

Papa pronuntiatus : & quamuis textus non aperiat , quod cum alio de Papatu contro- uersiam habuisset, constat tamen ex histo- riis, vt per Baronium *anno Domini 499. & 500.* apud Spondanum *in Epitome tom. 1. pag. 708. n. 6.* & ex aliis Auctoribus, quod quidam Laurentius intrudendo se in Papa- tu, ei oppositionem fecit, quem Synodus intrusum & Schismaticum declarauit; Sym- machum verò, non Schismaticum, sed ve- rum & legitimum Pontificem: vt patet ex text. *in cap. Nos si incompetenter. S. Symma- chus, 2. q. 7.* de quo vide Barbofam *in colle- ctan. ad text. in Can. bene quidem, 96. di- stinct.*

10 Et ratio est, quia licet Schisma multis modis dici possit, vt per Doctores *in Rubrica. & in cap. 1. de schismaticis;* propriè tamen illud dicitur, per quod quis segregatur ab vnitatem Ecclesiæ, in quantum Ecclesia est quoddam Corpus mysticum, constitutum ex vniuersis fidelibus, constans ex Capite; quod est Romanus Pontifex, influens in vniuersam Ecclesiam vnitatem tanquam membra illius Capitis; vt tradunt Sanchez *in precepta Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 36. Ric- ciul. de iure personarum extra grem. Eccles. exist. lib. 9. cap. 1. n. 5. & sequen.* Sed qui est verus Pontifex, & de facto in suo iure il- legitime molestatur, non potest dici diui- sus ab Ecclesiæ vnitatem, ex eo quod se de- fendat, immò potius semper iudicatur præ- cipuum ipsius Caput, fretus suo canonico titulo; ergo non erit Schismaticus, sed po- tius verus defensor sui, & Ecclesiæ iuris; & exinde nemini iniuriam facit: ex regula, quod iniuriæ nasci non debent, vnde iura nascuntur: *l. meminere nt. C. vnde vi, cap. qua- liter & quando, el primero, de accusationibus, Barb. in tract. axiomat. usu-frequentium, axiomate 125. n. 3.* Quod & etiam suade- tur *ex cap. quoniam vetusto, 24. q. 1.* vbi tra- dit Hieronymus; quod in Ecclesia Orien- tali Hæreses, & schismata pullulabant, & ita Oriens Papatum schismatizabat, quod quidem reprobans Hieronymus, compro- bat & admittit Romanum Papam: nec ex eo quod tunc Orientales schismatici vige- rent, appellatur ab Hieronymo Schismati- cus, sed immo legitimus, qui Romæ existe- bat; ergo qui verè & canonicè fuit electus, ex eo quod contendat cum intruso, non potest iudicari Schismaticus. Ex quibus iuribus, & rationibus idem defendunt Ro- sel. *vbi supra in d. Rubrica, num. 18. & 19.* & Iacobatius *in d. art. 1. n. 59.*

12 Et insuper hic casus ampliari debet, vt procedat, etiam si non constaret quod talis contendens cum temerariè intruso, esset

legitimus & verus Papa; si enim postquam electio canonicè fuit celebrata, certò sciretur electum esse legitimum Papam, licèt postea superueneret bellicus furor, & qualiscumque hominum conatus, qui diabolicò furore incitati impedire intenterent, ne is qui vere est Papa, in Sede Apostolica inthronizari valeret, eo non obstante po- testatem, & auctoritatem haberet regendi, & administrandi Ecclesiam vniuersalem: vt cordatè ita aduertit Iacobatius *in d. art. 1. num. 60.* Quod intellige iuxta id quod statim *in sequenti casu* annotabimus.

Alter & secundus casus est, quando duo 13 contendunt de Papatu, quorum alter ve- rus est Papa, & alius intrusus; si ambo diu, & pertinaciter perseuerent in contentione, diuisam tenentes Christianitatem; (nam vna pars fidelium obtemperat vni, alia ve- rò alteri) nec adhibent remedia iuridica, & opportuna, vt Schisma tollatur, quamuis fingant procurari ab eis, vel ab aliquo eo- rum vt illud exequatur, id tamen opere non adimplentes; timentes fortasse ne à Sede deponantur, tunc ambo sunt Schif- matici, & vt tales priuandi Papatu; vt pro- bat Antonius de Rosel. *vbi supra, num. 31. & 38.*

Ratio autem huius conclusionis defu- mitur *ex cap. loquitur, 24. q. 1.* vbi S. Cypria- nus variis auctoritatibus sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum testimoniis docet, quod Ecclesia Catholica vnica debet esse, & exinde est, quod Vestis Domini no- stri Iesu Christi, quæ vnitatem significa- bat, remansit indiuisa; vt patet ex text. *in cap. sicut Domini vestimentum, 16. q. vltima, & tradit Glos. in cap. Schisma, verbo, scissura esse non potest, 24. q. 1.* vbi Barb. *in collect. ad d. cap. schisma, plura congerit ad intentum;* & insuper Ecclesia extra vnitatem permane- re non debet, & sine ea Spiritum sanctum non accipit; quam quidem tenere, & con- seruare firmiter, & indiuisim, opus est: *cap. aliud 39. de consecratione, distinct. 4.* Et cum 15 in prædicto casu, tales contendentes recu- sent illam vnionem, quam totis viribus af- fectare tenebantur, quibus præ omnibus primum Religionis incumbit onus, vt est Papa, *ex cap. officij, eadem causa 24. q. 1.* se- quitur quod perseuerantes in scissura, & diuisione Ecclesiæ, ex Schismaticis trans- eunt in Hæreticos: vt probat textus *in cap. inter Hæresim & Schisma, 24. q. 3.* vbi *in fine* ita ait: *Ceterum nullum schisma non aliquam sibi constringit Hæresim, vt rectè ab Ecclesia re- cessisse videatur, &c.* vbi Glossa *in verbo, schisma, sic declarat;* videlicet quod Schif- maticus, si post tempus pertinaciter adhæ- serit

ferit suæ sectæ, tunc dicatur Hæreticus. Et de hoc articulo vide Cardin. Tuschum *tom. 2. li. C. conclus. 552. num. 28. & sequen.* Quapropter cum pœna Papæ Hæretici, sit depositio, *cap. si Papa, vers. nisi deprehenda- tur, vbi Glos. verbo, diuisus, 4. distinct.* de quo videndi sunt plures relati per nostrum Ce- nedo *in collectaneis ad Decretum collect. 44. num. 2.* Azor. *p. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 7.* vbi per totum latè disputat de hoc articulo, & Suarez *in tract. de fide, disput. 10. sect. 6. n. 6.* quos allegat Barb. *in collect. ad dictum cap. si Papa, vbi n. 39* copiosè hanc difficul- tatem tradit; sequitur exinde, quod tan- quam schismatici pertinaciter perseueran- tes in scissura, & diuisione Ecclesiæ, priuari debent ambo contententes, Papatu. Et merito; quia vt tradit Barb. cum aliis ab eo allegatis *in collect. ad cap. schisma, 24. q. 3. num. 1.* Schismatici sunt omnino extra Ec- clesiam, & ab eius vnitatem segregati; *cap. pudenda, eadem causa, & quæstione;* & insu- per peculiariter reputantur Hostes Dei, *cap. alienus, eadem causa, & quæstione;* nec- non existunt in statu perditionis, *cap. qui- cumque, ibidem;* similiterque sunt peiores, & sceleratiores Paganis; & vt tales qualifican- tur *in cap. non afferamus, ibidem,* de quibus & aliis vide copiosè Farinacium plures al- legantem *in tractatu de hæresi, q. 84. à n. 40. cum sequen.*

18 Quæ quidem cum ita se habeant, ius- tissimè ambo priuari debent Papatu: & patet ex textu *in cap. 1. de schismaticis,* quam sententiam tuerentur Ioan. And. *in cap. firmis- sime, de hæreticis, & Abbas in cap. quia dili- gentia, de electione,* dicens, quod quando schisma est inueteratum, tunc illius fauto- res censentur Hæretici, ex quo perturbant, & scindunt Ecclesiam Dei, cum illius vnio- nem non procurant; idem probat Glossa *in d. cap. firmisime, verbo, Hæreticum, vers. item ille qui scindit, de electione;* optimè Felinus *in cap. nihil, de prescriptionibus, vbi num. 2. in vers. vigesimo quarto,* ita ait: *Vigesimo quarto*

19 *si duo contendunt de Papatu, & ex hoc oritur scandalum, potest vterque deponi, Baldus in cap. olim, ad finem, de rescriptis, allegat Hugo- nem in cap. si duo, 79. distinct. &c.* & profe- quitur Felinus *in fine dicti numeri 2.* vbi & adde quod ratione scandali vitandi, si re- periantur duæ electiones factæ de diuersis personis pro summo Pontifice, potest Con- cilium vtramque cassare: ita sentit Glossa finalis *in cap. finali, 63. distinct.* quam Glos- sam pro multum singulari extollit Abbas *in sermone suo incipiente, Quoniam veritas, &c. habito per eum coram Federico Impera- tore ad iustificationem gestorum in Concilio*

Tract. de Intrusione.

*Basileensi, vbi refert illud prolixum schif- ma Gregorij XII. in Italia; & Benedicti XIII. in Gallia; quorum quilibet fingebat velle omnia facere pro finiendo schisma- te tamen cum non consequeretur, Conci- lium Pisanum vtriusque electionem cassa- uit selecto Alexandro V. vt patet ex *Chro- nicis & historiis* apud Baronium *ab anno Domini 1393. & 1394. & 1398.* & penes Spondanum *in auctario Chronologico apud Annales Baronij anno 1439. & 1449. pag. 40. & 43.* vbi allegat Platinam & Gene- brard. & videre poteris penes Felinum *vbi supra.* Ex quibus colligitur, quod propter pertinaciam & perseuerantiam sustinendi Ecclesiam vniuersalem diuisam & scissam, ambo de Papatu contententes priuandi veniunt.*

Et licet huc vsque dicta ita se habeant: 22 Iacobatius tamen *in d. lib. 9. de Concilio, ar- ticulo 2. num. 2.* contrariam sententiam tue- tur; videlicet quod verus Papa non debeat amoueri, ex ea ratione, quia cum verus sit Papa, non potest ab aliquo iudicari; vt pa- tet ex text. *in cap. nemo, cap. aliorum, c. facta,* cum similibus, 9. q. 3. Tum & etiam idem probat *ex Regula, vtile, de regul. iuris in 6. & ex alia regula in cap. qui scandalizauerit; eod- em titulo in Decretalibus, ibi, qui scandalizauerit, &c. vtilius scandalum nasci permitti- tur, quam veritas relinquatur, &c.* Ergo quamuis verus Papa diu perseueret in sua prætensione, & defensione, non debet re- linquere Papatum licèt scandalum seque- retur, cum veritas relinqui non debeat, & per consequens nec priuari.

Sed his non obstantibus prima sententia 23 verior & tenenda est; vt videlicet ambo priuari debeant. Nec argumenta, & ratio- nes à Iacobatio allegatæ aliquid vrgent: nam ad caput, *Nemo, &c.* respondetur ex his quæ diximus supra, & parebit ex dicen- dis infra, q. 1. vbi latè disputabimus quis sit Iudex Papæ intrusi; & q. 1. vbi agemus ad quem pertineat conuocatio Concilij pro iudicanda etiam causa Papæ intrusi. Ex quibus deducitur, pro causis in iure ex- pressis, posse quandoque Papam à Con- cilio ritè & rectè conuocato iudicari, & sic illud fundamentum non officit.

Nec similiter obstat regula textus *in d. 24 cap. qui scandalizauit, de regulis iuris, Quia vt aduertit ibidem Glossa, verbo, Veritas.* Hæc triplex est, Prima bonæ vitæ, quæ pro- pter scandalum numquam omitti debet, & ad quemlibet pertinet; Secunda iustitiæ, quæ ad Iudicem spectat; Tertia disciplinæ, quæ propria est Prælati, & hæc duæ quando- que propter scandalum omittuntur: vt

E patet

patet ex text. in cap. ut constitueretur. 50. distinctione.

25 Et ita si materia circa quam scandalum versatur sit contra ius naturale, aut diuinum (quod est indispensabile) veritas propter scandalum omitti non debet; secus verò si sit circa aliud inferius dispensabile, quia tunc ob vitandum scandalum quodammodo veritas cedere debet ad effugienda maiora damna, & inconuenientia, pro vt docet Nauarrus comment. 3. de Regularibus, num. 35. quem refert & sequitur Barbof. in collect. ad dist. cap. qui scandalizauit, num. 2. vbi num. 3. cum Menoch. Rebuff. Lancelloto, & Flaminio Parisio tenet, quod ad vitanda scandala multa sunt concedenda, quæ aliàs non concederentur; & exinde in nostro casu, prædicta Regula locum non habet, quæ quidem non facit pro Iacobatio vt patet ex proximè dictis.

26 Et fortassè quia non fatis firma Iacobatio videbantur fundamenta proximè dicta, & ab ipso considerata, postea subdit in d. num. 2. in fine, quod eius opinio procedere posset in illo qui detrectat tollere schisma, nec vult congregare Concilium, nec illud fouet, gaudens in sua parte, scissura, ita quod virtualiter est causa, scissuræ, & inueterati schismatis, cum tunc dici possit Hæreticus, & vt talis amoueri debeat, &c. Ex qua doctrina potius colligitur Iacobatium admittere nostram opinionem: quam etiam confirmat ex his quæ ipse tradit in dist. lib. 9. art. 3. num. 24. vbi docet quod Papa & Antipapa contententes, cedere debent, & si noluerint, ambobus obedientia subtrahatur, vt sic per indirectum ad vnionem compellantur; quoniam digni sunt omni pœna, vnionem subterfugientes; cum per ambitionem infinitas animas perdant: Et ad intentum allegat Ancharan. apud quos videre poteris; quia latè de hoc articulo agunt. Ex quibus concludendum est quod si pertinaciter perseverent in diuisione, ambo priuari debeant.

QVÆSTIO XVI.

Quæ sit pœna se intrudentis in Papatu.

S V M M A R I V M.

Intrusus in Papatu ipso iure excommunicatus existit. n. 1.

Excommunicatio à iure lata per verbum presentis temporis, incurritur statim & ipso iure. ibid.

Pœnam depositionis ab Ordine incurrit intrusus in Papatu. n. 2.

Lex imponens pœnam per verba futuri temporis, non incurritur ante sententiam declaratoriam intrusionis. n. 2. & 3.

Pœna depositionis Ordinum tantum irrogatur pro graui delicto. n. 3.

Communio Corporis Christi denegatur in vita, intruso in Papatu. n. 4.

Excommunicatus priuatus existit Sacramentis Ecclesie. ibid.

Expressum dicitur, quod generaliter disponitur in lege, vel statuto. n. 5.

Expressio pœne quandoque specificatur in lege vel statuto ad maiorem terrorem: quamuis in alia vel alio iam sit comprehensa. num. 5.

Energiam maiorem, & pondus continet quod specialiter in lege, vel statuto disponitur, quam quod generaliter in illis continetur. ibid.

Communio Corporis Christi facilius denegari potest in vita, quam in mortis articulo. n. 6.

Intrusus in Papatu si non resipuerit perpetuam incurrit damnationem, & sic punietur etiã post mortem. n. 7.

Communio Corporis Christi denegatur intrusus in Papatu in vita; non verò in articulo mortis, dummodo non decedat in sua pertinacia. n. 8.

Carens titulo colorato si se intrudat in Papatu, quoquo modo id efficiat, incurrit pœnas à iure statutas, contra committentem tale delictum. n. 9.

Intrusus in Papatu expelli potest per Laicos à Sede Apostolica. n. 10.

Laici non possunt, nec debent se intrudere in electione summi Pontificis; bene tamen in expellendo intruso in Papatu. n. 11.

Intrusus in Papatu & pertinaciter perseverans, committit varia crimina; nam qualificari potest pro Adultero, Fure, Latrone, Apostata, ac Schismatico, & de falsitate argui potest, & tandem est Proditor & Antichristus, & incidit in pœnas respectiuas talibus delictis. num. 12.



ARIÆ pœnæ statutz reperitur in iure contra illum, qui se intrudit in Papatu: & in primis in cap. licet de vitanda, 6. de elect. quatuor comminantur.

Prima est, quod ipso facto sit excommunicatus, vt patet ex verbis ipsius textus in vers. si quis autem, ibi, excommunicationi subiaceat, &c. quæ inducunt incurtionem ipso iure, vt tradit Abbas & Decius in d. licet, n. 12. idem Abbas in c. cum in cunctis, §. finali, colum. penult. de elect. & latius in cap. clericis, §. finali,

§. finali, vbi Glossa, verbo, excommunicationi subiaceant: ne Clerici vel Monachi, copiosè Farinac. plura allegans p. 2. fragmentorum crimin. verbo, Lex, num. 140. quibus iunge Sayrum in Clau Regalib. 3. cap. 8. num. 19. vers. deinde: & Monetam de distrib. quotidian. p. 3. q. 7. n. 22.

2 Secunda pœna est depositio ab Ordine in d. cap. licet, ibi, Sacri ordinis priuatione multentur, &c. & talis pœna non ipso iure, sicut excommunicatio incurta censetur, sed per sententiam: quod suadet ex eo, quia cum textus ibidem loquatur per verba futuri temporis, non incurritur ante sententiam, ex his quæ diximus supra, q. 2. à num. 9. cum sequen. & q. 5. n. 5. & sequen.

3 Quæ quidem pœna tantum pro graui delicto irrogatur, vt notat Glossa in cap. finali, verbo, supplicauit, prima, quest. 5. & patet ex textu in cap. inuentum, 16. q. 7. cap. tua, de pœnis, cap. si constiterit, & ibi communiter Doctores, de accusationibus, & optimè probat Flaminus Parisius alios allegans in tractat. de resignat. benefic. lib. 3. quest. 16. num. 2. sequitur quod in hoc casu ante sententiam non incurritur pœna depositionis, quia cum ex iuris dispositione per verbum presentis temporis talis intrusus, in eam non incidat, præcisè prius constare debet de delicto ante declarationem incurtionis.

4 Tertia pœna imposita in d. cap. licet, est quod intruso in Papatu denegetur in vita Communio Corporis Christi; vt patet ex illis verbis, ibi, ita vt viatici, etiam ei. (nisi tantum in ultimis) Communio denegetur, &c.

Verum contra hanc pœnæ declarationem opponi potest, quod hæc expressio iudicari debeat superflua, cum in prima facta inclusa videatur, videlicet in excommunicatione; nam excommunicatus Sacramentis Ecclesie priuatus existit: cap. Engeltrudam, 3. q. 4. & notant Abbas in cap. si quis presbyterorum, in 3. notabili, de rebus Ecclesie non alienandis, & latè Barbof. in eius Collectan. ergo non erat necessaria talis specificatio, cum hæc tertia pœna iã ex natura rei remaneret in primacõprehensa.

5 Sed huic obiectioni responderi potest, quod licet excommunicatus, Sacramentis Ecclesie priuatus remaneat; tamen hæc specialis expressio ad maiorem terrorem facta reperitur: argumento textus in cap. si aduersus de hereticis, & in cap. quanquam, 23. distinctione, & optimè ad intentum probat Tiraquel. de legibus connub. & iure maritali, glos. 7. num. 124. cuius verba, quia declaratio nostrum intentum, referam, quæ talia sunt: Vt pro expresso habeatur, quod de Tract. de Intrusione.

neraliter dictum est. Verum in hoc plus habet energia & ponderis, quod speciale est, vt scilicet magis timeatur, magisque animos subeat, quod in specie dicitur, quam quod in genere, &c.

Et ita illa pœnæ expressio ideo fuit specificata, vt videlicet magis timeatur: præcipuè, cum tantum in vita, non verò in vltimis imposita censetur; nam facilius denegatur Communio in vita quàm in mortis articulo; vt deciditur in d. cap. licet, & in cap. Pastoralis, §. præterea, vbi latè Glossa verbo, præterquam in mortis articulo, extra de officio Iudicis Ordinarij, & tradunt plures relati per Zenedo in collect. ad Decretum, collect. 24. n. 5. latè Azor. tom. 1. instit. moral. cap. 19. n. 5. Campan. in diuersorio lur. canon. Rubr. 1. n. 110. Bonac. de Sacramentis, disput. 5. q. 8. punct. 1. n. 9. & de censuris disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 3. & alij plures; Et ideo vt magis declararetur grauitas delicti, specificè fuit apposta hæc pœna priuationis communionis; taliter quod ab illa in vita priuati remaneant; non autem in vltimis, nisi tenaces in sua temeritate niterentur decedere, quia tunc nec in vltimis concedenda esset, vt patebit ex infra dicendis.

Quarta pœna est, vt nisi resipuerint intrusi, perpetuam incurrant damnationem, & sic etiam post mortem puniuntur sicut Dathan, & Abiron, quos terra viuos absorbit, vt latè tradit Oldradus omnino videndus conf. 65. sub tit. de schismate: & de priuilegiis, num. 4.

Et quamuis contra hanc pœnam opponi posset, quod hæc perpetua damnatio in d. cap. licet, declarata, non videatur imponi debere, cum ex ipsius contextura, & ex dictis supra in antecedenti numero constet, intrusus in Papatu solum in vita denegari Communione; ergo non incurrit perpetuam damnationem. Huic tamen obiectioni respondetur, prædictam pœnam priuationis in d. cap. licet, intelligi, dummodo eos non pœniteat recedendo à sua tenacitate, quo casu si in sua pertinacia decedant, damnati remanebunt etiam post mortem: & ita eum textum interpretatur Decius ibidem, n. 11.

Et quamuis prædictus textus solum declarat dictas quatuor pœnas contra eum qui esset electus à tertia parte, & si introduceretur contra alium electum à duabus partibus se etiam gerendo pro Antipapa: Intelligi tamen debet, habere locum contra quemcunq; alium intrusum in Papatu, qui non habeat aliquem colorem tituli, vel saltem probabile illius dubium, pro vt latè probat Anton. Rosel. in tract. de potest. Papa,

char. 29. colum. 3. Et quamuis contrarium videatur innuere Decius in dict. cap. licet, n. 13. vers. modo inspectis: si tamen attentè legatur, magis inclinatur ad hanc conclusionem; & ita dicendum est, quemcunque Antipapam, quomodocunque se intrudat, siue contra electum à duabus partibus, vel contra alium qui pauciora suffragia habuerit, si canonicè, & legitime non esset electus, esse intrusum, & dictas pœnas non effugere.

10 Et non solum prædictas pœnas incurruntr intrusi in Papatu, sed & alias: & sic erit Quinta, quod per laicos à Sede Apostolica expellendi veniant, ut probat textus in cap. si quis pecunia, 79. distinct. ibi: Et laicis liceat inuaforem, etiam cum anathemate, & humano auxilio & studio à Sede Apostolica repellere, &c.

11 Et quamuis laici in his rebus Ecclesiasticis, & electionibus se intromittere nec possint, nec debeant, ut patet ex cap. primo, 96. distinct. tamen secundum Glos. in dict. cap. si quis pecunia, verbo, laicis, hoc est speciale contra inuaforem Sedis Apostolicæ, quam expulsionem appellat Glossa pœnam ciuilem, dicens, quod & si quis non sit afficiendus duplici pœna, cap. quoniam, §. in alijs, in fine, ut lite non contestata: Verum in casu præsentis speciale est in intruso in Papatu; quia huic non est imponenda vna, vel altera pœna, sed omnes coniunctim, propter acerbicatem, & grauitatem delicti; ex his quæ notantur in cap. quid ergo, 23. q. 5. Et ideo non est mirum, quod talis intrusus puniatur non solum pœna Canonica, verum etiam & Ciuili, ut aduertit Oldradus in d. conf. 65. n. 4.

12 Tandem concludit Oldradus ubi proxime, quod cum talis intrusus pertinaciter perseuerans multa graua crimina committat, incurrit pœnas illis correspondentes, eisque afficiendus est; nam tanquam infamis, & adulter repellendus est ab omnibus honoribus, sicut fur & latro, quia non intrat per ostium, pœna furtis velut Apostata & schismaticus, quia vnitatem Ecclesiæ diuidere nititur, pœnis contentis in iure contra Apostatas, & schismaticos plectendus est; de quibus diximus supra in quaestione antecedenti, & insuper de falsitate argui potest, cum falsum nomen sibi assumat, falsisque insigniis utatur; & tandem est Proditor & Antichristus, tanquam inuafor, & persequutor Christianitatis, quæ omnia latius videre poteris apud Oldradum in dict. conf. 65. num. 4. ubi in vers. ex quo capite potest formari processus; docet prædicta omnia habere locum nequā in Antipapa intruso, modis superius dictis; verum etiam in Car-

dinalibus, & fautoribus, ipsi fauentibus; apud quem videre poteris alia plura conducentia ad hunc articulum, ne longius in eo immoremur.

QVÆSTIO XVII.

Quis sit Iudex Papæ Intrusi.

S V M M A R I V M.

Papa existens in quasi possessione Papatus si ei obijciatur intrusio, ipse solus; & non alius de ea cognoscere debet. n. 1.

Quod intellige ut n. 15. & 21.

Dignitas Papalis non habet Superiorem in terris, sed solum Deum. n. 1. & seqq.

Causas hominum voluit Deus, ut ipsi illas terminent; Causas verò Papæ sibi, & non hominibus reseruauit. n. 2.

Prima Sedes Apostolica à nemine indicatur. num. 2.

Papa est Vicarius Christi, & Legatus Dei; & ideo non debet ab alio iudicari, quam ab ipso, qui eum prefecit Vicarium & Legatum. n. 3.

Inferior Superiorem iudicare non debet. n. 4. Concilium, & omnis homo viuens, est inferior Papa. ibid.

Quod intellige ut n. 23.

Papa facit vnum & idem Tribunal ac Consistorium cum Christo. n. 5.

Concilium Generale, sine auctoritate Papæ congregari non potest, & in illo, omnium fidelium sit representatio. n. 6.

Concilium generale non est legitimum si auctoritas Papæ non precedat, etiam si in illo ipsius causa disputanda, & decidenda foret. num. 6.

Papa est major, non solum quorumlibet fidelium, verum etiam totius vniuersalis congregationis, hoc est Concilij. n. 7.

Papa tanquā Concilij generalis Superior quandoque renocat ipsius statuta, & decreta, aut alia contraria de nouo decernit, siue addit, vel corrigit, aut ampliat. n. 7.

Sententia Papæ major est quam totius alterius Cleri, nam qui auctoritatem tribuit, major dici debet. n. 8.

Dubium si adsit, an electio Papæ sit canonica, dicendum videtur Iudicem competentem non dari in terris, qui id decidat, cum omnes sint inferiores. n. 9.

Quod intellige ut n. 24.

Papæ si opponatur quod est intrusus, an de eo cognoscere possint Cardinales. n. 10. & 30.

Cardinales expellere debent, & anathematizare intrusum in Cathedram Petri, & deinde procedere ad electionem. n. 10.

Quod

Quod intellige ut n. 30.

Intrusus in Papatu tanquam Antichristus expelli debet à quolibet Catholico, & contra illum insurgere. n. 10.

Collegium Cardinalium in arduis occurrentibus habet iurisdictionem cum Papa. numer. 11.

Quod intellige ut n. 31.

Cardinales eligunt summum Pontificem, & ideo ad eos pertinet omne necessarium antecedens ad canonicam & legitimam electionem faciendam. n. 12.

Quod intellige ut n. 33.

Consequens qui vult, etiam vult antecedens sine quo ad illud perueniri non potest. num. 12.

Cardinales in electione Pontificis vice Metropolitanani funguntur. n. 13.

Quod intellige ut n. 35.

Metropolitanus est Iudex, an Episcopus sit intrusus in Episcopatu, vel legitime electus. num. 13.

Collegium Cardinalium in electione Papæ representat vniuersalem Ecclesiam, & eius vice fungitur. n. 14.

Quod intellige ut n. 36.

Papa eligendus est ex Collegio Cardinalium, qui Leuitici generis Sacerdotes appellantur. n. 14.

Ardua Ecclesia definire, spectat ad Papam cum Cardinalibus. n. 14.

Concilium generale est verus Iudex, an Papa sit intrusus, vel legitimus. n. 15.

Apostaticus & intrusus in Papatu præsidens in Cathedra Petri, ab ea expellendus est per Cardinales, & alios Clericos, & laicos Deum timentes. n. 16.

Duo si contendant de Papatu, & dubium sit, quis eorum intrusus existat, ille erit verus Papa, quem iudicium diuinum, & vniuersale Concilium declarauerit. n. 17.

Papæ est Pontifex vniuersorum Christianorum. n. 15.

Nomine vniuersalis Ecclesiæ intelligitur Concilium generale. n. 18.

Symmachus fuit declaratus legitimus Papa per Concilium Generale. n. 19. & 29.

Contentio si in electione Papæ oriatur, eam declarare, & dirimere debet Concilium Generale. n. 20.

Papæ si fuerit depositus à Concilio generali legitime congregato, ad quem pertineat electio Successoris, anceps est quaestio. n. 21.

Papæ verus existens in quasi possessione Papatus, si contra eum suscitetur contentio, à solo Deo iudicanda est; secus autem si dubium sit ante adeptam possessionem an verè electus fuerit, quia tunc Concilium declarare debet. n. 22.

Tract. de Intrusione.

Concilium Generale errare non potest in decretis fidei, vel morum, quæ conducunt ad veritatem stabiliendam. n. 23.

Electio Papæ non subest iudicio alicuius, nisi in casibus in iure expressis, ut de ipsa electione discuti debeat, veluti in heresi, vel intrusione; ex eo quod electus non habuit duas partes suffragiorum. n. 24.

Femina est incapax Papatus. ibid.

Exceptiones quæ possent irritare electiones inferiorum, non sunt releuantes in electione Papæ. n. 25.

Electio facta à maiori parte eligentium, est valida; sed in Papatu duæ partes requiruntur. n. 25.

Toleratus in Papatu, qui aliquas habebat exceptiones occultas, ex quibus deponi posset, an ab aliquo iudicari valeat. num. 25. & 26.

Papæ statim atque eligitur, confirmatur, & habet liberam & plenam administrationem, & ideo contra eum non possunt opponi exceptiones, si iam sit in quasi possessione bene tamen ante ipsam, præterquam propter heresim. n. 27.

Papæ in heresim lapsus an sit ipso iure priuatus Papatu, vel veniat priuandus. n. 28.

Concilium Generale est congregatio omnium fidelium, qui in illo interfunt. n. 30.

Cardinales cum Papa resoluunt ardua negotia Generalia Ecclesiæ, non verò concernentia personam, vel declarationem validitatis, vel inualiditatis electionis ipsius Papæ. num. 31.

Clausula Generalis non refertur ad specificata. num. 32.

Electus in Papam per Cardinales non solum est electus ex facto ipsorum, tanquam hominum; sed & etiam ex electi acceptatione, & tunc ei Deus dat potestatem, licet illi personam determinent. n. 33.

Cardinales quando eligunt Papam, personam tantum designant, & Christus immediatè confert dignitatem, & potestatem. n. 34.

Regula, quod ad eum spectat destitutio ad quem pertinet institutio, fallit quoad personam Papæ. n. 34.

Electio summi Pontificis facta per Cardinales statim habet vim electionis & confirmationis, ad differentiam aliarum electionum inferiorum, quæ utrumque requirunt. n. 35.

Consequens qui vult, etiam vult & antecedens. n. 35.

Papæ si sit in possessione Papatus, potest esse Iudex sui ipsius; secus autem si sine illa dubitetur de valore electionis. n. 36.

Sacerdotes Leuitici generis dicuntur Episcopi, & Concilium Religiosorum Clericorum. num. 37.

Episcopi respectu suarum Diacesum sunt pares cum Papa, potestate, & potentia; suntque ipsius fratres, n. 37.



ILEBREM aggredimur quaestionem, in qua plura cumulare possemus: verum cum breuitati consulamus; solum disputabimus articulum ad nostrum institutum conducentem, in quo videtur dicendum, quod Papa existens in quasi possessione Papatus, si ei intrusio obiciatur, ipse solus, & non alius in huiusmodi causa iudicare possit; quia Dignitas Papalis solum Deum recognoscit Superiorem non vero aliquem in terris: cap. facta, cap. cuncta per mundum, 9. q. 3. cap. licet, cap. per venerabilem, de electione, cum similibus: & tradunt Mastrillo de Magistrat. lib. 1. cap. 2. n. 4. Paris de resignat. lib. 7. q. 5. n. 1. quos refert Barb. in Past. p. 1. tit. 3. cap. 2. n. 16. & 20. in quo conueniunt communiter Doctores; ergo à solo Deo iudicandus videtur, & non ab humano iudicio: de quo videndus est nouissimè Iacobus Coellius in tractat. de notitia Cardinalatus, c. 16. priuil. 24.

2 Secundo probatur ex cap. aliorum, 9. q. 3. qui ita ait: *Aliorum hominum causas Deus voluit homines terminare; sed Sedis istius Praesulis suo sine quaestione reseruauit arbitrio. Noluit Beati Petri Apostoli successores caelo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagari inuoluntam exhibere conscientiam, &c.* Idemque suadet ex §. hinc etiam, qui habetur post caput, Concilia sacerdotum, 17. distinct. ibi, *Cuius causam totam Dei iudicio reseruamus, &c.* Et ex eo textu colligitur, quod Concilium noluit iudicium ferre contra Symmachum Papam, quia hoc soli Deo reseruatur, quasi nec etiam à Concilio, Papa sit iudicandus.

Et Confirmatur hæc conclusio ex cap. nemo, 9. q. 3. qui ita ait: *Nemo iudicabit primam Sedem, iustitiam temperare desiderantem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo Index iudicabitur, &c.* vbi Glossa verbo, *neque ab omni Clero*, notat, quod Concilium non potest Papam iudicare: & idem voluit etiam Glossa in cap. mandasti, verbo, *potuissim*, 2. q. 5. & in cap. si quis pecunia, verbo, *non Apostolicus*, in fine, 79. distinct. & latè tradit Barb. de vniuerso iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 2. à num. 67. cum sequen. Ergo ipse solus, & non alius iudicium ferre potest, si ei de intrusione obiciatur.

3 Tertio probatur, quia cum Papa sit Vicarius Christi, & Legatus Dei, cap. 1. in principio, vbi Ecclesiastica beneficia sine diminutio-

ne conferantur, cap. inter corporalia, cap. quanto, cap. licet, de translatione Episcopi, & innumeros referens tradit Barbof. in Pastoralibus p. 3. allegat. 54. num. 47. in vltima impressione de anno 1649. non debet iudicari ab alio, quam ab ipso qui eum praefecit Vicarium & Legatum, vt in cap. electionem, (ita legendum est, non verò electionem) 99. distinct. vbi eictio Pontificis reseruata solum existit iudicio Dei: optimè Cohellius vbi proximè in d. c. 16. priuil. 24.

Quarto, quia inferior superiorem iudicare non potest, cap. inferior, 2. 1. distinct. cap. cum inferior, de maioriata, & obedientia, & tradunt communiter Doctores in l. omnes populi, ff. de iustitia, & iure, Hippol. singul. 182. Tiraquel. de penis temperandis, in praefatione, num. 26. Sed sic est, quod Concilium, & omnis homo viuens, est Papà inferior, vt probat Barb. de vniuerso iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 2. n. 73. & 74. ergo à nemine in terris iudicari debet.

Quod autem ceteri homines sint inferiores Papà, per se patet: & reperitur decisum in cap. cuncta per mundum, 9. q. 3. nam facit vnum & idem Tribunal, & consistorium cum Christo, vt per Seluam de benef. p. 3. q. 8. num. 25. Malucium de canonizatione Sanctorum dub. 2. num. 10. Barb. in Pastor. p. 3. alleg. 80. num. 1. & de vniuerso iure Ecclesiastico, lib. 1. c. 2. à n. 8. cum sequen. præcipue num. 92. & 93. Ergo omnes homines sunt Papà inferiores, & per consequens incapaces iudicandi contra ipsum.

Idem dicendum videtur de Concilio: nam vt legitimum sit, præcisè auctorizari debet ab ipso Pontifice: & in Concilio, omnium Fidelium sit representatio: cap. Ecclesia, de consecrat. distinct. 1. & sine eius auctoritate non potest legitimum Concilium formari, aut constitui, etiam si de causa ipsius Papæ agendum sit, dicto §. hinc etiam, 17. distinct. cap. multis, eadem distinct. cap. significasti 4. vers. cum omnia Concilia, de elect. Hugolinus de potestate Episcopi, cap. 48. num. 3. Bobadilla in sua polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 194. vers. *Pero los Principes seculares, &c.* Francisc. Leo in thesauro fori Ecclesiastici, p. 1. cap. 9. num. 1. & alij plures ab ipsis allegati, & latè dicemus infra, quest. sequenti.

Ex quibus deducitur quod Papa non solum est maior quibuslibet fidelibus, verum etiam tota vniuersali congregatione, hoc est Concilio: & ideo tanquam Superior ipsius, quandoque reuocat statuta, & decreta in eo resoluta, vt in d. cap. cuncta per mundum, 9. q. 3. cap. nec licuit, 17. distinct. cap. non debet, de assuit. & consanguinit. cap. vbi

vbi periculum, de elect. in 6. & cum Abbate, Felino, & aliis probat Couarruias de sponsalibus, & matrimonio, p. 2. cap. 6. §. 9. n. 6. & de nouo decernit alia contraria, seu addit, aut ampliat, vel corrigit; vt in Clementina, ne Romani, §. porro, de electione, in quo textus determinat Clemens V. quod aliàs non erat prouisum in d. cap. vbi periculum, §. sane, de elect. in 6. & notat Sayrus in clauis Regia, lib. 3. cap. 10. n. 10. quem refert & sequitur Barb. in collect. ad textum in cap. proposuit, de concessione praebendae, & ibidem communiter Doctores.

8 Et ex his colligitur, quod dici solet, videlicet maiorem esse sententiam Papæ, quam totius alterius Cleri, vt in d. cap. significasti, §. cum igitur, in fine, de electione, & notat Glossa in cap. in istis, verbo, iudicent, 4. distinct. & in cap. hæc est fides, verbo, conprobatur, 2. 4. q. 1. Et exinde cum Papæ sententia sit omnibus maior, ipsèque Concilio auctoritatem præbeat, fatendum est, nullum reperiri maiorem, qui Papam iudicer. Enimvero qui auctoritatem tribuit, præcisè maior dici debet eo, cui auctoritas attribuitur: & per hoc ita decidit Glossa in d. cap. vbi periculum, verbo, Conuilio, in fine, de elect. in 6.

9 Quinto probatur, quod causa intrusionis Papæ, ad nullum pertineat, ex cap. licet de vitanda 6. de elect. vbi expressè dicitur, quod si dubium foret an Papæ electio esset canonica, vel non, nullus daretur competens Iudex, qui id terminare posset, ex ratione superius tradita, nimirum quia dignitas Papalis non habet Superiorem &c. de quo videndus est Barb. in collect. ad d. cap. licet, n. 6. vbi varia Conciliorum decreta ad intentum allegat: & videndus est Iacobus Cohellius in tract. de notitia Cardinalatus, cap. 16. priuilegio 24.

10 Sexto; nam si Papa intrusus, ab aliquo iudicandus veniret, maximè per Collegium Cardinalium: per textum, vbi expressè videtur probari, in cap. si quis pecunia, 79. distinct. vbi dicitur, quod Cardinales expellere debent intrusum in Cathedra Petri simulque illum anathematizare, & deinde ad electionem procedere: ad idem est textus in cap. in nomine Domini, §. si quis, 23. distinct. vbi nedum Cardinales, sed quilibet Catholicus insurgere potest contra talem intrusum, tanquam contra Antichristum, vt diximus supra, in q. antecedenti, num. 10. & 12.

11 Quod etiam roboratur ex dicto cap. vbi periculum, §. iidem quoque, de elect. in 6. in quo dicitur, quod collegium Cardinalium in arduis occurrentibus habet iurif-

ditionem, ibi, *Vel nisi aliquod tam grande, & tamen euident periculum immineret &c.* de quo videndus est Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. q. 5. n. 4. & sequen. & alij penes Barb. in collect. ad textum in cap. per venerabilem, n. 45. qui filij sint legitimi: sed nullum magis arduum negotium, nec aliquod maius periculum reperiri potest, quam agere de electione Papæ, ergo &c.

Quibus accedit, nam cum Cardinales sint in quasi possessione eligendi Pontificem, vt est communis omnium Doctorum consensus, & patet ex cap. licet, de elect. & ex dicto cap. vbi periculum, & ex dicto cap. in nomine Domini, & ex Clementina, ne Romani, de electione, & nouissimè statutum reperitur ex Bulla Gregorij XV. de qua supra, q. 13. n. 9. & 10. & latè probat Barbof. plures referens in Pastoralibus p. 1. tit. 1. cap. 3. n. 12. & de vniuerso iure Ecclesiast. lib. 1. c. 1. n. 76. consequens est, vt ad eos omnia pertinere debeant, quæ sunt antecedentia necessaria ad validandam legitimam, & canonicam electionem; per illud vulgare dictum, quod qui vult consequens, vult & etiam antecedens sine quo ad illud perueniri non potest: l. ad rem mobilem, l. ad legatum, l. qui proprio, §. qui alium, ff. de procuratoribus, cum alijs pluribus, Gonzalez ad regulam 8. glos. 5. n. 53. & 54. Hugolinus de officio & potestate Episcopi, cap. 27. §. 1. num. 1. & alij penes ipsos, ergo sicut ex iuris dispositione Cardinalibus comperit ius eligendi, ita & declarandi non competere intruso ius intrandi, vel non, in Cathedra Petri.

Rursus idem suadetur ex eo, quod in electione Pontificis, Cardinales vice Metropolitanis funguntur, vt in d. cap. in nomine Domini, vers. quia vero Sedes Apostolica, 23. distinct. sed Metropolitanus est Iudex in causa, an Episcopus canonice sit electus in Episcopum, vel intrusus in Episcopatum; ergo similiter Collegium Cardinalium cognoscere, & iudicare potest, & debet, an scilicet contendens de Papatu sit verus Papa, vel intrusus.

Tandem ponderari potest, quod in his quæ concernunt electionem Papæ, Collegium Cardinalium vniuersalem representat Ecclesiam, & eius vice fungitur, vt cum Hostiensis, Archidiacono, Alexandro, & alijs tradit Flaminus Parisus de resignat. benef. lib. 7. q. 5. n. 12. & 13. immo ex ipsis Cardinalibus eligendus venit Papa, vt in cap. oportebat, cap. nullius, 79. distinct. & latè probat Barb. de vniuerso iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 1. num. 77. & ad Sacerdotes Leuitici Generis, qui sunt Cardinales, spectat ardua diffinire: cap. per venerabilem, §. rationibus

bus igitur, *Qui filij sunt legitimi*, ergo ad Cardinales pertinebit declaratio, cum vniuersalem Ecclesiam repræsentent, nihilque magis arduum considerari possit, quam contentio quæ ex legitima, vel illegitima electione summi Pontificis suscitatur.

15 Sed licet hucusque dicta tot rationibus & fundamentis vallata videantur; eis tamen non obstantibus, sine dubio, nec hæsitacione dicendum est, prædictam declarationem nec ad ipsum Papam præsentem intrusum, nec ad Collegium Cardinalium pertinere, sed solum ad Concilium generale, quod quidem solum est verus & legitimus Iudex illius contentions: vt latè probat Cohellius in d. tract. de notitia Cardinalatus, cap. 16. priuilegio 24.

16 Quæ resolutio probatur primò ex cap. si quis pecunia, 79. distinct. vbi deciditur, quod quando qui præsidet in Cathedra Petri, intrusus & Apostaticus diceretur, & pro tali accusaretur, vel quod per ambitionem, aut aliam legitimam causam à iure expressam, illam vsurpasset: tunc per Cardinales, & alios Clericos & laicos, Deum timentes, ab Ecclesia expellendus esset; sed Cardinales, Clerici, & laici Deum timentes (id est fideles) nihil aliud sunt, quam Concilium, ergo ex eo textu patet, quod quando Papa est intrusus, seu Apostaticus, & non Apostolicus, in eius depositione, & anathematizatione Concilium interponit iudicium.

17 Secundò probatur ex cap. si duo forte, 79. distinct. vbi in littera dicitur, quod si duo contendant de Papatu, & dubium oriatur, quis eorum sit intrusus, ille erit Papa, quem iudicium diuinum, & Vniuersitatis consensus elegerit, &c. Nomine autem Vniuersitatis intelligi debet vniuersalis Ecclesia: quæ est idem, quod Concilium, ideo causa intrusionis Papæ Vniuersitatis iudicio (id est) Concilij committitur, cum Papa sit Christianorum vniuersalis Pontifex,

18 cap. solita, de maiori, & obedientia, & tradunt Gonzalez ad regulam 8. glos. 1. n. 34. & sequen. late Barb. plures referens in Pastor. p. 1. tit. 3. cap. 2. à num. 16. cum sequen. Ergo Concilium solum erit iudex, tanquam Corpus mysticum vniuersalis Ecclesiæ, repræsentatum in illo, deficiente Papa; ex his quæ tradit Barb. vbi proxime, n. 34. & p. 3. allegat. 1. n. 1. & ideo nomine Vniuersalis Ecclesiæ, intelligi Concilium docet Glos. in d. cap. si duo, verbo, contra fas, in fine.

19 Tertiò probatur in §. Symmachus, 2. q. 7. (multoties allegato supra, in quæstionibus antecedentibus; præcipuè q. 15. n. 8. & 9.)

vbi Concilium iudicauit; Symmachum, spoliatum Papatu, prius esse restituendum, & pro ipso iudicium interposuit; ergo in causa Papatus Concilium est Iudex.

Quartò suadet ex cap. 1. de schismaticis, vbi Octavianus, & Guido eius successor, per Concilium Lateranense fuerunt iudicati intrusi, & schismatici, vt patet ex inscriptione ipsius textus, & ex his diximus supra, q. 15. n. 8. & 9. Alexander vero alter contendens pro vero & legitimo Pontifice fuit declaratus; ergo ex eo, quia ad Concilium pertinet iudicium ferre in contentione Papatus. Alia plura argumenta adduci possent, quæ reperies penes Doctores, qui communter admittunt hanc sententiam; vt patet ex Glossa in d. cap. si duo, verbo contra fas, in fine, 79. distinct. Cardin. cons. 150. queritur autem primo, in dub. 1. Abbas in cap. quia diligentia, in primo notabili, de elect. Ant. de Rosel in tract. de potest. Papæ, in q. quis sit Iudex in causa Papæ, incip. Abunde vt arbitror. n. 6. & 10. & 11. Cardinalis Iacobatus de concil. lib. 3. artic. 1. ad quem spectat congregatio Concilij sub n. 11. & 20. & 74. & ferè per totum articulum, præcipue n. 102. & 113. & n. 144. qui quidem tractatus habetur etiam tom. 13 tractatum, p. 1. pag. 223. in ultima impressione, de anno 1584. Decius in cap. cum venissent, n. 43. vers. quarto fallit, de iudiciis, & alij plures penes Azor. tom. 2. institutionum moralium lib. 4. c. 7. quæst. 2. cum duabus sequent.

Quibus iunge Barbof. de vniuerso iure Eccles. lib. 1. cap. 1. n. 76. vbi dubitat quod si Papa à Concilio legitime congregato deponatur, ad quem pertinebit Pontificis electio, ad ipsumne Concilium; an verò ad Cardinales? quam quidem quæstionem modo non inuestigamus, cum non sit propria nostri instituti, ipsam tamen videre poteris penes eundem Barbofam, & ab eo allegatos, qui longa manu perquirunt, & resoluunt prædictam quæstionem.

Qua opinione retenta, non obstant in contrarium allegata: non primum, secundum, & tertium, de quibus supra, n. 1. usque ad 4. Nam licet causæ Papæ subiiciantur iudicio Dei, nec Concilium, aut alius possit de eis iudicare, sed ipsemet Papa, vt iura superius allegata videntur innuere; intelligi tamen debent, prout loquuntur videlicet quando certum est, quod existit, & est verus Papa; secus verò quando probabile, aut legitimum est dubium, an Papa legitimus sit, vel non, tunc enim erit Iudex illius dubij ipsum Concilium, cum in iure cautum non reperitur, quod quando dubium

dubiū veritur, an quis sit legitimus Papa, vel intrusus, ipse possit, & debeat tale dubium terminare, immo potius in tali casu omnia iura clamant, Iudicem esse Concilium, vt patet ex supra dictis.

23 Nec similiter obstat quartum (de quo supra, n. 4.) videlicet, quod Papa sit maior Concilio, & ideo Concilium tanquam inferior non debeat in Superiore iudicium ferre, &c. Quia responderetur, doctrinam esse veram, sed limitandam, vt non habeat locum cum agitur de causa fidei, vel boni vniuersalis, id est de legitimando Capite ipsius Ecclesiæ vniuersalis, (vt in nostro casu) cum sine perturbatione vniuersalis status ipsius Ecclesiæ non possit esse dubium, vel contentio de Papatu; vt in d. cap. si duo, & in aliis pluribus, & cum Concilium Generale in decretis fidei, vel morum, cōducentibus ad vniuersalem Ecclesiam, & eius veritatem stabiliendam, errare non possit, vt patet ex textu in cap. sicut, & cap. sanctam, 15. distinct. & probant communiter Doctores relati per Albertinum de assert. cath. q. 30. n. 18. Castro aduersus hæreses, lib. 1. cap. 2. ad finem, & verbo, Concilium à principio, & latissime Barb. in collect. ad text. in cap. Canones, 15. distinct. n. 13. & 14. & sequen. sequitur, quod tunc Concilium est maius, & ideo in d. casu verificari non potest, quod inferior iudicet, cum non sit verum dicere, quod talis contendens sit legitimus Papa, donec præcedat declaratio dubij, de quo controvertitur, & vsquedum non fuerit decisa contentio, maius est Concilium quoad eum effectum, prout latè probat Iacobatus vbi supra, in d. lib. 3. n. 113. & 144. & in aliis pluribus.

24 Minus obstat quintum (de quo supra, n. 9.) nimirum, quod electio Papæ non subfit iudicio alicuius, vt in cap. licet, de electione: Quia id locum habet, quando scilicet à iure expressè cautum non reperitur, quod de ipsa electione fiat discussio, sicut est in casu intrusionis, ex eo capite quod electus non habuit duas partes suffragiorum Cardinalium, & se, eo non obstante, in Papatu intrusit; vel quia non fuisset electus à Cardinalibus d. cap. si quis pecunia, aut quia assumptus in Papam esset Fæmina; seu qui haberet alias exceptiones, aut impedimenta in iure expressa, quæ illi legitime obici possent, de quibus Doctores supra citati; quæ cum indagacionem, & discussionem præcisè requirant, necessariò iudicio alicuius fieri debet, vt diximus supra.

25 Secus autem, si aliæ exceptiones opponerentur, quæ inferiorum electiones irritare possent, & hæc contra electionem Pa-

pæ non sunt in iure expressæ, neque aliquid efficiunt, quæ quidem si obicerentur, tunc non daretur Superior, qui de illis iudicaret, cum non inficiant electionem Papæ; & hoc est, quod decidit textus in d. cap. licet; nam disponit, quod duæ partes Cardinalium requirantur in electione summi Pontificis; quamuis in aliis inferiorum electionibus sufficiat maior pars eligentium: & rationem reddit textus, quia electio Pontificis non habet Superiorem, qui de ea iudicet, hoc est, respectu exceptionum, quæ contra alias inferiorum electiones opponi possunt; non tamen tolli, quin permittat & expressæ in iure contra electionem Papæ discuti debeant: & hoc est quod decidit textus in d. cap. licet, & est eius genuinus sensus, vt docet Antonius de Rosel. vbi supra, num. 21.

Hæc autem maiorem difficultatem haberent in eo, qui aliquandiu fuisset toleratus in pacifica possessione, si postea exceptio obiceretur, quæ esset occulta, & dubia, ex eo videlicet, quia notoriè non constaret, quod non habuit suffragia duarum partium Cardinalium; nam tunc iuxta mentem d. capit. licet, nullus esset Iudex, qui de illa exceptione cognoscere posset: vt patet ex §. ex hoc tamen, ipsius textus, in illis verbis: Quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit iudicio diffiniri In Romana vero Ecclesia, speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad Superiorem recursus haberi, &c.

Ex quibus verbis rationem reddit Glossa 27 ibidem, verbo, recursus, videlicet quia statim atque eligitur confirmatur, & habet liberam, & plenam administrationem, vt patet ex textu in cap. in nomine Domini, 23. distinct. & ideo illud dubium (si aliquid adesset) sanatur per tolerantiam, & exercitium: Vnde infert Rosel. limitanda esse asserta Doctorum dicentium, quod contra Papam possunt obici exceptiones, provenientes ex dispositione ipsius capitis; videlicet quod non habuit duas partes suffragiorum Cardinalium, vel quod per ante, se intrusit: Quia locum habere possent, quando tales exceptiones opponerentur antequam esset toleratus, vt de illis prius discutiatur, & per Concilium declarentur; secus si essent occultæ, ipseque toleratus, quia tunc istæ exceptiones nec admitti deberent, nec de eis Concilium posset iudicium ferre, dummodo non essent propter hæresim cum pertinacia ab ipso commissam, vel quia esset intrusus, vel Apostaticus, etiam cum pertinacia, quod est delictum instar hæresis; iuxta ea quæ diximus supra,

suprà, quæst. 15. à num. 15. cum seqq. tunc enim Iudex esset Concilium: per notata in cap. si Papa, 40 distinct.

28 An autem eo casu, scilicet quando Papa accusatur de hæresi, & de ea constat, ipso iure priuatus existat, vel per sententiam Concilij veniat priuandus? vide nostrum Cenedo qui plures allegat, in collect. ad Decretum, collect. 44. num. 2. Didacum Spino in speculo testamentorum, gloss. 12. Rubrica, num. 3. Castaldum de potest. Papa, num. 44. Suarez in tract. de fide, disp. 10. sect. 6. n. 6. latè Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 7. ferè per totum, à q. 1. ferè per totam, vbi in vers. attamen, circa medium, tenet, probabiliorem esse sententiam asserentium, Romanum Pontificem ob crimen hæresis, etiam manifestum, non esse dejectum à iurisdictionis potestate, donec declaretur deiciendum fore tanquam criminis reum. Plura circa hunc articulum addi possent, quæ videre poteris penes allegatos ne in hoc immoremur, vt ad alia transire valeamus.

29 Nec præterea obstat, quod dicebatur ex §. hinc etiam, 17. distinct. (de quo suprà, num. 22.) vbi causam Symmachi Papæ non iudicauit Concilium, sed fuit remissa iudicio Dei. Quia respondetur, quod immo Concilium determinauit contentionem de Papatu, exortam contra Symmachum, per illum Laurentium, qui cum illo contendebat, vt patet ex d. §. Symmachus, 2. q. 8. ibi enim Concilium prius restituit Symmachum spoliatum sua quasi possessione Papatus; ergo Concilium de ipsius causa iudicium tulit: quod quidem cum iudicaret, Symmachum esse verum Papam, eique alia crimina obicerentur; determinato prius iudicio Papatus, cætera contra illum imposta, Dei iudicio remisit: nam cum Concilio constaret, quod erat verus Papa, iussit restitui in sua Sede: alia vero crimina non erant ab aliquo iudicanda, sed ab ipso Deo. Vnde dispositio illius textus non solum non contradicit, sed immò potius fauet nostræ sententiæ.

30 Pariter non obstant sextum, & alia quæ pro Collegio Cardinalium adduximus suprà, n. 10. quibus specificè respondebimus. Et primo ad cap. si quis pecunia, 79. distinct. dicimus, quod ibidem priuatiuè non datur tantum Cardinalibus potestas expellendi intrusum in Sedem Apostolicam, sed & infimul etiam aliis Clericis & Laicis, & sic omnibus fidelibus, qui nihil aliud sunt quàm Concilium, & ideo non debet attribui solum Cardinalibus; & exinde non obstat: sicut nec etiam textus in cap. in nomine

Domini, §. si quis, 23. distinct. cui quidem cum idem decidat, eodem profus modo responderetur.

Ad textum in cap. vbi periculum, §. ydem quoque, de elect. in 6. satisfait Anton. de Rosel. in d. quæst. quis sit Iudex in causa Papatus, num. 31. vers. nunc restat, &c. dicens, quod ille textus loquitur in aliis negotiis: non verò in electione, & prouisione Papatus, vel de concernentibus ad ipsum Papam; quia in istis, Cardinales non habent iurisdictionem, & auctoritatem; bene tamen in illis quando sunt ardua cum periculo imminenti: & hoc suadet ex verbis ipsius textus, ibi: *Quod se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi forsan necessitas adeo vgens incideret, vel nisi aliquod tam grande, & tam euidentis periculum immineret, &c.*

Ex quibus verbis deducitur, quod ista exceptio, facta ab illa generalitate, videlicet vt prouideant Cardinales vbi est grande periculum, non se potest extendere ad faciendam prouisionem de Papatu, vel ad iudicium ferendum in ipsius personam, de qua specialiter fuerat dictum, vt ad electionem procedant, ex regula iuris, quod clausula generalis non refertur ad specificata: *l. stipulationes commodissimum, §. 3. l. doli clausula 119. ff. de verborum obligat. l. sanctio legum 41. ff. de penis*; Ex quibus colligitur, quod in illa specificatione, quam facit textus, solum conceditur Cardinalibus cognitio aliorum negotiorum arduorum; non verò circa electionem iam factam de summo Pontifice, nec de concernentibus ipsius personam, de quibus in principio iam statuerat, quod se nequaquam intromitterent.

Similiter non obstat tertium circa hunc articulum, videlicet quod Cardinales eligunt, & creant Papam, & exinde ad eos pertinere declarationem validitatis, vel inualiditatis ipsius electionis, ac per consequens facultas priuandi, si de intrusione constaret: quia respondetur, quod talis electus à Cardinalibus, non est Papa ex solo facto ipsorum Cardinalium, quia homines sunt; sed infimul requiritur consensus, & acceptatio ipsius electi, & tunc Deus dat ei potestatem, licet ipsi personam determinant, vt dicit textus in cap. finali, 79. distinct. ibi, *Electio nem*, (ita legendum est, non vero *electionem*, vt cum Petro Gregorio notat Barb. in pastor. p. 1. tit. 1. cap. 3. n. 4.) *Summorum Sacerdotum sibi Dominus reseruauit; licet electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset, &c.* Ex quo textu deducitur, quod quamuis Cardinales

Cardinales personam designent, solus Christus Dominus immediatè confert Dignitatem, & potestatem, vt cum Caietano, Torres, & Suarez notat Barb. in collect. ad d. cap. final. n. 2. Et in hoc casu fallit regula, quod ad eum spectat destitutio, ad quem debet spectare institutio; vt notabiliter aduertit Glossa in d. cap. finali, & ita non sequitur, in Electoribus summi Pontificis: *Eligunt Cardinales; Ergo possunt indicare de validitate, seu inualiditate electionis*: quia in Papatu non habet locum: ex quibus satisfait prædictæ considerationi.

35 Præterea non obest, quod in electione Papæ Cardinales fungantur iure Metropolitaniani; quia illud intelligi debet largè, & improprie, eo scilicet respectu tantum, quod eorum electio copulatiuè ex ipso facto habeat vim electionis ac etiam confirmationis, quæ in inferiorum electionibus vnum post aliud separatim solent requiri: vt in d. cap. in nomine Domini, & in d. cap. licet, & in aliis suprà allegatis n. 13. in quibus, Cardinales iure Metropolitaniani funguntur; non autem eo respectu, vt potestatem habeant iudicandi, & cognoscendi, an Papæ electio iam facta, sit canonica, vel non; & ita in specie notat Præpositus in §. patet ergo, vers. sed obicitur, &c. qui est vltimus, 3. q. 1. n. 3.

Nec est verum dicere, quod hæc quæstio intrusione sit præambula ad ipsam electionem, & qui vult consequens, vult & etiam antecedens. Nam vt aduertit Rosel. vbi supra, non sequitur, quod determinata intrusione debeat dari locus electioni per Cardinales faciendæ, & exinde prædicta regula non verificatur.

36 Denique non contradicit nostræ sententiæ, quod Cardinales in eligendo Pontifice representant vniuersalem Ecclesiam, qui sunt Sacerdotes Leuitici generis, per quos ardua dubia expediri debeant: d. cap. per venerabilem, §. sed quia, qui filij sint legitimi: quia vt docet Rosel. vbi supra, n. 36. ille textus loquitur, quando Papa cum Cardinalibus iudicat; quia tunc ardua dubia possunt dirimere, sed cum in nostro casu Papa non cognoscat de causa Papatus, licet possit esse Iudex in causa sua, non tamen quando non est in quasi possessione, & contenditur de validitate, vel inualiditate Papatus, quia tunc suspectus dici potest, & merito recusari, cum agatur de acquirenda totali sua iurisdictione, in qua cum sit Pars formalis, & agatur de iure quærendo, & non quæsito, non debet esse Iudex; vt optime aduertit Innocentius in cap. ex parte, de verbor. signif. & dicemus statim in sequenti

quæstione: & ideo tunc succedunt Sacerdotes Leuitici generis, qui appellantur, & sunt omnes Episcopi, & Concilium tam secularium quàm Religiosorum Clericorum; non verò Cardinales tantum; nam proprie tali nomine fruuntur Episcopi, qui respectu suarum Diæcesum, potestate, & Ordine sunt Papæ pares, vt cum pluribus tradit Barb. de vniuers. iure Eccles. lib. 1. cap. 39. §. 4. n. 51. & de eorum excellentia, & variis nominibus late ipse Barb. in Past. p. 1. tit. 1. cap. 2. n. 3. cum pluribus sequent. suntque etiam ipsius Papæ Fratres, vt in cap. quam graui, de crimine falsi, vt tradit Cosmas in pragmatica sanctione, tom. 2. tit. de numero Cardinalium, in principio, verbo, Cardinales, & ita nomen Sacerdotum Leuitici generis non tantum adaptatur Cardinalibus; sed etiam Episcopis; & exinde argumentum non concludit aliquid contra id quod resolutam reliquimus suprà, n. 13. & 14. Quare fatendum est, & concludendum, dictam declarationem intrusione Papatus, ad Concilium Generale pertinere, ipsumque esse legitimum Iudicem.

QVÆSTIO XVIII.

Conuocatio Concilij ad quem pertineat, pro decidenda causa Papæ intrusi.

S V M M A R I V M.

Concilium Generale declarare debet, an Papa sit intrusus, vel non, quando super eo contentio suscitatur. n. 1.
 Concilium Generale sine auctoritate Papæ congregari non potest, n. 1.
 Concilium à quo congregandum est, quando prætenditur, Papam esse intrusum, vel hæreticum, n. 2.
 Papa existens in possessione Papatus, si ei de intrusione, vel hæresi opponatur, ipse solus congregare potest Concilium, ad causam decidendam, n. 3. & 12.
 Papa existens in possessione Papatus, habet ius faciendi ea, quæ ad Supremam Dignitatem pertinent, n. 3. & 4.
 Quod intellige vt n. 6.
 Possessio Officij absque titulo collato à Superiore sufficit, vt gesta per talem possessorem valeant; sed plures Doctores contrarium tenent, n. 4.
 Titulum coloratum, & etiam inualidum, si quis habeat à Superiore, operatur, vt possit efficere quidquid ad Officium, vel Beneficium

- ficiam pertinet, & gesta sunt valida. num. 4.
- Iurisdictionalia exerceri debent per eum qui est in possessione iurisdictionis, quae est manutenibilis ex unico actu, n. 5. & 11.
- Papa si sit notorie intrusus, vel Hæreticus, non potest Concilium congregare, n. 6.
- Cardinales congregare debent Concilium, si notorie constet, Papam esse intrusum, vel Hæreticum, n. 6.
- Papa excluditur à Papatu, propter notoriam intrusorem, vel heresim, n. 7.
- Exceptio spoli non obstat spoliati, si notorie constat de non iure spoliati, præcipue in quacunque re spirituali, n. 8.
- Restitutio fieri non debet ei, qui spolium præterdit, si ex restitutione nutriatur peccatum, n. 9.
- Intrusus notorie in Officio, vel Beneficio, non potest agere spolio, cum per notoriam intrusorem careat titulo, & ita non spoliatur, num. 9.
- Cardinales congregare debent Concilium, quando duo contendunt de Papatu, cum aliquo probabili fundamento, & neuter eorum existit in possessione, n. 10. 11.
- Duo si adsint in possessione Papatus, & dubium oriatur quis eorum sit verus Papa, ad decidendam causam, neuter congregare potest Concilium, sed pertinebit ad Cardinales, n. 12.
- Cardinales poterunt Concilium congregare, si Papa existenti in possessione Papatus opponatur intrusus, vel heresim ex aliquo legitimo fundamento, & ipse renuat illud conuocare, n. 13. & 14.
- Papa non potest condere legem, quod Pontifex non possit redargui de heresi, num. 14. & 15.
- Scandalizare factio peius est, quam verbo, num. 15.
- Papa legitime electus à maiori parte Cardinalium, existens in possessione Papatus, si alter intrusus eum molestare intendat, tunc defendendus est ab omnibus Christianis, ut amoveatur à liminibus Ecclesie, & anathematizari debet cum suis fautoribus, & sequacibus, nec ex eo congregari debet Concilium; verum si ex aliqua legitima causa id fieri debeat, solus Papa id efficere valet, n. 16. & 17.
- Cardinales conuocando Concilium, ad effectum dirimendi contentionem inter duos disputantes de Papatu, non sunt suspecti, cum id non agant ut Iudices, sed representando Ecclesiam, n. 18.
- Cardinales conuocando Concilium pro declaranda contentione Papatus, consentiunt ut alij de eorum facto iudicent, & ideo non

sunt suspecti ad eum actum exequendum, n. 18.

Iudex, qui alias suspectus esse potest, habet facultatem delegandi causam, antequam ei suspicio opponatur, n. 19.

Cardinales si negligentes sint in conuocando Concilium, in casibus in quibus id efficere tenentur, tunc propter illorum retardationem, proterunt Prælati se ipsos congregare, num. 20.



IN quæstione præcedenti resolutum reliquimus, quando contentio suscitatur, an Papa sit intrusus, vel non tunc decisionem pertinere ad Concilium Generale: quod quidem cum non possit congregari, seu conuocari sine auctoritate Papæ, cap. mandastis, 2. q. 5. cap. ideoque, 2. q. 6. S. hinc etiam, 17. distinct. & ferè per totam, & diximus supra in quæstione antecedenti, n. 6. sequitur inquirendum, quis sit in tali casu legitimus Concilij Congregator: quia videtur difficile, & verisimile, Papam nolle ad eum effectum Concilium congregare, illique auctoritatem impertire, ne se exponat periculo priuationis, in vilipendium sui honoris, si probaretur intrusio, vel heresis, aut alia legitima causa, ex qua à tam sublimi, & suprema Dignitate, & honorifica, & vtili Sede remoueri posset.

Quam quæstionem examinant communiter Doctores in cap. Synodum, 17. distinct. & Azor. p. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 13. q. 2. Cardinal. Tuschus tom. 2. littera C. conclus. 549. num. 2. & sequen. & concl. 555. num. 1. & 6. Suarez de fide disput. 11. sect. 3. ex n. 4. cum sequen. Padilla lib. 1. de Concilio cap. 12. & in Epitome, post principium, nouissimè Iacobus Cohellius in tractat. de notitia Cardinalatus cap. 16. privilegio 24. vers. sed alia modo superest, & alij plures, ex quorum dictis pro vera intelligentia, & resolutione breuiter constituo aliquot casus.

Primus est, quando is qui præterditur intrusus; reperitur solus in possessione Papatus; & tunc ipse tantum Concilium congregare poterit, non verò alter cum eo contendens, qui non sit in possessione; quia cum regula sit certa, quod solus Papa potest & debet Concilium conuocare, (ut dictum est) sequitur exinde quod ille solus, qui est in possessione Papatus, habet ius faciendi ea, quæ ad Papam pertinent: Argumento text. in cap. querelam, 24. de elect. cap. consultationibus, de iure patronatus, & patet ex his quæ diximus supra, in quæstione antecedenti, n. 26. & sequen.

Ex quibus iuribus plures Doctores voluerunt

luerunt, gesta per possessorem valere, cum sola possessione Officij, absque titulo collato à Superiore, ut latissimè plures referens tradit Sanchez de matrimonio, lib. 3. disp. 22. n. 48. Et quamuis alij contrariam tueantur, ipse tamen Sanchez num. 49. copiosè defendit, gesta per habenrem titulum collatum à Superiore, valida esse, licet titulus sit inualidus ob aliquod vitium latens: ex qua doctrina inferitur, quod existens in possessione Papatus, habet titulum, qui quamuis aliàs esset inualidus, nihilominus conuocatio Concilij ad eum debet pertinere, cum solus ille qui in dicta possessione existat, habeat ius faciendi ea, quæ ad Papam pertinent, præcipue conuocationis Concilij, & præstationem auctoritatis ad illud, ut expressè deciditur in cap. mandastis, 2. q. 5. & in S. hinc etiam, 17. distinct. & ferè per totam.

5 Et præterea notum est in iure, quod iurisdictionalia exerceri debent per eum, qui est in possessione iurisdictionis, ut in cap. hac quippe, 3. q. 6. immò talis iurisdictionis manutentenda est, etiam ex unico actu, ut declarauit Rota penes Peñam in meis recollect. tom. 2. decis. 1104. n. 5. Ergo Concilij conuocatio pertinebit ad Papam, existentem in possessione.

6 Sed prædictus casus intelligi debet, quando Papa, qui est in possessione, non fuerit notorie intrusus, seu hæreticus; secus autem si manifestè constaret de eius intrusione, vel heresi, & similiter si certò non sciretur, vel esset notum, alium contendentem non possessorem, legitimo & canonico titulo esse munitum, sed dubium verteretur, an illum haberet, vel non, quia in huiusmodi casibus, sine ipsorum auctoritate, Cardinales congregare debent Concilium, ut plures referens docet Diana tom. 5. resol. moral. tract. 2. resol. 62. & Barbosa de vniuers. iure Eccles. lib. 1. c. 1. n. 76.

7 Et ratio est, quia per notoriam intrusorem, vel heresim, excluditur ne sit Papa; ex his quæ notantur in cap. 1. S. sane, vers. notoria, de censibus in 6. & in Glossa in cap. si Papa, verbo, à fide deius, 40. distinct. & tradunt Cardin. Tuschus tom. 2. lit. C. conclus. 552. num. 28. cum sequen. usque in finem, Suarez de fide, disp. 10. sect. 6. num. 17. & disp. 15. num. 14. cum sequen. & patet ex congestis per Barbofam de vniuers. iure Eccles. lib. 1. cap. 7. num. 75. & in specie ita docent Anton. de Rosel in tract. de potest. Papa, in quæst. quis sit Index in causa Papa, incipient. Abunde ut arbitror, num. 64. & Thomas Campegius de auctor. sacri Concilij, cap. 2. num. 14. quem tractatum reperies etiam in

Tract. de Intrusione.

tom. 13. Tractatum, p. 1. in impress. Venetijs de anno 1584. pag. 400. quibus iunge Cohellium in d. tract. de notit. Cardin. cap. 16. priuil. 24. in princ.

Nec ex hoc dici potest, talem intrusum spoliatum existere: nam cum notorie constet de non suo iure, exceptio spolij non obstat, etiam si restitutionem peteret, maxime in quacunque re spirituali, ut expressè constat ex cap. ad decimas, de restitutione spoliatorum, in 6. cap. quoniam, ibi, Penitus excludatis, &c. de filiis Presbyterorum, cap. 1. de eo qui mittitur in possessionem: in 6. c. significasti, de diuortis, & latè probat Barbofam collect. ad d. c. ad decimas, n. 14. & 16.

Tum & etiam, quia si ex restitutione nutritur peccatum, illa non admittitur, nec fieri debet; cap. literas, §. porro, de restitut. spoliatorum, Glossa in summa, verbo, quidam Episcopus, 3. q. 1. Menoch. de recuperanda possessione, remed. 1. n. 259. & 260. Ergo ex tali actu non debet dici spoliatus Papatu, cum per notoriam intrusorem, tanquam exclusus ab eo, careat titulo: & ita etiam in specie tradit Cardin. Iacobatius in tract. de Concil. lib. 3. artic. 1. num. 162. & sequen. præcipue n. 189. & 190. quem tractatum reperies etiam in d. tom. 13. Tractatum, part. 1.

Secundus casus est, quando duo contendunt de Papatu, & nullus eorum est in possessione, sed quæstio vertitur, quis contendentium sit verus Papa, vel intrusus; & tunc neuter Concilium congregabit, sed illud conuocare debent Cardinales sine ipsorum contendentium licentia, ut tradit Anton. de Butrio in suo tract. de schismate, quem sequitur Anchar. in allegatione pro Concilio P. sano, & similiter Campegius in d. tract. de auctor. Concilij, in d. c. 2. n. 13.

Huius autem doctrinæ ratio ea est, quia (ut in præcedenti casu num. 5. dictum est) ei tantum competit ius exercendi iurisdictionem, qui est in illius possessione, etiam si de iure proprietatis iurisdictionis alterius constaret, ut in cap. cum Ecclesia Surrina, cap. cum olim, de causa possessionis, & proprietatis, cum alijs adductis supra, & plures referens tradunt Mascardus de probationibus, concl. 173. n. 4. & sequen. Salgado de Regia proteest. p. 3. cap. 10. à num. 4. ergo cum supponamus nullum existere in possessione Papatus, præcisè fatendum est, ad neutrum eorum huiusmodi facultatem congregandi Concilium pertinere, & ideo Cardinales illud congregabunt.

Tertius casus est, quando duo contendunt de Papatu, & ambo sunt in illius possessione, sed dubitatur quis eorum sit intrusus,

F trusus,

trufus, & tunc nullus eorum auctoritatem Concilio præbere potest; nam illud quod dicitur, Papam etiam intrusum, existentem in quasi possessione Papatus, debere Concilium conuocare, vel ei auctoritatem impertire, locum habet (vt diximus supra, in primo casu, num. 3.) quando vniuersaliter vnus à principio, in possessione Papatus existit, & ita loquuntur omnia iura; hæc dicentia, secundum Antonium de Rosel. in d. tractatu de potest. Papæ, in d. quest. quis sit Index in causa Pape, n. 75. Secus autem (secundum eum) si sint duo & à principio diuisim & per scissuram Papatum possiderent, tunc enim cum ignoretur quis sit legitimus possessor, non poterunt Concilium congregare, nec ei tanquam vnicum Caput possidens, auctoritatem præbere.

13 Quartus casus est, quando is qui est in possessione Papatus, ex aliquo legitimo, & iuridico fundamento allegatur intrusus, vel hæreticus; & recusat, vel detrectat Concilium congregare, cum id efficere teneatur pro huiusmodi causa decidenda: quia tunc propter eius omissionem, seu retardationem, Cardinales ad eum effectum congregare debent Concilium: & ita docent Antonius de Rosel. *ubi supra*, num. 53. *vers. vnde est animaduertendum, cum pluribus sequenti.* & Iacobatus de Concilio, lib. 3. artic. 1. num. 164. *vers. aut Possessor Papatus cum pluribus etiam sequenti.* quem videre poteris in d. tom. 13. tract. p. 1. pag. 232. col. 4. in impressis Venetiis de anno 1584.

14 Et præterea dicti Doctores addunt, quod per indirectum talis possessor Papatus cõpelli poterit ad Concilium congregandum, & mouentur ex eo, quia sicut Papa non potest condere legem, quod Pontifex de hæresi redargui non possit, vt notat Glossa in c. si Papa, verbo, à fide deuius, *vers. item nunquid Papa posset statuere*, 40. dist. & tradunt latè Cardinalis Tuschus tom. 2. *littera C. conclus. 552. num. 27.* optime Iacobatus *ubi supra*, in d. lib. 3. artic. 1. num. 165. & 169. & Decianus in tract. criminali, lib. 5. cap. 52. num. 11. & 13. vbi reddit rationem; quia aliàs per talem legem posset subuertere vniuersam Ecclesiam, contra dictum Apostoli 2. ad Corinth. cap. 13. dicentis, *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi, ad adificationem, & non ad destructionem, &c.* Ergo hic similiter videtur dicendum, quod non poterit differre, vel in longum tempus protrahere Concilij Congregationem, quæ tunc est tam necessaria, & opportuna pro quiete, & tranquillitate vniuersalis Ecclesiæ, & debeat fieri ad ædificationem, & non ad destructio-

nem; & ideo si renuat, ius congregandi ad Cardinales deuoluetur.

Enim vero peius est Ecclesiam, & subditos facto scandalizare, quàm verbo, ex notatis in c. dilecto 63. de appellation. Ergo in dicto casu, in quo tractatur de diffiniendo probabili dubio, suscitato de Papatu, negari non potest, agi de bono vniuersalis Ecclesiæ; ergo remedium opportunum adhiberi debet, quod consequitur per congregationem Concilij, faciendam per Cardinales in casibus in quibus id fieri debet ne aliàs, si quando decidenda est causa intrusionis, vel hæresis Papæ, propter dilationem, & procrastinationem ipsius Papæ in congregando Concilio, tota Ecclesia scandalum, & damna pariat, cui malo obuiandum est per remedia opportuna, nè per congregationem Concilij faciendam à Cardinalibus, si accusatus cum fundamento de intrusione, vel hæresi, renuat illud exequi: & ideo dicendum est, quod propter dilationem & procrastinationem, poterunt Cardinales in prædicto casu Concilium congregare.

Quintus casus, & vltimus est, quando non vertitur in dubium quis contendenti sit verus Papa, veluti si vnus ex eis à duabus partibus Cardinalium electus reperiretur; alter vero intrusus, & Apostaticus, vt in casu c. factus est Cornelius, 7. q. 1. vbi Cornelius vere fuit electus à Cardinalibus, & Clero, cum omnibus requisitis, &c. postea verò Nouatianus fuit à paucis electus, ex qua electione prætendebat Papatum & Cornelium molestabat, & totam Ecclesiam vniuersalem subuertebat, deponendo Episcopos Catholicos, & alia faciendo contra rectam rationem. Vnde scribit *ibidem* Cyprianus Martyr omnibus Christianis, quod solus Cornelius est verus Papa, & Nouatianus, profanus, intrusus, Apostaticus, & malus, &c. quod idem probatur in cap. Nouatianus, eadem causa, & questione.

Ex quibus in prædicto casu congregari non debet Concilium, sed statim talis intrusus & inuasor anathematizandus est, & à liminibus Ecclesiæ amouendus cum suis fautoribus & sequacibus, tanquam Antichristus, & destructor Christianitatis: vt in c. in nomine Domini, 23. dist. & in c. si quis pecunia, 79. dist. & latè diximus supra q. 15. à n. 2. cum seq. Attamen si ex iusta causa, veluti ad efficacius remouendum intrusum, vel ex alia legitima, Concilium congregandum foret, id fieri deberet non per Cardinales, sed per verum Papam, & non ad effectum cognoscendi quis esset verus Papa, cum de eo iam constaret per electionem factam à duabus partibus Cardinalium, sed ad destru-

struendum, & eiiciendum ipsum intrusum: & ipsius fautores & sequaces damnandos, & efficiendum vt omnes obediant vero Pontifici, pro vt tenentur: quod quidem ita fuit practicum tempore Damasi contra Vrsicinum; & tempore Cornelij contra Nouatianum; vt in d. c. factus est, & sequenti, 7. q. 1. & in specie sic tradunt Turrecremata in tract. de Concilio, cap. 8. & Alexander in cap. Synodum, 17. dist. quos refert & sequitur Thomas Campegius *ubi supra*, in d. cap. 2. num. 13.

18 Sed contra omnia hucusque dicta opponi potest, quod in prædictis casibus contentionis de Papatu, in quibus Cardinalibus conceditur facultas conuocandi Concilium, ipsi videantur suspecti; quia cum agatur de eorummet facto, qui in discordia elegerunt vt per Glossam, in cap. si duo, verbo, contra fas, 79. dist. videtur dicendum, suspectos esse Cardinales propter affectionem, quam habere poterunt vt gesta per ipsos robur habeant; ergo non poterunt Concilium congregare.

19 Cui obiectioni responderetur: eam veram esse ad effectum iudicandi quænam contententium in illo tunc temporis esset verus Papa, nõ tamen quoad conuocationem Concilij: illud namque conuocando, potius videntur consentire, vt alij de eorum facto iudicent, ex quo se liberant ab omni suspitione; quia volunt vt tertij, scilicet qui congregandi sunt in Concilio, de veritate & iustitia iudicium proferant: ad instar & exemplo Iudicis, qui haberi potest suspectus: nam talis antequam susceptionis exceptio opponatur, seruata iuris dispositione, poterit alteri causam delegare, vt optimè aduertunt Cardinalis Alexander in d. cap. Synodum, sub n. 5. & Campegius in d. cap. 2. n. 14. in versiculo, & licet Cardinales.

20 Cum itaque in prædictis casibus conuocatio Concilij tam necessaria existat ad obuiandum damnis, quæ oriuntur in vniuersali Ecclesia ex schismate, & discordia; merito dilationibus implicari non debet, sed quætoque, renebuntur Cardinales Concilium congregare, vt Romanus Pontifex tanquam vnicum Caput vniuersalis Ecclesiæ habeatur, cui omnes Christiani (vt par est) obediant, & ab eo fomentum, tanquam à Capite vniuersali accipiant. Cæterum si Cardinales negligentes fuerint, aut noluerint Concilium congregare, & imminet necessitas, tunc Prælati se ipsos congregare poterunt: secundum Alexandrum, & Petrum de Monte, quos refert & sequitur Iacobatus *ubi supra*, in d. lib. 3. art. 1. n. 88. & seq. n. 202. cum pluribus seq. vbi materiam latè disputat, Tract. de Intrusione.

& lib. 8. art. 3. n. 10. diffusè Cardin. Tuschus tom. 2. lit. C. concl. 549. à n. 8. vsque ad finem. Alia autem cõducentia ad proximè dictam conclusionem, videre poteris apud ipsos, quia longa manu de ea agunt.

QVÆSTIO XIX.

Papa coram quo possit, & debeat renunciare, vel cedere Papatui, si in eo sit intrusus.

S V M M A R I V M.

Intrusus toleratus, vel qui titulum habet putatum, aut legitimum, non potest renunciare officio, vel beneficio sine auctoritate Superioris. n. 1. & 10.

Papa potest liberè renunciare Papatui pro libito voluntatis. n. 2.

Papa si renunciare velit Papatui, an id efficere debeat coram Collegio Cardinalium. num. 3.

Papa liberè potest renuntiare, vel cedere Papatui, nec indiget, vt fiat in Concilio Generali, vel Collegio Cardinalium. n. 4. & 5.

Dictio, liberè, imputat, vt possit quis facere actum sua sponte, sine alterius licentia, vel auctoritate. n. 5.

Verbum liberè, in dispositione adiectum, operatur, vt actus fieri possit sine licentia, consensu, requisitione, vel auctoritate alterius. num. 6.

Papa si renunciet, vel cedat Papatui, id efficit in suismet manibus, hoc est in sua mera voluntate, cum nullum habeat Superiorem, coram quo renunciare, vel cedere valeat. num. 7.

Papa si renunciet, vel cedat Papatui, licet in rigore iuris liberè id efficere possit in suismet manibus; ex urbanitate tamen notificare debet renunciationem Collegio Cardinalium. n. 8.

Papa intrusus, existens, vel non, in possessione Papatus, si ei renuntiare voluerit, non indiget vt id fiat in Concilio Generali, vel in Collegio Cardinalium. n. 9.

Renunciatio officij, vel beneficij, debet fieri in manibus Superioris, & sine illius acceptatione non valet: quod non habet locum in renunciatione Papatus, quæ liberè fieri potest. n. 10.

Pontifex si renuntiare velit Papatui, traditur formula faciendi cessionem. n. 11.

Nec quæstio sumit principium ab alia quam disputant Doctores post Glossam in verbo, sed dumtaxat, in cap. Nisi cum pridem, §. propter conscientiam, F 2 de

de renunciatione, vbi concludunt, quod intrusus tenetur renunciare beneficio, in quo se intrusit; & hoc facere debet cum auctoritate Superioris: de quo dubio agemus infra. Vnde cum Papa nullum habeat Superiorem, coram quo possit & debeat facere renunciationem, vt diximus supra. q. 17. n. 1. & seqq. exinde sequitur inquirendum, coram quo poterit Papa intrusus cedere, vel renunciare Papatui.

2 Pro cuius resolutione notandum est, quod in iure cautum reperitur, videlicet in cap. 1. de renunciat. in 6. vbi Bonifacius VIII. decernit, posse Romanum Pontificem Papatui renunciare, & ita videmus plures Pontifices effecisse, prout cum Gomezio, & Ioane de Burgundia, & Augustino Triumpho tradit Gonzalez ad regulam 8. Cancellarie, §. 5. proæmij n. 17. & 18. vbi enumerat aliquos, qui Papatui cefferunt & renunciarunt, & hoc non est dubitabile, vt probat Flaminus Parisius de resignat. lib. 2. q. 1. n. 4. & 19. cum plurib. seqq. & lib. 7. q. 5. num. 3. Albertinus de agnoscen. assert. quæst. 30. n. 6. Azor. instit. moral. par. 2. lib. 4. cap. 6. quæst. 1. Paulus Comitoli. lib. 1. respons. moral. q. 100. Machado ex su. perfetto Confessor y cura de almas, tom. 2. lib. 4. par. 7. tract. 4. docum. 20. de las obligaciones espirituales del Pontifice, num. 1. vers. y así concluyo: Bonacina in tract. partic. de legitima elect. summi Pontificis, q. 1. punct. 1. propos. unica, n. 20. & alij plures relati per Barbofam de vniuerso iure Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 211.

3 Difficultas igitur solum versatur, coram quo Pontifex volens renunciare Papatui, id exequi valeat? Aliqui enim dixerunt, teneri id facere in Collegio Cardinalium, vt resoluerunt Hugo in Canone nō autem, 7. q. 1. quem refert Anton. de Butrio in d. c. 1. de renunciatione in 6. n. 5. & alij vt testantur Paris. in d. lib. 7. q. 5. n. 3. Machado, Azor. & ceteri supra allegati, qui eam opinionem non sequuntur; illorum tamen fundamenta longa manu tradit Barbofa in dict. tract. de vniuerso iure Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 212. quæ consulto omitto, ne in hoc casu tam infolito, & raro immoremur: pro vt notarunt Vitalinis in Clement. ne Romani, §. sanc. n. 39. de elect. & Ludouic. Gomez. in regula, de infirmis resignantibus, q. 1. n. 9. & Mandosius in proæmio Regula 19. ante finem, quos allegat Gonzal. in d. §. 5. proæmij, n. 21. & ideo apud illos Doctores videre poteris argumenta, quibus suam opinionem defendunt.

4 Contraria tamen est verior, & tenenda, videlicet Pontificem posse Dignitati Pontificali renunciare simpliciter, liberè, & ad ipsius beneplacitum, nec opus esse vt id

efficiat in Concilio generali, seu Collegio Cardinalium, pro vt variis rationibus, & fundamentis diffusè comprobant Flamin. Paris. in d. q. 5. n. 6. cum plurib. seqq. vsq; in fin. Machad. in d. docum. 20. n. 2. vers. pero lamas comū y recuñda, & c. latissimè Azor. in d. 2. p. instit. moral. lib. 4. c. 6. q. 2. & alij plures relati à Barbofa in d. cap. 2. n. 213. qui longa manu agit de hoc articulo: & num. 214. respondet argumentis contrariæ sententiæ.

Huius opinionis rationes cogerunt Barbofa vbi proximè, & Paris. in d. q. 5. à n. 6. vsq; ad 12. qui præcipuum desumit ex d. cap. 1. de renunciatione, in 6. in illis verbis, Auctoritate Apostolica statuit, & decernit, Romanū Pontificem posse liberè resignare, & c. Ponderando dictionē illam, liberè, quæ importat, vt quis possit facere actum sua sponte, & sine alterius licentia aut depēdētia, vel auctoritate, vt in c. 2. de locato, c. statuius, de Regularibus, c. cū plures 8. de offic. & potest. Iudicis delegati, vbi notat Glos. verbo, liberè, dictionē, liberè, idem significare, quod non requisito Collega: vnde docet Roland. cons. 42. n. 18. & 19. lib. 1. quod verbum, liberè, operatur, vt actus effici valeat sine licētia, sine cōsensu, sine aliqua requisitione, vel auctoritate alterius, & plura cumulans tradit Barbof. de diction. vsufrequentibus, diction. 190.

Cum igitur in d. cap. 1. de renunciat. in 6. 7. decernatur, quod Papa possit Papatui liberè renunciare, per verbum, liberè, fatendum est, posse independentē & absolutè id efficere, & tunc dicitur, Papā renūciare Papatui in suismet manibus, cum nullum habeat Superiorem, coram quo id exequi valeat, vt notauit Cardin. Iacobatus in suo tract. de Concilio, lib. 7. artic. 5. n. 179. quem refert & sequitur Flamin. Paris. in d. lib. 7. q. 5. n. 7.

Alia argumenta quæ probant hanc sententiam reperies penes Azor. Barbofam, & Parisiū in locis supra allegatis, qui concludunt, quod licet hoc ita fieri possit: tamen ex vrbānitate, & ciuilitate debere Pontificem id notificare Consistorio Cardinalium, prout ita exequuti fuerunt Cyriacus, & Celestinus, vt plures referens notat Parisius in d. q. 5. n. 12. & seqq.

Quare in proposita quæstione dicendum est, quod si Papa intrusus, existēs, vel non, in possessione Papatui, voluerit ei renunciare, poterit illud efficere ad libitum suæ voluntatis, nec ad eum effectum indigere, vt fiat in Concilio generali, vel Collegio Cardinalium: quod quidem in puncto iuris verisimium est, quamuis si voluerit, melius erit ex vrbānitate, & ciuilitate (vt diximus) certiorare Cardinales, vel Concilium de sua deliberatione.

Prædicta

10 Prædicta autem resolutio specialis est in Papatui in aliis inferioribus beneficiis, si faciendā fuerit renunciatio, præcisè erit necessaria Superioris acceptatio, vt diximus supra, in principio, num. 1. & latè comprobatur Barbofa in d. cap. 2. num. 214.

11 Quæ quidem specialitas colligitur ex formula renunciationis, quam fecit Celestinus V. de Papatui cuius tenorem refert noster Doctissimus Aragonensis Carrillo Canonicus sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, postmodum Abbas Montis Aragoniæ, in suis Annalibus Chronolog. lib. 4. anno 1294. fol. 373. à quo mutuauit Barbof. ipsius tenorem, vbi proximè, n. 213. in fine, & est prout sequitur: Ego Celestinus Papa V. motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientie illasæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate Populi, & infirmitate Personæ, & vt præterea consolationis vitæ possim reparare quietem; sponte, ac liberè cedo Papatui, & expressè renuncio loco, & Dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc sacro cæni Cardinalium, eligendi, & prouidendi duntaxat canonicè vniuersali Ecclesiæ de Pastore, & c. Ex quibus satis patet conclusio supra à nobis firmata, videlicet, quod Papa legitimus, vel intrusus, existens in possessione Papatui, posset ei liberè renunciare ad libitum suæ voluntatis, nec opus esse, vt id exequatur in Concilio generali, aut Collegio Cardinalium, vel coram alio quocunq; in terris existente, quia omnes sunt eo inferiores: & ita concludendum est.

QVÆSTIO XX.

Quis dicatur Intrusus ad effectum Regulæ Cancellariæ de subrogandis collitigantibus, excipientis intrusos, & disponentis, non debere subrogari.

S V M M A R I V M.

Regula Cancellariæ 29. de subrogandis collitigantibus, adinuenta fuit ad tollendos litium anfractus. n. 1. & 6.
Subrogatio in beneficio Ecclesiastico litigioso conceditur, quoties aliquis ex litigantibus cedit, vel decedit, n. 1.
Subrogatio in beneficio non datur intruso quocunq; modo, etiam si aduersarius litigans cedat, vel decedat, n. 2. & 3.
Tract. de Intrusione.

Regula Cancellariæ, vel lex generaliter loquens, generaliter intelligenda est. n. 3.

Lex vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus. num. 4.

Genus comprehendit sub se omnes species in quacunque dispositione. n. 5.

Genere prohibito, etiam minima illius species prohibita censetur. n. 5.

Regula Cancellariæ 29. de subrogandis collitigantibus, est fauorabilis, & ideo amplianda. n. 6.

Lex exorbitans à iure coarctanda est, in quantum fieri potest. n. 7.

Intrusi omnes de iure sunt, & reputantur odiosi. n. 8.

Exclusio intrusi vt à beneficio remoueatru, est anima fauorabilis. n. 8.

Intrusus verus in beneficio, non solum est exclusus quoad subrogationem ex Regula 29. de subrog. collitig. sed etiam qui fuerit quasi intrusus, vel largè intrusus. n. 9.



REGULA 29. Cancellariæ de subrogandis collitigantibus, adinuenta fuit ad succedendas, & terminandas lites, vt tradunt Loterius de re benefic. p. 1. lib. 2. q. 20. n. 58. & communiter Doctores: & ideo statuit, & determinat, ne noui aduersarij collitigantibus dentur, & quod quoties deinceps aliquem super quouis beneficio Ecclesiastico collitigantem in iure, vel ad ius, si quod forsā eius aduersario in dicto beneficio competierit, subrogari, concessum fuerit, id fieri debeat, dummodo præfatus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, vt patet ex verbis dictæ Regula, & tradunt Menochius ad regulas Cancellariæ, tom. 2. in regula 29. in rubrica, pag. mihi 200. in impressis Venetjs de anno 1606. & Ludouicus Gomezius super eandem regulam pag. mihi 125. in impress. Parisiis de anno 1546. Rebuff. in praxi p. 2. tit. de subrogat. glos. 1.

Vnde cum in d. Regula excipiatur, vt non possit, nec debeat subrogari, qui fuerit intrusus, videndum est quis talis sit, & dicatur, ad effectum dictæ Regulæ, ne ea se iurare possit: & dicendum est, comprehensum esse, quemcunq; de iure communi intrusum, nec ei dandam fore subrogationem, sed immò omnino esse exclusum; vt tradunt Gigas in Epitome de intrusione, n. 68. & Quintilianus Mandosius in prædicta regula, q. 4. idemque tenet Rebuffus vbi supra, glos. 4. à n. 4. cum seqq. & dicemus infra quæst. 110. num. ... in decima nona pœna intrusi.

Quæ conclusio probatur ex eo, quia cum dicta Regula generaliter loquatur, ibi, dummodo

dummodo presatus colligans in d. beneficio intrusus non fuerit, &c. generaliter intelligi debet de quocunque quomodolibet intruso; argumento textus in *l. si servus plurium, §. finali, de legatis 1. l. de pretio, ff. de public. in 1. actione, l. 1. §. generaliter, ff. de legatis praestan. cum vulgat. Cardin. Tusch. tom. 2. littera D. concl. 488. n. 8. Narbona alios referens, de appellat. à Vicario ad Episcopum, p. 1. n. 2. 7.*

4 Et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. non distinguemus, de receptis arbitris, l. 1. §. generaliter*, ubi Glossa verbo, in infinitum, ff. de legatis praestandis, cap. solita, de maiestate & obedientia, cum aliis pluribus, Tuschus in d. tom. 2. littera D. concl. 508. Monera in tract. de distribut. p. 2. q. 2. n. 37. ergo dicta Regula præcisè intelligenda est de omni vero, & effectuali intruso. Nam cum Regula *ibidem* indistinctè excipiat intrusos, comprehendere fatendum est omne genus intrusionis, & species sub suo genere: *homnes*, ubi notat Angelus Cod. de prescriptione triginta vel quadraginta annorum, cap. de deliberatione. §. prohibemus, ubi Glossa verbo, specie, de officio Legati, in 6. & prohibito genere; comprehensam esse etiam minimam speciem in prohibitione, advertunt Glossa in cap. maioribus, verbo, in minimis, de prebendis, & dignitatibus, & Barb. in eius collect. n. 3. alios allegat idem affirmantes, quibus consonat Mandosius ubi supra, in d. regula de subrogandis colligantibus, q. 4. n. 2. vers. applicando ad regulam, qui dictum fundamentum adducit & concludit, quod comprehenditur omnis intrusus.

6 Secundo probatur, quia negari non potest, quod dicta Regula est favorabilis quoad hanc partem, cum sit edita ad tollendos, & secandos litium anfractus; ad textum in cap. 1. de appellationibus in 6. l. propterandum, C. de iudiciis, ergo ampliari debet: *l. cum quidam, ff. de liberis & posthumis, cap. ne aliqui, de privilegiis in 6. cap. odia, de regulis iuris, eodem libro*: itaque præcipuum fundamentum dictæ Regulæ fuit, ut omnimodo lites terminarentur: quod consequitur excludendo omnem intrusum: alias datur ansa, & occasio, ut lis de lite suscitaretur, contendendo de nouo, an opposita intrusio sit talis, quæ in ipsa Regula comprehensa reperitur, vel non ad quod tollendum, utitur verbo illo generali, *intrusus*, & indistinctè ita disposuit, ut sub illo, exclusus remaneret omnis intrusus: ergo ampliari debet ad effectum tollendi lites.

7 Verum cum prædicta Regula sit etiam exorbitans à iure, in ea parte coarctanda venit, in quantum fieri potest, & ideo quæ-

libet exceptio, quæ constitutioni applicari possit, extendi debet: Ex quo dicendum videtur sub ea contineri omnes intrusos.

Qui quidem cum omni iure reputentur, & sint odiosi, ipsorumque exclusio, animæ sit favorabilis, ut optimè, & late tradit Mandosius ubi proxime, in d. q. 4. n. 2. vers. secundum fundamentum, dicendum videtur, quemcunque intrusum esse exceptuatum.

Tandem Mandosius, num. 3. roborat dictam conclusionem ex auctoritate Felini conf. 44. incipiente, *Titius possessor, n. 5.* qui eam ampliat, & extendit, ut locum habeat non solum in eo qui vere est intrusus, sed etiam in eo, qui largè intrusus, vel quasi intrusus reputatur (de quibus agemus infra) isti namque iuxta Felini opinionem, erunt etiam comprehensi: & quamvis Felinus loquatur ad effectum Regulæ de Triennali: attamen eius doctrina adaptari debet ad nostrum casum, cum æquè prædicta Regula de subrogandis colligantibus, sit rationabilis, & favorabilis, sicut illa de Triennali: cum ambo æqualiter tendant ad finiendos & tollendos litium anfractus, ut diximus supra; ex quibus concludendum est, omnes intrusos comprehensos esse in prædicta Regula, ne ea se possint iuvare ad effectum subrogationis.

QVÆSTIO XXI.

Intrusus an dicatur quoad effectum Regulæ, de subrogandis colligantibus, qui obtinuit possessionem vigore exequutorialium, sine intimatione, vel citatione, facta parti condemnata.

S V M M A R I V M.

Possessionem obtinens vigore exequutorialium, non est intrusus ad effectum Regulæ de subrogandis colligantibus, n. 1. & 2.

Sed contra, n. 5. & seqq.

Sententia si transit in rem iudicatam, taliter quod ab ea appellari non possit, exequi valet licitè, & iustè, sine partis citatione, n. 2.

Possessio quando obtinetur virtute exequutorialium, capi potest propria auctoritate sine partis citatione, n. 3.

Sed contra, n. 5. & sequen.

Intellige ut n. 10.

Stylus Rotæ admittit, ut in exequutorialibus apponatur

apponatur Clausula, quod propria auctoritate possessio capi possit, n. 3.

Contra, num. 5.

Actum qui exercet lege permittente, vel saltem non contradicente, habet titulum coloratum, & ideo intrusus dici non potest, n. 4.

Possessio beneficij capi non potest propria auctoritate in vim exequutorialium sine partis citatione: immo nec exequutor eam tradere potest, nisi prævia illorum intimatione, n. 5.

Possessio est iniusta, & infecta, etiam si sit capta iudicis auctoritate, si non fuerit iuris ordo servatus, maxime si tali actu priuatur tertius, etiam si sit intrusus, n. 6. & 7.

Ordo iuris si non fuerit servatus, non potest quis priuari sua possessione, etiam si sit intrusus, n. 7.

Citatio est necessaria, ut aliquis à sua possessione amoveatur, n. 7. & 8.

Prædo, vel alius iniustus possessor priuari non debet sua possessione sine citatione & actu iudiciali, n. 8.

Intrusus in beneficio dicitur ille, qui missus fuerit in possessionem auctoritate iudicis, de facto spoliantis, iuris ordine non servato, num. 9.

Obtinens possessionem non violentam sine citatione partis, virtute exequutorialium, non est intrusus: & ideo se potest iuvare regula de Subrogandis collig. secus autem erit, si illa fuerit violenta, n. 10. & sequen.

Exequutionem sententia si fecerit pars, ingrediendo possessionem auctoritate propria, conueniri poterit interdicto unde vi, non tamen priuatur iure suo, si nullam violentiam commisit.

MATERIA huius quæstionis fecundissima est, & plura circa eam disputari possent, ut ait Ludouicus Gomezius in commentariis ad Regulas Cancellaria, super dictam Regulam de subrogandis colligantibus, q. 4. in principio, Restrungendo tamen illam ad terminos propofiti in Summario dubij, ipsemet Gomezius respondet, & resoluit, talem non esse intrusum ad effectum dictæ regulæ de subrogandis colligantibus.

2 Et mouetur ex eo, quia quando sententia transit in rem iudicatam, taliter quod ab ea appellari non possit, licitè & iustè absque pœnæ incurfione exequi potest sine partis citatione: quod probat auctoritate Bartoli in l. à diua Pio, §. in venditione, ff. de re iudicata, & in l. meminere, C. unde vi: & ad intentum allegat Alexandrum, Innocentium, & Abbatem idem probantes: ergo qui obtinuit possessionem virtute

exequutorialium, cum pro se habeat sententiam, à qua non datur appellatio, non potest dici intrusus, etiam si illam ceperit sine citatione partis condemnata.

3 Secundo probatur, quia ex stylo Rotæ in exequutorialibus apponitur clausula, quod possessio capi possit propria auctoritate: ex quo sequitur, illum non peccare, nec actum iniustum exercere, qui lege permittente aliquid exequitur, iuxta dictum Bartoli in l. iuste, ff. de acquirenda possessione.

4 Unde negari non potest, talem habere titulum coloratum ex dicta possessione capta in vim exequutorialium cum dicta clausula: ac per consequens dicendum venit, illum non incurrere intrusionem, & exinde sub verbis dictæ Regulæ non comprehendi. Ex quibus fundamentis & aliis latè deductis à Cassadoro decis. 6. quæ incipit, *Gratia subrogationis &c. de causa possessionis & proprietatis, fol. mibi 352. in impresfis Lugduni, de anno 1567. ita defendit Ludouicus Gomezius in d. q. 4. quam sententiam etiam tueretur Gigas in epitome de intruso, num. 79. vers. idem dicendum erit.*

5 Contrariam tamen contra Gomezium, Cassadorū, & Sarnen. sequutus fuit Quintilianus Mandosius, ad regulas Cancellaria tom. 2. super d. regulam 29. de subrogandis colligantibus, quæst. 4. num. 4. fol. mibi 202. colum. 4. in impresfis Venetijs de anno 1606. ubi neruose defendit, quod immo talis dicatur intrusus ad effectum dictæ Regulæ: quod n. 5. & sequen. probat, negando stylum quem supponunt aduerfarij; nam ipse de contrario attestatur, taliter quod non solum non possit quis propria auctoritate, virtute exequutorialium possessionem capere sine partis citatione: verum ut nec etiam exequutor in illam immitere possit, nisi prævia intimatione exequutorialium, & post lapsum triginta dierum, à tempore intimationis, seruatisque quibusdam terminis ad dicendum contra: &c. & ad intentum allegat Felinum & Ioannem Paulum Pto. ac Sarnen. ergo si forma prædicta non fuerit seruata, intrusus dici debet, qui possessionem ceperit propria auctoritate, & sine partis citatione: & exinde comprehensus erit in dicta Regula.

6 Secundo quia certum est, quod possessio dicitur iniusta, & infecta, etiam si sit capta iudicis auctoritate, si iuris ordo non fuerit seruatus, nec alia requisita ab ipomet iure statuta, præcipuè si ex eo actu, tertius priuatur, *l. meminere, l. si quis in tantam, C. unde vi, l. extat, ff. quod metus causa*, cum aliis adductis per Mandosium ubi proxime.

7 Quæ doctrina extenditur, & habet locum etiam si possessor, cui ablata fuit possessio, intrusus fuisset; ut probatur in l. i. §. qui à me, ff. de vi, & vi armata, & patet ex textu in cap. licet Episcopus, 28. ibi, *Illum tamen cui contulerit, non debet te non vocato (cui tibi forsitan ius possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem, &c. de praben. in 6.* & latè tradit Tiraquellus plura (more solito) ad intentum colligens, in l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 337. C. de reuocandis donationibus, quibus iunge Gonzalez ad regulam 8. glosa 15. §. 1. num. 40. & Thom. Sanchez in præcepta Decalogi lib. 2. num. 12.

8 Et ratio est, quia nullus amoueri debet à sua possessione sine citatione, & actu iudiciali, etiam si sit prædo, ut aduertit Menochius, alios referens, in trat. de recuperanda possessione, remedio 1. n. 111. diffusè Parisius de resignationibus benef. tom. 2. lib. 1. q. 10. à num. 10. cum sequen. qui adducit varias rationes, & argumenta dictam conclusionem confirmantia, & ita tenuit Rota in Gerunden. Capellania, 13. Februarij 1595. coram Mantica, quæ habetur in eius impressis decis. 309. num. 4. & in alia Brachaven. Archidiaconatus, 31. Martij 1628. coram Cocino Decano, prout testatur Barbofa, qui amplectitur hanc ampliationem, in collect. ad textum in d. cap. licet Episcopus, de praben. in 6. num. 8. Ergo qui obtinuerit possessionem sine citatione partis aduersæ, etiam virtute exequutorialium, erit intrusus ad effectum dictæ Regulæ, prout annotauimus supra, q. 3. num. 11. in fine.

9 Tertio probatur, nam negari non potest, intrusum esse qui mittitur in possessionem beneficij auctoritate Superioris de facto spoliantis, & iuris ordine non seruato, ut patet ex his quæ diximus supra, q. 3. n. 11. & 12. & tradit Mandosius in d. q. 4. num. 7. Sed ingrediens possessionem, etiam cum exequutorialibus, sine citatione, vel illorum intimatione facta aduersario, ipsum de facto spoliat; ergo intrusionem incurrit, ac per consequens exclusus manet ad effectum dictæ Regulæ de subrogandis collitigantibus.

10 Hæc sunt fundamenta pro vtraque parte ponderata, & alia penes ipsos Doctores adducta: Illorum tamen contrarietas distinctionis fœdere componenda venit. Aut enim possessio fuit violenta, vel non; in primo casu erit intrusus & comprehensus in d. Regula, qui violenter se ingesserit in possessionem virtute exequutorialium, sine intimatione, vel citatione partis aduersæ: & in hunc sensum intelligitur & procedit

secunda opinio; secus verò si non fuerit violenta possessio, quia tunc non erit intrusus, & exinde poterit se iuuare beneficio dictæ Regulæ de subrogandis collitigantibus, cuius exceptio non ligabit eo in casu talem apprehendentem possessionem non violentam, in vim exequutorialium, sine ipsorum intimatione, vel citatione: & iuxta hunc intellectum locum habet prima opinio.

Quæ distinctio comprobatur ex his quæ tradit Milis in repertorio, verbo, Exequutionem sententiæ, pag. mihi 153. in impressis Francofurti, de anno 1572. vbi ita ait, Exequutionem sententiæ si pars fecit auctoritate propria, ingrediendo possessionem sine exequutore; potest conueniri interdicto Vnde vis non tamen priuatur iure suo, si nullam violentiam commisit: not. Ro. conf. 411. vers. sed pone, &c.

Quam distinctionem etiam amplectitur 12 Castadorus decis. 6. num. 6. sub tit. de causa possessionis, & proprietatis, per hæc verba: Quod proculdubio procedit, quando vacua apprehenditur possessio; quia etiam quando plena, dummodo sine violentia, non attendatur, &c.

Et est de mente Rotæ decis. 10. alias 417. & vltima, sub tit. de causa possessionis & proprietatis, in nouis, vbi num. 2. vers. sed pone, circa medium, ita ait: Cum igitur terminatum sit possessorium per sententiam partibus presentibus, quæ transiit in rem iudicatam, forte non multum peccauit, si intrauit possessionem, de facto per suum aduersarium occupatam sine exequutore, absque tamen violentia, &c. & statim num. 3. proseguitur, in vers. At in nostro casu sententiam pro se habuit, quæ in rem transiit iudicatam, & sine violentia (ut ponebatur in facto) possessionem apprehendit, & forte vacuam: quid ergo mali fecit, nisi quod sine exequutore intrauit, &c.

Et tandem Mandosius non videtur recedere à prædicta distinctione: nam in d. q. 4. num. 7. postquam reprobaui primam opinionem supra relata, & sequutus fuit secundam, ita concludit: Si quis opinionem Castadori & Sarmen. sequi voluerit, illam limitare poterit, procedere tantum in possessione non violenta, secus autem in violenta; prout ibi innuere videtur Castadorus, &c.

Ex quibus ad prædictum dubium in initio propositum concludendum est, quod obtinens possessionem non violentam, vigore exequutorialium sine intimatione, vel citatione partis condemnatæ, non erit intrusus ad effectum Regulæ de subrogandis collitigantibus; secus autem si violenter illam fuerit consequutus, quia tunc erit saltem

saltem largo modo intrusus, quod sufficit, ne ei subrogatio concedi debeat, obstante exceptione intrusionis, de qua ibidem: & ad intentum vide quæ annotabimus in sequenti questione.

QVÆSTIO XXII.

Intrusus an dicatur quoad Regulam Cancellariæ de subrogandis collitigantibus, qui à principio litis se in Beneficio intrusit, sed illa pendente desit intrusus esse.

S V M M A R I V M.

Subrogatio gratiosa non debet dari ei, qui à principio litis se in beneficio intrusit, licet postea lite pendente desinat esse intrusus, n. 1. & sequen.

Sed contrarium est verius, n. 5. & sequen.

Qualitas semel posita in dispositione si fuerit acquisita, impletur, & ei satisfi licet postea cesset, num. 2. & 3.

Quod intellige ut n. 9.

Intrusus ad effectum regulæ de subrogandis collitigantibus, dicitur ille, qui à principio litis se in beneficio intrusit, licet postea purgauerit intrusionem, n. 2.

Sed contrarium est verius, n. 5. & sequen.

Delegatus Pontificis ut aliquis esse possit, sufficit quod obtineat dignitatem tempore commissionis, licet ea careat, tempore presentationis, n. 3.

Canonicus, vel Dignitas, cui commissa fuit causa per Sedem Apostolicam, si post acceptationem literarum desinat esse Canonicus, potest nihilominus Iudex esse, & causam terminare, n. 4.

Intrusio cessat ad effectum Regulæ, Cancellariæ de subrogandis collitigantibus, in eo, qui in initio litis fuit intrusus, si lite pendente intrusionem purgauerit, n. 5.

Qualitas adiuncta verbo, vel participio, intelligitur secundum tempus verbi, vel participij, n. 6.

Quod extendit ut etiam debeat verificari actu, & non habitu, n. 7. & 10.

Regula 8. Cancellariæ requirens vacationem beneficij, verificari debet de tempore ipsius verbi, Vacationis, in illa contenti, n. 7.

Intrusio requisita in Regula de subrogandis collitigantibus, verificari debet actu, quando facienda est subrogatio, n. 8.

Regula de subrogandis collitigantibus tunc ha-

bet locum, quando vnus ex litigantibus cedit, vel decedit, n. 8.

Qualitas semel posita, & acquisita, tunc adimplet dispositionem, quando ex tali actu vel ex ipsamet qualitate inducitur fauor, & utilitas; secus autem quando agitur de damno, & odio, n. 9.

Statutum si requirat aliquam qualitatem, necesse est, quod verificetur de tempore præsentis, non habito respectu ad præteritum, num. 10.



ANC quæstionem mouet Ludouicus Gomezus in commentarijs ad regulam Cancellariæ, de subrogandis collitigantibus, q. 18.

in qua arguit primò, quod in casu supposito dubij non debeat dari subrogatio; auctoritate Glossæ (quam notabilem appellat) in cap. statutum, verbo, Canonici, de rescriptis in 6. Ex qua probatur, quod qualitas semel posita, & acquisita, implet dispositionem; licet postea cesset; ex qua doctrina Glossæ infert Gomezus vbi proximè, alia fundamenta, quibus probari videtur dicta conclusio, & ex eis colligitur, quod ad effectum dictæ Regulæ de subrogandis collitigantibus, dici debeat intrusus, qui à principio litis se in beneficio intrusit, licet illa pendente intrusionem purgauerit.

Et fundamentis ab ipso ponderatis addi potest, quod ad hoc ut quis possit esse Delegatus Pontificis, sufficit quod obtineat Canonicatum vel Dignitatem, tempore commissionis, licet illo, vel illa careat tempore presentationis; ut accuratè, & copiosè docet Gratianus tom. 1. disceptat. forens. cap. 92. & post Paulum de Castro conf. 425. ad Primum, colum. 4. Gigantem de pension. quæst. 22. n. 19. Flaminium Parisium de resignationibus beneficiorum, lib. 4. q. 1. n. 17. & Cardinal. Tuschum tom. 2. lit. D. conclus. 145. n. 15. tradit Barbofa in trat. de Canonicis & Dignitatibus, cap. 19. n. 6. vbi n. 7. varias rationes adducit, probantes dictam conclusionem; ergo similiter in nostro casu primum tempus inspiciendum est quoad dictam Regulam, & non secundum, ut intrusio locum habeat.

Et Confirmatur ex eadem ratione, nam si Canonicus, vel Dignitas, cui per Sedem Apostolicam commissa fuit causa, post acceptationem literarum desinat esse Canonicus, vel Dignitas, potest nihilominus Iudex esse, & causam terminare, prout declarauit sacra Congregatio Concilij, teste Garcia de beneficijs, p. 2. cap. 2. n. 351. & cum Felino probant Marchesan. de commiss. p. 1. cap. 6. n. 66. pag. 253. Paris. de resignat. lib. 1.

q. 11. num. 9. & 14. in fine, cum aliis pluribus relatis à Barbosa in d. cap. 19. num. 8. ex ea nimirum ratione, quia sufficit, quod qualitas à principio requisita tunc verificata existat, licet postea cesset; ergo eodem modo in casu proposito dubij sufficit intrusio à principio, licet postea purgata remaneat.

Aduertendum tamen est pro vero intellectu huius ultimæ instantiæ, quod copiosè docet Barbosa ad eius declarationem in d. cap. 19. num. 8. vbi latè explicat ipsius veritatem & illius iuridicam praxim, in qua explananda non immeror, cum sit extra nostrum institutum, & ibidem videre poteris.

5 Prædictis tamen non obstantibus dicendum est, quod ad effectum dictæ Regulæ de subrogandis collitigantibus, cessat intrusio in eo, qui in initio litis intrusionem incurrerat; si lite pendente desierit esse intrusus.

6 Et ratio est, quia qualitas adiuncta verbo, vel participio, intelligitur secundum tempus verbi, vel participij: l. in delictis, §. si extraneus, de noxal. action. l. Titius, ff. de testam. militari, l. ex facto, ff. de vulgari, & pupillari, cap. si eo tempore, de rescript. in 6. cum aliis pluribus, & tradunt Cardinalis Tuschus tom. 6. lit. 2. concl. 9. Paris. de rescript. lib. 2. q. 11. num. 10. & communiter Doctores, & in terminis Regulæ 8. Cancellaria, Gonzalez glos. 43. num. 143. vbi probat, quod verbum, Vacationis, in d. regula 8. adiectum, intelligi, & regulari debet ad tempus ipsius verbi. Et hoc in tantum esse verum, vt sit necessarium, quod qualitas debeat verificari de tempore verbi, non solum habitu tantum, sed etiam actu, verè, & realiter: vt declarauit Rota in Placentina Canonatus 3. Iunij 1613. coram Pirouano, & habetur in recentioribus, p. 1. tom. 2. decis. 496. num. 2. vbi alia plures decisiones allegantur, idem probantes.

7 Vnde cum dicta Regula de subrogandis collitigantibus, disponat, quod subrogatio non debeat concedi intruso, præcisè intelligenda est de intruso eo tempore, quo facienda est dicta subrogatio: sed in principio litis dari non potest; ergo verificari debet, quando subrogatio exequenda venit: sed tunc habet effectum quando cedit, vel decedit vnus ex litigantibus, vt diximus supra, q. 20. & patet ex verbis dictæ Regulæ: ergo qualitas intrusionis ex illo tunc verificanda est, non vero ex initio litis; & ideo dispositio Regulæ non comprehendit illud tempus. Ex quibus hanc sententiam ita teneat Ludouicus Gomezius vbi supra, in

8 Vnde cum dicta Regula de subrogandis collitigantibus, disponat, quod subrogatio non debeat concedi intruso, præcisè intelligenda est de intruso eo tempore, quo facienda est dicta subrogatio: sed in principio litis dari non potest; ergo verificari debet, quando subrogatio exequenda venit: sed tunc habet effectum quando cedit, vel decedit vnus ex litigantibus, vt diximus supra, q. 20. & patet ex verbis dictæ Regulæ: ergo qualitas intrusionis ex illo tunc verificanda est, non vero ex initio litis; & ideo dispositio Regulæ non comprehendit illud tempus. Ex quibus hanc sententiam ita teneat Ludouicus Gomezius vbi supra, in

d. q. 18. & Gigas in Epitome de intrusio, n. 82. vers. circa secundum, an Regula prædicta, &c. & facit doctrina Lotterij de re benef. p. 1. lib. 2. q. 20. qui postquam, num. 82. dixit, quod ad hoc vt prædicta Regula operetur, debeat intelligi de vero intruso: postea n. 85. ita ait: Tamen ad istum effectum non id duntaxat inspicitur, sed an potuerit vitium huiusmodi purgari, aut de iure; quia superuenisset nouus titulus, cum quo potuisset intrusus causam possessionis sibi mutare: Ruin. ibidem, num. 4. aut de facto; quia is qui petit subrogari ante obitum collitigantis ab ea intrusione destitisset; Regula enim considerat intrusionem, tempore subrogationis petita, vt ad eam notant Sarnen q. 18. Gigas loco præcitato, num. 82. Rebuf. glos. 4. n. 3. & alij passim, Seraph. decis. 1165. n. 6. ad finem, vers. & tollit omnem difficultatem, &c. Hæc Lotterius: ergo aperte constat ex mente Rotæ, & prædictorum Doctorum, quod inspicendum est secundum tempus, & non primum.

Nec obstant argumenta quæ in contrarium adduximus supra, à num. 1. vsque ad 5. quibus breuiter respondendum est cum Gomezio in d. q. 18. in fine, videlicet, quod id quod diximus, nempe qualitatem semel positam adimplere dispositionem, intelligendum esse procedere, quando ex tali actu, siue ex ipsamet qualitate fauor, & vtilitas inducitur; vt patet in casibus in quibus prædicta Glossa & iura superius allegata, n. 2. loquuntur: secus autem quando agitur de damno, & odio; quia tunc qualitas præiudicialis, & nocibilis (vt in casu proposito quæstionis) requiritur de tempore actus, vt in l. in delictis, ff. de noxal. action. & ex auctoritate Bartoli probat Gomezius: quod etiam vnico verbo insinuarè videtur Gratianus tom. 3. discept. forens. cap. 554. n. 14.

Et ad corroborationem omnium supra dictorum, omnino videbis eundem Gratianum, tom. 5. cap. 976. vbi disputat: quod si statutum requirat aliquam qualitatem veluti quod ad Collegium non admittantur Ciues nati ex obscuris parentibus; & ex variis fundamentis resoluit, quod ad eum effectum considerari debet tempus præfens non habito respectu ad præteritum; & post aliqua argumenta, num. 17. id probat ex eo, quia qualitas adiuncta verbo, debet intelligi secundum tempus verbi cui adiungitur, ex dicta l. in delictis 4. §. si extraneus, de noxal. action.

Ex quibus in præsentis dubio concludendum est, quod ad effectum dictæ Regulæ de subrogandis collitigantibus, dici non debet

debet intrusus, qui à principio litis se in beneficio intrusit, si illa pendente, & tempore subrogationis iam intrusionem purgauerat.

QVÆSTIO XXIII.

Intrusus an dicatur, in terminis Regulæ de subrogandis collitigantibus, qui spirituali possessioni se ingessit, citra tamen fructuum perceptionem, & temporalem possessionem.

SVMMARIVM.

Intrusus non est ad effectum Regulæ de subrogandis collitigantibus, qui se ingessit spirituali possessioni, non tamen temporali, & citra fructuum perceptionem. n. 1.

Regula de subrogandis collitigantibus, excludens intrusos, intelligi debet de vero, & effectuali intruso; non autem de quasi intruso, n. 2. & 5.

Intrusus non est in beneficio, existens in antiquissima illius possessione, nec qui titulum habet ab eo, qui ipsum dare potest, licet de eius validitate disputari valeat. n. 3. & 4.

Intrusus est ille, qui absque titulo eius qui dare potest, obinet beneficium, sed non è contra. num. 4.

INTRVSVM non esse in terminis Regulæ de subrogandis collitigantibus, qui citra fructuum perceptionem, spirituali possessioni, non tamen temporali, se ingessit, breuiter resoluendum est: ex ea nimirum ratione, quia cum dicta Regula intelligi debeat de vero, & effectuali intruso, vt diximus supra, in quæstione antecedenti, num. 8. & 9. Exinde sequitur, quod cum ille qui se ingesserit spirituali possessioni, ad summum dici possit quasi intrusus, fatendum est, non esse comprehensum in prædicta Regula, quæ loquitur de vero & actuali intruso: & ita hanc sententiam tenetur Gigas in Epitome de intrusio, n. 69. vers. & cum Regula prædicta, vsque ad 78.

3 Sicut nec comprehenditur in dicta Regula qui est in antiquissima possessione, vt latè diximus supra, q. 10. nec qui titulum habet ab eo, qui ipsum dare potest, licet de illius tituli validitate disputari valeat: Hi namque cum propriè intrusi dici non

possint, vt probant Felinus in cap. in nostra, corollario 2. num. 12. vers. & quod habens, de rescriptis, Parisius consil. 125. incipient. an 4 collatio, num. 25. volum. 4. & declarauit Rota in antiquis, decis. 13. alias 410. sub tit. de causa possessionis, & proprietatis, quæ ita ait: Nota quod intrusus est ille, qui absque titulo eius qui dare potest, tenet beneficium, & non ille qui ab alio habet titulum, qui dare potest, licet de ipsius prouisi, vel tenentis titulum validitate disputetur, aut alias dubitetur. Hoc vult Innocentius in cap. nihil est, in magna Glossa, circa medium, de electione, & ibidem Compost. in Glossa Pone; Et sic intrusio opponitur Canonico ingressui, &c. Hæc Rota.

Et sequitur exinde, dictam Regulam illos nullatenus afficere, tanquam non veros, sed quasi intrusos; & ex eadem ratione nec illum qui se in spirituali possessione ingessit, vt latè resoluit Gigas vbi supra: quamuis circa alios effectus dubitari possit, an tale obstaculum aliquid operari valeret, vt ex quæstionibus infra decidendis apparebit.

QVÆSTIO XXIV.

Intrusus quis dicatur ad effectum Regulæ de Triennali, quæ disponit, triennalem possessorem non molestandum; dummodo non se intruserit in beneficio reseruatò, generali reseruatione in Corpore iuris clausa.

SVMMARIVM.

Intrusi in beneficijs non possunt se innare Regula de Triennali, n. 1.

Intrusus ad effectum Regulæ de Triennali, solum considerari potest ex tribus modis. num. 2.

Titulum qui nō habet verum, vel presumptum in beneficio, est intrusus; & exclusus quoad Regulam de Triennali. n. 3.

Titulum Beneficij si quis obineat ab eo, qui non habet potestatem conferendi, si se ingerat in eo, est intrusus, nec potest se innare Regulam de Triennali. n. 3. & 7.

Regula de Triennali excludit intrusos in beneficijs, & quomodo talis intrusio incurrat. num. 3.

Simoniacè qui à Papa obtinuerit beneficium, si in eo se ingerat, est intrusus, nec ei proficit

ficat Regula de Triennali, sicut nec prouiso de beneficio reseruato, reseruatione in Corpore iuris clausa, n. 4.

Regula de Triennali, excludens intrusos, non afficit omnes intrusos, sed illos tantum, qui verè & propriè tales fuerint, num. 4. & 5. & 8.

Occupans beneficium sine titulo, & colore, est intrusus, & exclusus quoad Regulam, de Triennali, n. 6.

Regula de Triennali excipiens intrusos solum habet locum in tribus speciebus intrusionis, non verò in aliis, n. 8.

Dispositio pœnalis restringi debet, n. 8.



D intellectum propositæ quæstionis supponendum est, diuersimodè Doctores explicare, quis verus intrusus dicatur ad effectum Regulæ de Triennali, quæ disponit non posse intrusos ea se iuuare, vt patet ex ipsius verbis, ibi, *Dummodo in beneficiis huiusmodi se non intruserint* &c. Ex quibus verbis clarè constat, intrusum esse exclusum per dictam Regulam, vt latè tradit Lotterius de re beneficiari, p. 2. q. 29. à n. 120. & 124. cum sequen. vbi plures Rotæ decisiones allegat, sed dubium est, an omnes intrusi comprehendantur.

2 Primò enim Ludouicus Gomezius in commentariis ad dictam regulam de Triennali, q. 47. præmisso priùs quis dicatur intrusus de iure communi (de quo latè diximus supra, q. 1. & sequen.) in vers. & ista omnia de plano procedunt, concludit, quod ad effectum dictæ Regulæ solum tribus modis aliquis intrusus dici potest.

3 Primò, qui non habet titulum verum, vel præsumptum, de quo supra, q. 1. n. 2. & sequen. Secundò, qui habet titulum, sed non ab eo, qui potestatem habet conferendi; iste namque omnino caret titulo colorato, vt lato calamo diximus supra, q. 3. Tertio, qui altero ex duobus modis in d. regula exceptis, obtinuit sibi de beneficio prouideri, etiam si titulum adeptus fuerit ab eo, qui in radice conferre potuit, de quo supra, q. 2. n. 16. & 17.

4 Et primum casum exemplificat in eo, qui per simoniam beneficium à Papa consequutus fuit, de quo copiosè diximus supra, q. 9. Secundum verò in eo qui prouisus fuit de beneficio reseruato reseruatione in Corpore iuris clausa, non facta mentione illius, sed in eo se intrusit, de quo supra, q. 2. n. 18. & 24. cum sequen.

5 Tandem in fine concludit Gomezius, quod quidquid sit de aliis speciebus intrusionis, quoad diuersos effectus; respectu

tamen dictæ Regulæ nullus alius dicitur intrusus præter illum qui intrusionem incurerat ex aliquibus ex tribus modis superiùs enumeratis: Et addit procedere secundum intellectum Rotæ. Et exinde asserit, non bene sensisse Decium *cons. 121. colum. vltima, num. 4. in primo volumine, & Casaneum cons. 20. colum. 7. n. 36. tenentes in terminis dictæ Regulæ, intrusum dici eum, qui se intruserit in beneficium aliquo ex modis supra relatis, q. 2. eosque arguit & reprehendit tanquam non versatos in Curia Romana, nec in Rotæ observationibus; & ideo discordant in modis, in quibus intrusio incurratur ad effectum dictæ Regulæ de Triennali, ne intrusus ea se possit iuuare.*

Sed profectò; nescio in quo Decius debuit à Gomezio reprehendi; si enim rectè perpendatur, potius adhaeret ipsius opinioni, vt aduertit Gigas in epitome de intruso, n. 84. vers. hac sunt quæ scribit: vbi defendendo Decium, ait, cordatè loquutum fuisse respectu prædictæ Regulæ, & exinde non mereri à Gomezio reprehendi. Primo namque docuit Decius, intrusum dici quoad effectum dictæ Regulæ, qui sine titulo, aut colore, propria auctoritate beneficium occupauit, & ad intentum allegat textum in cap. ad aures, de excessibus Prælatorum, & in cap. eum qui, de præbendis in 6. & nos diximus supra, q. 3. n. 11. & 12. & istum casum admittit Gomezius quoad dictam Regulam, ibi: *Primo dicitur intrusus, omnis ille, qui non habet titulum verum, vel præsumptum: ergo non contradicit Decius, immò conuenit eum eo.*

Secundo etiam idem Decius notat, intrusum illum, qui titulum habet, vel colorem, sed non canonicum ex defectu potestatis in conferente: quod probat ex textu in cap. cura diuersitatem, de concessione præbende, de quo nos itidem diximus supra, quæst. 3. n. 3. & seqq. Et hunc modum intrusionis ad effectum dictæ Regulæ etiam approbavit Gomezius ibidem per hæc verba: *Secundo dicitur intrusus ille, qui habet titulum, sed non ab eo, qui habet potestatem conferendi, qui nullo modo dicitur habere titulum coloratum secundum Doctores superiùs allegatos, &c. Ergo Decius idem proficitur, ac Gomezius: immeritò ergo ait Gigas vbi supra, reprehenditur.*

Sed re bene, & maturè inspecta, optimè tenet Gomezius contra Decium, & Casaneum, qui dixerunt in quinque saltem modis posse aliquem esse intrusum ad effectum dictæ Regulæ; nam solum ex tribus supra relatis id fieri potest, iuxta sty-

lum, & praxim Rotæ, de qua testatur Gomezius, quæ fundatur in eo, quia cum sit dispositio pœnalis, ad excludendum intrusos, sequitur non debere illam Regulam comprehendere omnes species intrusionis, de quibus mentionem fecimus supra, q. 2. & 3. sed eas tantum, quæ verè, & propriè constituunt aliquem in esse formali intrusi, vt sunt illi de quibus diximus supra, n. 2. & sequen. argumento text. in l. factum cuique, §. in pœnalibus, vbi communiter Doctores, ff. de regulis iuris, & in cap. in pœnis, eodem tit. lib. 6. cum vulgatis.

9 Ex quibus concludendum est, solum illum comprehensum esse in regula de Triennali, qui verè, & propriè fuerit intrusus, vt in casibus supra dictis, non verò illos, qui incidunt in aliquam speciem ex enumeratis supra, q. 1. & 2. si per triennium pacificè possideant, quamuis aliàs. quoad diuersos iuris effectus intrusi dici possint, de quibus latè egimus supra q. 8. per totam, & ideo exclusio intrusi in prædicta Regula contenta, solum operabitur in intrusis ex tribus modis in initio adductis, vt optimè aduertit Gomezius ad dictam regulam de Triennali, q. 47. & 48.

QVÆSTIO XXV.

An intrusus dicatur Beneficiarius, & veniat appellatione Beneficiati, ad effectum Regulæ Cancellariæ de concurrentibus super beneficio iuxta qualitatem, ita vt duobus in illo concurrentibus, si vnus sit in alio beneficio intrusus, excludi debeat, tanquam beneficium habens.

S V M M A R I V M.

Regula 16. Cancellariæ de concurrentibus &c. disponit, vt concurrentibus duobus ad beneficium, præferri debeat, qui habuerit qualitates in illa expressas. n. 1.

Beneficiatus si concurrat cum non Beneficiato præferendus est non beneficiatus, ad terminos regulæ Cancellariæ de concurrentibus &c. n. 2. & 12.

Intrusus in beneficio non est exclusus ad effectum Regulæ 16. de concurrent. &c. n. 3. & sequen.

Tract. de Intrusione.

Sed contraria sententia est verior, & tenenda, n. 6. & sequen.

Beneficiatus verus dicitur ille, qui titulum canonicum, & legitimum habuerit, non verò alius. n. 3.

Beneficium Ecclesiasticum obtineri non potest sine canonica institutione, n. 4.

Intrusus in beneficio non habet canonicum titulum. n. 4.

Intrusus in beneficio eo priuandus est, ita vt si de facto spoliatur, restitui non debeat. num. 5.

Verbum, Beneficiatus, contentum in regula Cancellariæ de concurrentibus &c. intelligi debet, de omni obtinente beneficium, tam de facto, quam de iure, si in illius possessione existat. n. 6. & 7.

Papa, si reseruauerit beneficia, quæ obtinet Titius, censetur reseruasse omnia obtenta à Titio, tam de facto quam de iure, num. 7. & 8.

Beneficiatus dici debet obtinens beneficium tam de facto quam de iure, si in illius possessione existat, n. 8. & 9.

Quod intellige vt n. 12.

Capellanus (ex communi vsu loquendi) idem est quod Presbyter. n. 9.

Vsus communis loquendi præferri debet proprietati verborum. n. 9.

Beneficium obtinens cum iusto, & legitimo titulo, exclusus est in regula 16. de concurrentibus &c. sicut & etiam intrusus, n. 10. & 12.

Intrusus in beneficio non debet esse melioris conditionis, quam qui legitimum, & canonicum titulum habeat, n. 10.

Regula Cancellariæ 16. de concurrentibus &c. adiuuata fuit, vt prouideatur indigentia pauperum Clericorum, n. 11. & 12.

Beneficiatus verus licet de iure dici non possit, nisi qui canonicum & legitimum titulum habet, ad effectum tamen Regulæ 16. de concurrentibus &c. erit omnis, qui de iure, vel de facto possideat beneficium, si ex eo fructus percipiat, n. 12.



CORPVS huius quæstionis re- ducitur ad verum intellectum clausulæ Regulæ Cancellariæ 16. de concurrentibus super beneficio secundum qualitatem, nam disponit vt concurrentibus duobus, vel tribus ad beneficia vacantia, vel vacatura præferri debeat, qui qualitatem, vel qualitates ibidem expressas habuerit: de quibus latè Quintilianus Mandosius in commentariis ad regulas Cancellariæ tom. 1. super dictam regulam de concurrentibus, quæ est 16. vbi inter alias qualitates vnâ enumerat, quæ ita ait:

Ac inter presentes, non beneficiati, beneficiatis, & similiter inter absentes, &c. in beneficiorum asequitione preferatur, &c.

- 2 Ex quibus verbis dubium insurgit, an si accidar, concurrere intrusum in alio beneficio, cum alio beneficium non habente, debeat excludi intrusus, tanquam alijs beneficiatus.
- 3 In quo dubio dicendum videtur, non debere excludi, cum ad eum effectum requiratur, quod verè sit beneficiatus, & talis reputatur, qui canonicum, & legitimum titulum habuerit, non verò alius, vt patet ex textu in cap. unico, de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruanda, in 6. vbi Glof. verbo, obtinendis, & verbo, vitiosus, & ex text. in cap. 1. de regulis iuris, eodem libro.
- 4 Ex quibus patet, quod beneficium Ecclesiasticum obtineri non potest sine canonica institutione, & tradunt Panormitanus in cap. Pastoralis, num. 27. de causa possessionis, & proprietatis, Boërius decis. 89. n. 1. & alij plures relati à Barb. in collect. ad d. cap. 1. de regulis iuris in 6. vbi adducit alia argumenta, eandem conclusionem probantia; sed intrusus in beneficio non habet canonicum, & legitimum titulum, vt probant Felinus in cap. in sinuatum, n. 5. & c. de simonia, & Menochius de recuperanda possessione, remedio 1. num. 135. quos refert Lotterius de re beneficiati, p. 2. lib. 3. q. 29. num. 123. Seraph. decis. 1498. num. 5. sed immo eo priuari debet, vt diximus supra, q. 1. num. 2. & 3. taliter quod si de facto spoliatur talis intrusus, restitui non valeat, vt cum Glof. & Ripa comprobatur Lotterius vbi proxime, num. 126. Ergo non impeditur concursus ad effectum dictæ Regulæ.
- 6 Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tuetur Mandosius vbi supra, in Commentariis ad dictam regulam, q. 39. n. 3. motus ex eo, quia cum dicta Regula vtratur verbo, Beneficiatus, in quo comprehensus remanet omnis obtinens beneficium Ecclesiasticum, siue de iure, siue de facto, si in illius possessione existat, vt declarauit Rota in antiquis decis. 8. alijs 273. sub titulo, de electione, per hæc verba:
- 7 Nota quod vbi Papa referuat beneficia, quæ obtinet Titius; & Titius de facto obtinet vnum beneficium, quo, ipso iure est priuatus, quia incompatibile reseruatione, ad illud beneficium quod obtinet de facto, videtur extendi: quia beneficiorum collatio ad Papam pertinet: ideo non mirum si per reseruationem, tale beneficium ad Papam sit deuolutum, cum ista verba, Beneficia, quæ obtinet Titius, sint verba ge-

neralia, & videntur intelligi, siue de iure, siue de facto; dum tamen sit in possessione; argumento legis, stipulatio ista, S. si quis forte, ff. de verborum obligationibus, &c.

Ex qua decisione colligitur, quod cum in casu propositi dubij talis intrusus obtineat de facto beneficium, in quo se intrusit, eiusque possessionem habeat, verbum illud regulæ, non beneficiatus, in eo verificari non potest, cum saltem beneficium possideat, & ex eo appellari debeat Beneficiatus, ac per consequens illum afficit, & ad intentum Mandosius allegat Archidiaconum in cap. si sententia, de sententia excommunicationis in 6. Cassadorum, & Sarnenquibus adde Decium in cap. sciscitatus in 4. notabili, de rescript. ergo beneficium obtinens, qui de facto, & absque iuris colore illud detinet, Beneficiatus dici debet, & exinde erit comprehensus in d. Regula.

Secundo; eandem opinionem probat Mandosius ex communi vsu loquendi; nam Beneficiatus dicitur obtinens beneficium tam de iure, quam de facto, si illud possideat: etiam sine iuris colore: & ad intentum ponderari possunt, quæ latè dixi in meo Pastoralis interuo. p. 3. voto 5. num. 111. & 12. vbi copiosè probaui, quod ex communi vsu & modo loquendi, idem est dicere Presbyter, quod Capellanus, & exinde locum habere illam iuris regulam, quod modus & vsus loquendi preferri debet verborum proprietati, ex his quæ tradit Gonzalez ad regulam 8. glof. 11. num. 68. & glof. 13. n. 62. cum alijs à me ibidem adductis, ergo talis intrusus, possidens beneficium erit comprehensus in d. Regula, de concurrentibus super benefico. &c.

Tertio, quia negari non potest, obtinens beneficium iusto, & canonico titulo, afficere dictam Regulam, ergo non debet esse melioris conditionis intrusus, quam verus & legitimus Beneficiatus: iuxta textum in cap. cum qui, vbi Gloffa, verbo, existat, de prabendis in 6. cum alijs iuribus.

Denique nam motiuum principale nostræ Regulæ fundatur in eo, ne vnus plura beneficia obtineat, & possideat, vt sic pauperum Clericorum indigentia prouideatur, quod quidem æqualiter verificatur in intruso possessore; nam retinendo beneficij possessionem percipit illius fructus, ac exinde quoad intentum iam illud afficit, nam consequitur ex possessione & perceptione fructuum omnes effectus veri Beneficiati, ergo motiuum Regulæ iam verificatur respectu Clerici concurrentis cum intruso, cum iste dum retinet beneficium fructus percipiat eodem prorsus modo, ac si concurreret

Curreret alius legitimus Beneficiatus, qui titulum canonicum haberet, ergo sicut iste est exclusus in dicta Regula, debet & etiam exclusus remanere intrusus ex eadem ratione, & ita hanc secundam opinionem verissimam, & tenendam iudico.

- 12 Ex qua resolutione patet responsum ad argumenta de quibus supra, num. 1. vsque ad 6. licet enim verò in rigore iuris verus Beneficiatus dici non possit qui canonicum titulum non habeat, ad effectum tamen dictæ Regulæ reputabitur talis, qui beneficium possideat, etiam de facto, si ex eo fructus percipiat, quia tunc locum habet motiuum Regulæ, vt scilicet Clericorum pauperum prouideatur: quod quidem verificatur in intruso percipiente fructus beneficij; nam quamuis titulum canonicum non habeat, eoque priuari possit: nihilominus tamen idem erit ad intentum, ac si legitimo & canonico titulo munitus remaneret, cum sibi imputari debeat, quod beneficium occupauerit, illudque intrusè possideat, & detineat, nec æquum reputari debet, vt de sua malicia commodum & utilitatem reportare mereatur, & ita iustissime excludi debet, ad terminos dictæ Regulæ de concurrentibus super beneficio, &c.

QVÆSTIO XXVI.

Intrusus an dicatur Tyrannus.

S V M M A R I V M.

- Tyrannus dicitur, qui in communi Republica, Ciuitate, vel Regno, non iure principatum occupat. n. 1. & 2. & 14.
- Dictio Tyrannus, Græca est, & significat Dominationem vnus ad proprium commodum. num. 1.
- Dictio, Tyrannus, vel Tyrannis, pro bono Principe aliquando sumi potest, proprie tamen intelligitur de eo, qui crudeliter abutitur dominatu. n. 2.
- Tyrannus dici potest aliquis ex parte Tituli, vel ex parte exercitij, n. 2.
- Tyrannus ex defectu Tituli ille est, qui electus à Republica, carente potestate eligendi, regit & gubernat, sèque in administratione, & regimine immiscet, & talis incidit in pœnam legis Iulie Maiestatis. n. 3.
- Tyrannus ex parte exercitij ille dicitur, qui licet iustum titulum habeat, exercet tamen opera tyrannica, tendentia ad proprium commodum, contra bonum commune. numer. 4.
- Intrusus in beneficio Ecclesiastico, Dignitatis Tract. de Intrusione.

te, vel Pralatura, dicitur Tyrannus. numer. 5.

Quod intellige vt n. 7.

Intrusus in beneficio, caret titulo canonico, & dicitur illius Tyrannus Possessor. n. 5.

Quod intellige vt n. 7.

Obtinens beneficium, sine canonica institutione non est verus illius Possessor. n. 6.

Definitio cui competit, competit etiam definitum. ibid.

Intrusus & Tyrannus, idem videntur innuere & significare. ibid.

Tyrannus, & intrusus, si fuerint spoliati, non debent restitui. n. 7.

Tyrannus proprie dicitur ille, qui se intrusit in beneficio, & Pralatura, habente exercitium & iurisdictionem respectu subditorum: secus verò si ea careat. n. 7.

Intrusus etiam si bene vtatur Pralatura, vel Dignitate, in qua se intrusit, dicitur Tyrannus. n. 8.

Bonus vsus non iustificat, quæ sita iniuste. num. 8.

Electus iniuste ad Dignitatem, licet ea bene vtatur, ex eo tamen talis electio non conualescit. n. 9.

Principio malo quæ inchoata sunt, difficile est vt bono exitu peragantur. ibid.

Prelatus intrusus, vel qui canonicum titulum habet, Tyrannus erit, si erga subditos tyrannice, & crudeliter se gerat. n. 10.

Quod extende tam ad Pralatos superiores, quam inferiores. n. 11.

Tyrannus dicitur, qui non iure dominatur, non solum in Regno, Ciuitate, vel Castro, sed etiam in alio loco inferiori, vbi cadat regimen. num. 11.

Tyrannis vt locum habeat, requiritur, quod regimen cadat per modum iurisdictionis, num. 12.

Prelatus habens aliquam coërcitionem in subditos, si sit intrusus in beneficio, & crudeliter in illos se gerat, non debet dici Tyrannus; poterit tamen puniri pœna legis, Si per impositionem, 11. C. de his quæ merus causa. n. 13.



Verum intellectum quæstionis propositæ sciendum est, proprie dici Tyrannum illum, qui in communi Republica, non iure dominatur; quodque etiam fieri potest in Ciuitate, vel Regno. Et notandum est, verbum, Tyrannus, seu Tyrannis, esse dictionem Græcam, & significare secundum Aristotelem lib. 4. politicorum, dominationem vnus ad proprium commodum, in damnum vniuersale.

Et quamuis dictio illa, Tyrannus, vel Tyrannis,

Tyrannis, aliquando pro bono Principe sumatur iuxta illud Virgilij:

Pars mihi pacis erat, dextram tetigisse Tyranni.

Vfus tamen obtinuit, vt pro eo tantum intelligatur, qui crudeliter abuteretur dominatu, & in Ciuitate, Regno, vel Prouincia non iure, sed violenter, & impunè principatum occuparet.

3 Et dupliciter considerari potest (loquimur de Tyranno manifesto) Primo modo, ex parte tituli; Secundo, ex parte exercitij.

Ex defectu tituli dicitur Tyrannus, quando Ciuitas, Respublica, vel Regnum quod inuaditur, seu occupatur, non habet ius eligendi Rectorem, seu Governatorem, aut supremum Principem, & aliquem eligit, virtutèque talis electionis, in illa, vel illo se ingerit pro Rectore, Principe, seu Governatore, & vt talis regit, & gubernat sine licentia, & auctoritate supremæ Potestatis; aut se intrudit in illis, cum sint libera, erit Tyrannus, & incurret pœnam legis Iulie Maiestatis ex leg. duodecim Tabularum, vt patet ex textu in l. 3. illo titulo; & ita probat Amilius Probus in *Miltiade*, per hæc verba: *Omnes habentur, & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua in illa Ciuitate, quæ libertate vsa est, &c.*

4 Ex parte autem exercitij Tyrannus propriè dici debet, qui licet iustum habeat titulum (& hoc respectu impropiè pro Tyranno qualificari debeat, vt in cap. *Neque enim, vers. nec tyrannica factionis* 14. q. 5.) si tamen opera tyrannica faciat, tendentia ad proprium sui ipsius commodum, contra bonum publicum & vtilitatem communem, erit Tyrannus.

5 Quibus sic breuiter constitutis; licet plura circa materiam dici possent, consultò tamen ea omitto, ne nos extra institutum diuertamur, & pro resolutione propositæ quæstionis sufficiant.

Dicendum est igitur, intrusum in beneficio Ecclesiastico, Dignitate, vel Prælatu- ra, iure optimo dici posse Tyrannum, cum diffinitio superius tradita num. 1. & 2. ei conueniat; videlicet quòd in illis non iure principatur; hoc est non canonicè, & secundum ius beneficium obrinet; iuxta textum in cap. *ex frequentibus, de institutionibus, cap. relatum* 21. *de iure patronatus, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 13. de reformatione*, & patet ex his quæ tradit

6 Barbof. in collect. ad cap. 1. *de regulis iuris* in 6. vbi varia argumenta & Doctores allegat, probantes, obtinentem beneficium sine canonica institutione, non esse verum

Beneficiatum, nec beneficij possessorem, sed intrusum; ergo non iure principatum tenere; quod constituit in esse Tyranni, ergo competit ei definitio, ac per consequens debet & etiam competere definitum: vt tradunt communiter Dialectici, & patet ex textu in l. 2. §. *appellata*, & ibi omnes Doctores, ff. *si certum petatur*.

7 Quæ quidem sententia videtur de mente Geminiani in cap. *Præsidentes, num. 4. vers. qui dicantur, de Hereticis* in 6. Nam cum ille textus loquatur de habentibus iurisdictionem de facto, illum exemplificat in Tyranno, & intruso, quasi quod idem sit secundum Geminianum, *Intrusus*, & *Tyrannus*; idemque etiam innuere videtur Ripa in *commentariis ad ius ciuile, in l. Naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquir. possess.* vbi num. 90. æquiparat intrusum, & Tyrannum ad effectum, vt si fuerint spoliati, restitui non debeant.

8 Hæc autem intelligenda sunt, & locum habent in Beneficiato intruso, habente exercitium, & iurisdictionem respectu subditorum, vel inferiorum cum potestate dominatiua; hinc namque propriè erunt Tyranni: alij verò qui illa careant, impropiè, & largo modo, quasi non iure principati seu iniusti occupatores, & detentores beneficiorum non debent appellari Tyranni, strictè loquendo.

9 Ex quibus prædicta conclusio ampliatur, vt procedat etiam si intrusus bene vtatur beneficio, Dignitate, vel Prælatu- ra, in quibus se intrusit, vt quia subditos bene tractat, & officium suum rectè exercet, quia adhuc dicitur tyrannus, iuxta textum in cap. *neque, 14. q. 5.* vbi S. Augustinus ait, *quod bonus vsus non iustificat iniuste quaesita. Nec Tyrannica factionis peruersitas laudabilis erit, si Regia clementia Tyrannus subditos tractet, &c.* & ex his verbis Augustini notat ibidem Glossa verbo, *laudabilis*, quod iniuste electus, licet bene vtatur Dignitate, per hoc Dignitas non conualescit; & patet ex textu in cap. *Principatus, 1. q. 1.* per hæc verba, *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiam si moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen inicitij sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, &c.* Ex quibus auctoritatibus deducitur, talem intrusum esse tyrannum, etiam si Prælatu- ra, seu Dignitate bene vtatur.

10 Secundo ampliatur, vt multo melius Prælatu- rus intrusus dici debet Tyrannus, si tyrannica opera exequatur: Quinimmo non solum intrusus, verum & etiam qui canonicè

canonicè obtinuit Prælatu- ram, & verus est Prælatu- rus, si erga suos subditos tyrannicè se gerat, ambo namque Tyranni nomen merentur, vt deciditur in *extrauaganti vnica* quæ incipit *Diuinis exemplis*, Ioanis XXII. *inter communes, sub titulo, de panis, in vers. secundo vero quantum ad subditos*, quæ ita ait: *Quantum ad subditos, erga quos non p. j. Prælati, vel Pastores peregit officium, quinimmo tanquam fur improbus, crudelisque Tyrannus, sub pallio charitatiui subsidij incusis terroribus, violentiis, & iniurijs illatis, dolosis inductionibus, & fraudibus exquisitis, veluti recurfor iniquus, extorsionibus eos intolerabilibus prægrauando &c.* Ex quo textu deducitur, Tyrannum dici Prælatum intrusum, vel non intrusum, si erga suos subditos tyrannicè, & crudeliter se gerat.

11 Tertiò supradicta resolutio ampliatur, & locum habet, non solum in superiori Prælatu- ra, veluti Episcopatu, vel alia suprema; verum & etiam in inferiori, habente iurisdictionem potestatiuam, seu dominatiuam, tam regularem, quàm secularem. Vnde Abbas Monasterij habentis dictam iurisdictionem, qui non iure principatur, sed est intrusus, dici etiam potest Tyrannus immo etiam si titulum canonicum habeat, si tyrannicè & crudeliter regit & gubernat, in eadem erit damnatione: Tyrannus enim non solum dicitur is qui non iure dominatur in Regno, Ciuitate, vel Castro, sed etiam qui in alio loco inferiori, vbi cadat regimen, & exercitium iurisdictionis dominatiuæ, eam impunè, & tyrannicè exercet; vt patet ex his quæ diximus supra.

12 Aduertendum tamen est, quod huc vsque dicta non procedunt in intruso in beneficio, Dignitate, & Prælatu- ra, quæ careat aliqua saltem iurisdictione dominatiua; tales namque, Beneficiatus, Dignitas, vel Prælatu- rus, tyranni dici non poterunt, nec incident in pœnas à iure statutas contra Tyrannos; Regula namque est, quod vbi cadit regimen, & iurisdictione dominatiua, ibi solum cadere potest Tyrannus, vt communiter tradunt Doctores; vt patet ex diffinitione superius tradita, n. 1. & 2. ergo si beneficium, Dignitas, seu Prælatu- ra non habeant aliquod regimen per modum iurisdictionis, ibidem Tyrannus fieri non dicitur, nec pœnæ & effectus illius locum habere poterunt.

13 Ex quo inferitur, quod si Beneficiatus, vel Prælatu- rus, haberent aliquam coërcitionem in subditos, ratione seruitij, ad terminos textus in cap. *cum contingat* 13. *de foro competenti*; non tamen iurisdictionem; si essent introfisi in beneficio, vel Prælatu- ra,

& tyrannicè se gessissent, non dicerentur Tyranni, quia tales intrusi non principantur, provt requiritur ad eum effectum, sed principanti famulantur, videlicet illi, qui regimen, & eam quasi iurisdictionem habet in illos subditos inferiores. Verum licet tyrannidem propriè non exercent, nec Tyranni appellari debeant, possunt tamen in subditos ratione officij timorem magnum incutere, & exercere, & tunc alia pœna puniri poterunt ex dispositione textus in l. *si per impressionem* 11. *C. de his quæ metus causa*, vbi deciditur, quod si per impressionem Officialis contractū celebrauerit, rescindi debeat, aliisque pœnis puniendus veniat, quod etiam decifum reperitur in lege *Hispana* 5. *tit. 5. partia* 5. vbi Gregorius Lopez *glos. 6.*

14 Ex quibus concludendum est, intrusum in beneficio, Dignitate, vel Prælatu- ra, tam superioribus, quàm inferioribus, in quibus iurisdictione dominatiua temporalis, vel spiritalis exercetur, esse tyrannum, quia iniuste, & tyrannicè, & non iure in illis principatur, & intruditur sine titulo, per vsurpationem & violentiam.

QVÆSTIO XXVII.

Quis dicatur intrusus toleratus, & non toleratus, ad effectum vt gesta per eum valeant, vel non.

S V M M A R I V M.

Intrusus toleratus est ille, qui ante sententiam declaratoriam intrusionis obtinet, & possidet beneficium; & non toleratus, qui iam per sententiam pro intruso est condemnatus, num. 1.

Sententia lata contra Prælatum notorium intrusum non præiudicat Ecclesie. n. 2.

Prælatus improbus, & criminosus, antequam per sententiam pro tali declaretur, dicitur toleratus. n. 3. & 5.

Prælatus Hæreticus occultus potest exercere suam iurisdictionem, etiam si sit inquisitus, quia ex eo solum irrogatur infamia facti, quæ non priuat ante sententiam. n. 4.

Infamia facti incurritur ex inquisitione delicti, quæ ante sententiam non priuat accusatum; post eam verò, si sit condemnatoria, incurritur infamia iuris. n. 4.

Prælatus qui incurrit infamiam facti, dicitur toleratus in Prælatu- ra; secus verò si incurrerit infamiam iuris. n. 5.

Intrusus qui sponte, & propria auctoritate se intrusit in beneficio, non est toleratus, ad effectum, ut gesta per eum valeant. n. 6.

Non entis nullae sunt qualitates. ibid.

Titulum beneficii qui habet, non potest propria auctoritate illud renunciare, in praedictum Ecclesiae. n. 7.

Intrusus qui propria auctoritate se intrusit in beneficio, potest ad libitum, illud renunciare, sine Superioris decreto vel assensu. num. 8.

Intrusus qui non à principio, sed ex post facto se intrusit retinendo beneficium, in quo nullum titulum coloratum habebat, non erit toleratus, si intrusio sit notoria, secus tamen si non fuerit notoria notorietate iuris, aut facti continui. n. 9.

Notorius intrusus, ipso iure est priuatus beneficio, taliter quod non indiget aliqua declaratione, & ideo non dicitur toleratus, ad effectum, ut gesta per eum valida sint. num. 10.

Intrusus toleratus erit ille, contra quem fuerit lata sententia, si ab ea legitime appellauit, pendente illo tempore appellationis; secus autem si fuerit deserta, vel non appellauerit, taliter quod transferit in rem iudicatam; tunc enim non erit toleratus, ad effectum ut gesta per eum valeant. n. 11.

Quod extendit etiam si ignoret, sententiam contra eum fuisse latam. n. 12.

Intrusus si ex dispositione iuris, vel ab ipso iure fuerit damnatus, taliter quod careat titulo, non dicitur toleratus. n. 13.

Hoc autem an habeat locum in Sacramentalibus, & alijs actibus eius generis, vide num. 14. & 15.

Pœna imposita ab ipso iure an statim incurratur; an vero iudicis sententia sit necessaria, anceps est questio. n. 15.

Intrusio si sit notoria in facto, inhabilitat intrusum, ne exercere, nec possidere valeat, & ideo non est toleratus, ut gesta per eum valida reputentur. n. 16.

Secus autem si non sit notoria, sed dubia. num. 17.

Sententia est necessaria in pœnis ipso iure incurrendis. n. 18.

Quod intellige in sententia declaratoria, non autem dispositiua. n. 19.



INTRVSVM toleratum esse illum, qui ante sententiam declaratoriam intrusionis obtinet, & possidet beneficium; & non toleratus, qui iam per sententiam est condemnatus, voluerunt plures Doctores, præsertim Antonius de Butrio in cap. nihil 44. de electione, num. 32. & sequen. de

quo videndus est Salgado de Regia protectione, p. 4. cap. 8. num. 321. vbi probat, quod sententia lata contra Prælatum intrusum, non præiudicat Ecclesie; quod ipse intelligit de intruso notorio; hoc est per sententiam; quia cum talis non sit toleratus, ex eo præiudicium generare non potest.

Huius autem conclusionis ratio defumi potest ex eo, quia improbus Prælatum, seu criminofus, toleratus dicitur ab Ecclesia, donec pro tali per sententiam fuerit declaratus, ut patet ex textu in cap. constitutus, de purgatione canonica, & in cap. Nonne, 8. q. 4. vbi Glossa verbo, sententia, plura ad intentum adducit, & ita tenet Archidiaconus in cap. præter hoc, §. ad hoc, num. 5. ad finem, vers. & nota quod ab Ecclesia, 32. distinct.

Fundamentum huius rationis colligi potest ex his, quæ cum pluribus notauimus in meo Pastoralis interno, 1. p. tract. 4. q. 5. à n. 6. cum sequen. vbi dixi quod Prælatum Hæreticum occultus potest exercere suam iurisdictionem, etiam si sit inquisitus, quia ex eo solum irrogatur aliqua infamia facti, quæ ante sententiam non priuat obtentis; post eam vero iam incurritur infamia iuris: textus in cap. omnipotens, de accusationibus, vbi Barbosa in eius collect. plures allegat: & n. 4. & sequen. latè agit de hoc articulo: Et ideo ex prima infamia scilicet ex inquisitione, toleratur Prælatum; non verò ex secunda: ergo ante sententiam declaratoriam intrusionis, toleratus dicitur intrusus; post illam verò non toleratus. Plura videre poteris ad intentum in dicto meo Pastoralis interno, in dicta q. 5. & penes Escobar à Corro de viroque foro, tom. 1. articulo 5. §. 20. casu 20. n. 336. pag. mihi 212. & penes Tondutum Sanlegerium in suis questionibus, & resolutionibus canonicis, & civilibus, lib. 1. cap. 44. ferè per totum, & copiosè apud Garciam de benef. §. p. cap. 4. à num. 329. cum pluribus sequen. & alios à me ibidem allegatos.

Hæc tamen licet ita se habeant: Verum ut magis distinctè procedamus, & huius dubij veritas pateat, pro maiori intelligentia distinguendum puto; videlicet quod aut quis propria auctoritate, & sponte se intrusit in beneficio, & tunc non dicitur toleratus ad effectum, ut gesta per eum robur habeant; quia cum de iure sit priuatus beneficio, caret titulo aliquo, quo se tueri valeat, & exinde non reperitur subiectum, supra quod cadat tolerantia, cum non entis nullæ sint qualitates, l. Pomponius, §. finali, ff. de acquirenda possessione, l. eius qui in provincia, vers. quoniam, ff. si certum petatur, cap.

c. ad dissoluendum, de desponsat. impuberum, cum vulgatis, Tiraquel. in tract. cessante causa, par. 1. num. 212. & de iure primogenitura, q. 55. n. 10. Cardin. Tuschius tom. 6. lit. 2. conclus. 6. & tradunt communiter Doctores.

7 Quod etiam probatur ex eo, nam qui titulum beneficii habet, non potest in præiudicium Ecclesie propria auctoritate illud renunciare, cap. quod in dubijs, cap. nisi cum pridem, cap. finali, de renunciatione, cum alijs pluribus; latè Garcia, alios referens in tract. de benefic. 11. part. cap. 3. §. 1. num. 219. & 223. cum sequentibus. Et tamen intrusus, qui propria auctoritate se intrusit, potest sine decreto vel assensu Superioris, ad libitum suæ voluntatis beneficium renunciare, ut cum Felino, Parisio, & alijs tradit Garcia vbi proximè in d. cap. 3. num. 250. & latè dicemus infra, q. 9. 2. Ergo ex eo fit, quia non est toleratus; aliàs non haberet facultatem renunciandi arbitrio suo: & ita videntur sentire Geminianus, & Præpositus in d. cap. præter hoc, §. ad hoc 32. distinctio, sub n. 9. & est etiam de mente Glossæ in d. cap. Nisi cum pridem, §. propter conscientiam, verbo, sed duntaxat, de renunciatione.

9 Aut verò non se intrusit à principio, sed ex post facto, retinendo beneficium, in quo nullum titulum legitimum, aut saltem coloratum habebat, & tunc si intrusio est notoria per notorietatem iuris, aut facti continui, de quo latè Barbosa in pastor. p. 3. allegat. 106. num. 24. & 25. & alij per me adducti in meo pastoralis interno, p. 1. tract. 1. q. 2. num. 11. veluti si sententia declaratoria intrusionis esset lata, ut cum Garcia & alijs tradit Barb. vbi proximè, alleg. 43. ferè per totam, & probat textus in l. furti, ff. de his qui notantur infamia, Caputaqu. decis. 90. infamia, p. 2. in eo casu non dicitur toleratus, ut patet ex textu in d. cap. præter hoc, §. attamen decessores nostri, ibi: Quos tales reuera esse constitit, 32. distinct. cap. vestra, §. ceterum, de cohabit. clericor. & notat Glossa in c. sicut, verbo, suspendatis, eodem titulo: de quo videndus est Barb. plures referens in Pastor. p. 2. allegat. 39. à num. 22. cum sequen. & ita defendunt Præpositus, & Cardinalis in d. §. ad hoc. Secus autem si intrusio non esset notoria per notorietatem iuris, aut facti, tunc enim toleratus dicitur iuxta ea quæ annotabimus infra, n. 11.

10 Et huius resolutionis ratio est: quia cum talis notorius intrusus, sit ipso iure priuatus beneficio, non est opus aliqua declaratione, vel denunciatione, ut pro non beneficiato habeatur & exinde non potest dici toleratus, sed immo exclusus, cum ab eo-

dem iure remotus existat; ut tradunt communiter DD. in d. cap. vestra, & Glossa in c. finali, verbo, proposito, illo titulo, de cohabit. clericor. & probat Archidiaconus in cap. Sacerdotes, 2. q. 7. Quæ quidem intelligenda veniunt iuxta ea, quæ statim dicemus in sequenti numero.

Notandum est tamen, quod si aliquis sit notorius intrusus ex eo, quod contra eum fuit lata sententia declaratoria intrusionis, à qua legitime fuit appellatus; tunc dicendum venit, quod pendente illo tempore appellationis, erit toleratus ad effectum, ut gesta per eum valeant, non obstante illa sententia; ex quo quia subiacebat appellationi, ut notat Glossa in cap. Pastoralis 53. §. nos itaque, verbo, excommunicatio secum trahat, in fine, vers. tamen si talis medio tempore, de appellationibus, & in d. cap. Nonne, verbo, sententia, 8. q. 4. vbi plura ad intentum allegantur, & diffusè Garcia in d. 5. p. cap. 4. num. 338.

Si autem talis intrusus non appellauit à sententia intrusionis, contra eum lata, vel fuerit deserta: in eo casu non erit toleratus, ut probat Glossa in cap. constitutus, verbo, condemnati, de purgatione canonica, & tradit Innocentius in cap. qualiter 2. super verbo, diminutione capitis, colum. vltima, de accusationibus, & Garcia vbi proximè, num. 339. Et ex hoc sequitur, quod gesta per talem intrusum non sunt alicuius momenti, in tantum ut procedat, etiam si ignoret sententiam contra se fuisse latam; ut probant Præpositus in d. §. ad hoc, n. 9. circa medium, Abbas in cap. eum qui, de praben. & Geminianus in cap. 1. §. dicebat Abbas, num. 7. vers. nota bonum textum, de priuilegiis in 6.

Secundò notandum est, quod si ex dispositione iuris, vel ab ipso iure intrusus fuerit damnatus de intrusione, taliter quod careat titulo, & possessione; tunc non dicitur toleratus, ad effectum, ut gesta per eum valida sint, ut probat Glossa in cap. dudum, el segundo, verbo, decepta, de electione, quia ipsum ius illum repellit, de quo latè Garcia in d. 5. p. cap. 4. à n. 328. vsque ad 338. & sequen.

14 Quod quidem in sacramentalibus, & alijs actibus eiusdem generis, an habeat locum; variant Doctores, & copiosè videre poteris apud Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 22. ferè per totam, præcipuè q. 3. à num. 21. cum pluribus sequen. & in meo Pastoralis interno, p. 2. tract. unico, quæst. 7. num. 16. & sequen.

15 Et hic incidit illa quæstio, an pœna imposita ipso iure, statim incurratur, an verò sententia Iudicis sit necessaria: de qua agitur

communiter Doctores, & videre poteris penes Menochium, & alios *infra* citandos, num. 18. & præcipue Tiraquel. in l. si unquam, verbo, reuertatur, C. de reuocand. donat. qui n. 410. cum Felino tenet, sententiam non esse necessariam, quando factum esset adeo notorium, quod non esset opus aliqua declaratione, vt in casu proxime dicendo.

16 In terminis autem intrusi distinguendum est, quod aut intrusio est notoria in facto, veluti si quis habens vnum beneficium Curatum, obrineat secundum etiam Curatum, & ambo in simul retineat, admittret, & ex eis fructus percipiat, tunc enim cum hoc sit notorium apud omnes, iuxta id quod dixi in meo Pastoralis interno, p. 1. tract. 1. q. 2. n. 11. non potest dici toleratus, obstante notorietate intrusionis omnibus notæ & manifestæ, quæ illum inhabilitat, ne exercere queat, & ita per ipsum gesta, erunt nulla & inualida, ac per consequens tolerantia non potest operari ad terminos dictæ Glossæ in dict. cap. dudum, verbo, deceptæ.

17 At vero si sententia non sit notoria ex ipso facto, tunc donec transferit in rem iudicariam, ita vt executioni demandari possit, talis intrusus dicitur toleratus in illo medio tempore, ad effectum, vt gesta per eum valida sint, & efficacia, & ita disputando firmant Ioannes Andreas in Reg. Mora, q. 1. de regulis iuris in 6. Cardinalis Alexander in d. §. ad hoc, n. 9. in fine.

18 Quod etiam probari potest argumento text. in cap. cum secundum, de hæreticis in 6. & faciunt quæ tradunt Menochius, de recuperanda possessione remedio 5. n. 68. & sequen. & Tiraquel. plures referens more solito, in l. si unquam, verbo, reuertatur, à n. 398. vsque ad 405. Cod. de reuoc. donat. & alij penes Barb. in collect. ad d. cap. cum secundum, qui à n. 4. vsque in finem, late agit de hoc articulo; in quo concludit Riccius in collectaneis decis. p. 2. collect. 303. qui postquam dixit requiri sententiam declaratoriam in penis ipso iure incurrendis, ita ait: Et quotiescunque reperies Doctores tradentes, in penis ipso iure incurfis non opus esse sententia, debes intelligere de sententia dispositiua non autem declaratoria, quæ semper requiritur, vide Gail. lib. 2. obseruat. 51. & c. hæc Riccius. Ex qua doctrina intelligenda sunt, quæ proxime diximus supra, num. 15. & seqq.

QVÆSTIO XXVIII.

Quis dicatur intrusus bonæ, vel malæ fidei.

S V M M A R I V M.

Intrusus mala fidei est ille, qui sciens nullum ius in beneficio habere, se in eo intrusit; si vero legitime credat, titulo canonico se esse munitum, erit bonæ fidei intrusus. n. 1. & 4. & 6. & 21.

Errans in facto si se intrusit in beneficio, erit illius possessor bonæ fidei. n. 2.

Error iustus pro veritate habetur. n. 2.

Conscientiam rei alienæ qui habet, existit in mala fide; qui vero iuste cogitat se esse dominum illius, erit in bona fide. n. 3.

Adultera non dicitur virgo, iuste existimans se esse nuptam cum viro alieno; secus si sciat non esse suum. n. 3.

Possessor bonæ fidei erit aliquis, quandiu ignorat alienum possidere; si vero sciat, erit mala fidei. n. 3.

Iusta ignorantia iuris, vel facti, aut pœna, excusat ab incurfione adulterij. n. 4.

Ignorantia inuincibilis iuris, vel facti, si non sit crassa, excusat ab incurfione censurarum, vel aliarum pœnarum. n. 5.

Ignorantia & bona fides liberant intrusum ab incurfione pœna intrusionis. n. 6.

Missus in possessionem prelaturæ auctoritate Superioris, quamuis aliàs esset intrusus, si existimat se talem non esse; dicitur bonæ fidei possessor. n. 7.

Administrans prelaturam auctoritate Iudicis, vel Superioris, habet titulum ab eo; & ita est bonæ fidei possessor. n. 7.

Iuste possidet qui auctoritate Iudicis possidet. num. 7.

Iudex qui non seruato iuris ordine, beneficium contulit, nullum ius tribuit, & ideo si Beneficiatus possessionem acquirat in vim talis collationis, idem efficit, ac si propria auctoritate illam consequutus fuisset. n. 8.

Titulus putatiuus & inualidus beneficij causatus non ex iure, sed ex facti ignorantia, generat bonam fidem. n. 9.

Bona fides probatur ex ipsomet titulo putatiuo legitimo, & eo probato, probatur & illa. num. 10.

Titulus rei præstat bonam fidem in possidente. num. 10.

Intrusus mala fidei dicitur ille, qui missus fuit in possessionem sine auctoritate Superioris, & iuris ordine non seruato. n. 11.

Auctoritas Superioris, & possessio virtute ipsius

ipsius acquisita, requiritur, vt quis beneficium legitime administrare possit. n. 11.

Titulus si est reprobatus, taliter quod ius resistat, non præbet iustam causam prescriptionis, non obstante lapsu cuiuscunque temporis. n. 12.

Beneficium Ecclesiasticum possideri non potest sine auctoritate Superioris, & aliter possidens dicitur mala fidei possessor. n. 13.

Possessor sine titulo, est mala fidei possessor, maxime in spiritualibus. n. 14. & seqq.

Bona fides inducitur in possidente ex ostensione tituli legitimi, n. 14.

Qui ingreditur in beneficium sine auctoritate Superioris non habet titulum verum, nec putatiuum. n. 14. & 15.

Possessio sola sufficit ad valetudinem actus possessorij, si ius non resistat. n. 15.

Possessor si presentauit ad beneficium, & confect non esse in mala fide, sed in casu dubio, cui ius non resistit, valet presentatio, & quidquid ex ea sequitur; secus si ius resistat. n. 16.

Extraneus à Capitulo, si in electione faciendâ assistere velit, erit nulla si sint cum ipsius assistentia, n. 16.

Collatio beneficij facta ab eo qui erat in quasi possessione iuris conferendi, sicut & presentatio, valet ex bona fide conferentis, quia eius facta tenent, propter officium publicum, ratione cuius erat in possessione, quandiu toleratur. n. 17.

Collatio siue presentatio beneficij facta per possessorem, etiam violentum, de cuius mala fide, vel violentia non constat, valet, cum etiam prado tueri debeat in sua possessione; sed si constat de violentia, & mala fide, cassanda est. n. 18. & 19.

Mala fidei possessor non facit fructus suos, sed tenetur de extraneis actione rei vindicationis, & de consumptis, conditione sine causa. n. 20.

Intrusus bonæ fidei dicitur ille, qui legitime credit, aliquo canonico titulo se esse fretum, si ei ius non resistat, qui vero sciens nullum titulum in beneficio habere, & se in eo intruserit, dicitur malæ fidei possessor. n. 21.

ICE R plura circa præfens dubium proponi possent; restringendo tamen materiam ad terminos intrusionis, in quibus quæstio versatur, dicendum est, illum intrusum malæ fidei iudicari, qui se in beneficio intrusit, sciens nullum ius ipsi competere, sed immo ad alium pertinere. At vero si legitime credat se esse verum Prælatum, ad ipsumque pertinere Prælaturam, quia iusto errore cogitat se canonicè pro-

motum, & possessionem adeptum esse ex probabili ratione, quamuis aliàs sit intrusus; tamen si ignoret se esse intrusum, cum in facto erret, dicitur bonæ fidei possessor, vel intrusus, per ea quæ notantur in l. bona fidei, ff. de acquirendo rerum dominio, vbi communiter Doctores; quia iustus error pro veritate habetur, l. Celsus, cum aliis pluribus, ff. de vsucapionibus, & ita declarauit Rota in vna Valentina Parochialis de Palma. 2. Iunij 1606. coram Coccino, quæ habetur in eius impressis, decis. 295. num. 7. & sequentibus.

Quod probari potest ex eo; nam qui habet conscientiam rei alienæ; existit in mala fide; qui vero possidet rem; cogitans se esse Dominum, & putat se talem esse, dicitur in bona fide existere; vt patet ex textu in cap. si virgo, 34. q. 1. per hæc verba: Si virgo nesciens, viro nupsit alieno, hoc se semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera: Si autem sciat, iam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubauerit: sicut in iure prediorum, tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum: Cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit: tunc mala fidei possessor perhibebitur: tunc iuste iniustus vocabitur &c. & late tradit Panormitanus in cap. si diligenti, n. 13. vers. secundo Glossa querit, de prescriptionibus.

Et faciunt ad intentum quæ tradunt Sanchez de matrimonio, lib. 10. disput. 5. num. 12. & Martinez Perez in eodem tract. disput. 52. sect. 5. à n. 3. & seqq. vbi probant, iustam ignorantiam iuris, vel facti, aut pœnæ, excusare incurfionem adulterij; ergo similiter intrusus, qui existimans legitimum titulum habere in beneficio, si se intrusit, & possidet illud, erit bonæ fidei intrusus, nec incurret pœnas intrusionis; sicut è contrà erit malæ fidei intrusus, qui sciat titulo carere. Et conducunt circa hunc articulum quæ congerit Ludouicus, seu Gregorius X V. decis. 461. & late Beltraminus in annotat. n. 11. & latissime Diana in loco statim citando, resoluit. 12.

Secundo probatur, quia ignorantia vincibilis iuris, vel facti, (si non sit crassa) excusat, & liberat ab incurfione censurarum, vel aliarum pœnarum; vt late patet ex his quæ tradunt Sanchez de Matrimonio, tom. 3. lib. 9. disp. 31. quem refert & sequitur Laurentius Portel. de dubijs Regularibus, verbo, ignorantia, à n. 22. cum sequen. præcipue n. 27. & eis relatis amicissimus meus doctissimus Diana tom. 3. resol. moral. tract. 5. miscel. resol. 12. & 13. & copiosè Fragofo de regim. Christ. Reipublicæ, p. 1. lib. 2. disp. 4. à n. 218. & seqq.

Ergo

- 6 Ergo eodem modo, qui ingreditur, & detinet beneficium per intrusionem si legitime existimat se non esse intrusum, non erit pro tali habendus, nec puniendus poena intrusionis, cum bona fides & ignorantia ipsum liberet ab illa; & exinde erit intrusus bonæ fidei sicut & malæ, qui sciens bonum ius sibi non competere, se intrusit.
- 7 Ex quo sequitur; quod si aliquis fuit missus in possessionem Prælatuæ, auctoritate, vel decreto Superioris, iuris ordine seruato, quamuis aliàs esset intrusus, ut quia illegitimè fuisset promotus, vel quia Hæreticus, aut Simoniacus, & his similia, in tali casu dicitur intrusus bonæ fidei: ex ea nimirum ratione, quia est in quasi possessione administrandi auctoritate Superioris, vel Iudicis, ut patet ex textu in l. *in te possidet, qui auctoritate Iudicis possidet, ff. de acquirenda possessione*, & tradunt Iason in l. *qui ad mundinas, n. 20 ff. eodem titulo*, Tiraquel. ad l. 9. *comub. glos. 1. n. 1.*
- 8 Hoc tamen limitandum est, si Iudex non processit iuris ordine seruato, quia tunc ipse auctoritas non operabitur; nam idem erit, ac si propria auctoritate beneficii possessionem ingrederetur, scilicet in eo intrusisset, ut notat Abbas in cap. *consultationibus, n. 5. in fine, de iure patronatus*.
- 9 Ratio prædictorum desumitur ex eo, quia titulus putatiuus, & inualidus causatus non ex iuris, sed ex facti ignorantia, generat titulum, & bonam fidem, ut declarauit Rota penes Coccinum in eius impressis *decis. 295. n. 5. & sequen.* & penes Ludouicium *decis. 289. à n. 9.* ubi latè annotat Beltramin. n. 15. & plura ad intentum congerit; & in *vers. hoc tamen*, ita ait: Item licet titulus non suffragetur ad præscriptionem, quando prouenit à non habente potestatem, Guido Pap. *decis. 85. in principio, n. 3.* Cassadorus *decis. 7. n. 3. super Regulis*, cum aliis per Gratian. *discept. forens. cap. 441. n. 19.* tamen sufficit titulus habitus ab eo, qui probabiliter credebatur, quod habebat facultatem, Rota *decis. 228.* quæ habetur *post tom. 2. consil. Farinacij*, quæ in specie loquitur de titulo habito à Papa schismatico: de quo vide copiosè Garciam de *benefic. 5. p. c. 4 n. 307. & sequen.*
- 10 Vnde bona fides probatur ex ipsomet titulo putatiuo legitimo, ut declarauit eadem Rota in *Florentina iuris patronatus 25. Junij 1574. coram Domino Aldobrandino*, & habetur in *impressis diuersorum. p. 1. decis. 228. num. 3.* per hæc verba: *Titulus etiam adest ex testamento, & bona fides probatur eo ipso, quod probatur titulus, Bartolus in l. Celsus, num. 17. ff. de usucapionibus, &c.* Quod

idem optimè tradit Menochius *conf. 90. num. 62. & 73. & 116. ibi, De bona fide dubium non est, cum habeat titulum Legati confirmati, auctoritate Episcopali, qui sane titulus bonam fidem præstat, ut in specie scribit Abbas in cap. consultationibus, n. 5. vers. sed dubitatur, de iure patronatus, &c.* de quo vide Frago sum de *Regim. Christ. Republicæ, p. 1. lib. 2. disp. 4. n. 219. & 220.* Ergo erit intrusus bonæ fidei, qui auctoritate Superioris, & iuris ordine seruato, administrat, & detinet beneficium, cum ab ipso iure titulum habeat, licet alias non legitimum: attamen iustus error præstat ei bonam fidem, quod quidem sufficit ad eum effectum.

Notandum tamen est, quod si talis intrusus non fuerit missus in possessionem iuris ordine seruato, cum auctoritate Superioris, tunc erit intrusus malæ fidei, quia possidet iure resistente: nam ex sola possessione non potest quis administrare, nisi simul habeat Superioris auctoritatem, quod ius requirit, ut in *regula 1. de regulis iuris in 6. & in cap. ex frequentibus, de institut. & notat Beltraminus ubi supra, in d. annotat. ad decis. 289. Gregorij X V. num. 15. in fine primi versiculi, ubi: Item quando titulus esset reprobatus, adeo quod ius resisteret, non præberet iustam causam præscriptionis, non obstante lapsu cuiuscunque temporis, Surdus post alios *conf. 276. n. 2. 4. &c.**

Vnde cum in prædicto casu ius resistat, quia beneficium possideri non potest sine Superioris auctoritate, ut tradunt communiter Doctores, & patet ex d. cap. 1. de *regulis iuris in 6. & ex cap. ex frequentibus, de institutionibus*; sequitur, talem possessorem esse in mala fide, non solum præsumpta, sed etiam expressa, & manifesta.

Quod etiam suadetur, & probari potest ex eo, quia possessor sine titulo, est malæ fidei possessor; maxime in spiritualibus, ut aduertit Bartolus in l. *finali, C. unde vi, & in l. Celsus, ff. de usucapionibus*, & patet ex *decisionibus supra allegatis*: cum igitur ad inducendam bonam fidem requiratur tituli ostensio, ut probat textus in cap. 1. de *prescriptionibus in 6.* & qui sine auctoritate Superioris ingreditur in beneficio, titulo careat, non solum vero, sed adhuc putatiuo, ut latè probauimus *supra*, & colligitur ex allegatis à Barbosa in *collect. ad d. cap. 1. de prescript. in 6. num. 9. vers. ratio est, &c.* Sequitur & fatendum est, propter carentiam tituli, illum esse in mala fide.

Nec contra prædicta opponi potest textus in cap. *consultationibus 19. de iure patronatus, & in cap. querela, de electione*; ex quibus probatur, solam possessionem sufficere ad

- ad actus validitatem. Quia hoc est verum, quando possessori ius non resistit, ut plura allegans tradit Barbosa in *collect. ad d. cap. consultationibus, num. 5. vers. intellige supra dictam conclusionem, & vers. sequenti.* Vnde cum in præfenti ius resistat, ne aliquis possit ingredi, & administrare beneficium sine titulo à Superiore habito, saltè cum bona fide, ex eo inferitur, solam possessionem non sufficere ad inducendam bonam fidem, sed requiri ut adiungatur simul Superioris auctoritas.
- 16 Quod equidem comprobatur ex his quæ notat Innocentius in cap. 2. de *restitutione in integrum*, ubi probat, quod si Possessor iuris patronatus præsentauerit ad beneficium, & non constet esse malæ fidei possessorem, sed versari in casu dubio, tunc si ei ius non resistat, valet præsentatio; & quidquid postea sequetur: si verò tali Possessori ius commune resisteret, veluti si extraneus à Capitulo veller assistere electioni, aut si aliquis sine titulo præsentaret, & in aliis similibus casibus, tunc sola possessio non sufficeret, & ideo diceretur intrusus, & possessor malæ fidei, nec teneret præsentatio, & omnia ex ipsa sequuta, nisi aliter iustificaretur ex legitimitate tituli, vel aliis iuridicis probationibus, argumento text. in l. *liberis 7. §. finali, & in l. iugur 12. §. 1. ff. de liberali causa.*
- 17 Et ita declarauit Rota *decis. 14.* aliàs 575. de *iure patronatus, in antiquis*, ubi decisum fuit, quod collatio facta ab eo, qui erat in quasi possessione iuris conferendi, sicut & etiam præsentatio, valet, & tenent ex bona fide conferentis & præsentantis; ex ea ratione, quia propter officium publicum, ratione cuius erat in possessione conferendi, quandiu tolerabatur in officio, eius facta tenent, ut cum Innocentio declarauit *dicta decis. 4.*
- 18 Et quia eadem Rota in *novis decis. 7.* aliàs 268. eodem titulo de *iure patronatus*, complectitur omnia à nobis superius dicta, operæ præteritum duxi, ipsius verba ad litteram referre, quæ talia sunt: *Collatio siue præsentatio facta per possessorem, etiam violentum, de cuius violentia, siue mala fide non constat, valet, & tenet, quia prædo etiam iuendus est in possessione, de restitutione spoliatorum, cap. in literis. Sed si constaret de huiusmodi violentia, & mala fide, cassaretur collatio, & præsentatio per eum facta, quia præsentatio est fructus possessionis, ut in cap. consultationibus, de iure patronatus. Sed mala fidei possessor non facit fructus suos, immo tenetur de extantibus rei vindicatione, & de consumptis conditione sine causa: C. de rei vindica-*

tione, l. mala, ff. de rei vindicatione, l. si Nautis, &c. Quas duas conclusiones ponit Innocentius in d. cap. *consultationibus*, & ibi, de bona & mala fidei possessore, an valeant electiones, collationes, & præsentationes per eos factæ. Quod intellige de bona fidei possessoribus, quibus ius commune assistit; si vero ius commune ei resistit, recurre ad notata per Innocentium in cap. *cum venissent, de restitutione in integrum, inglosa, per Monachos, in fine, arg. not. in cap. eum qui, de præbendis, super vers. Inuasor, lib. 6. ubi querit de inuasore pacificè possidente, utrum possit præsentare, & post multa, pro, & contra, dicit, quosdam tenere, quod si talis toleratur, potest; alias non: remittit ad certa loca, 2. 4. 9. 1. in summa, & de electione, cap. nihil est, in glosa ultima, per Innocent. & per eundem de sententia excommunicationis, cap. si vero, in glosa, hinc colligitur, iuxta finem, quas glosas intellige de intruso non per violentiam, sed de possessore violento: Recurre & vide not. per Innocentium in cap. in literis, superius allegato. Hæc Rota.*

Ex quibus colligitur, quod intrusus bonæ fidei erit ille, qui legitime credit, se aliquo titulo canonico esse fretum, dummodo ius non resistat: at vero si se intrusit, sciens nullum titulum in beneficio habere, tunc dicendum venit, esse malæ fidei intrusum: Et in primo casu sustineri debent gesta per talem bonæ fidei intrusum; secus autem in secundo, ex fundamentis & rationibus superius allegatis; & ex his quæ congerit Beltraminus in *annotatione ad decisionem 74. Gregorij X V.* ubi plura ad intentum videre poteris, ne viterius in hoc detineamur, ut ad alia quæ nos clamitant, peruenire possimus.

QVÆSTIO XXIX.

An gesta per intrusum, qui se gerebat pro Prælato, aut Beneficiato; remoto à Prælatu-
ra, vel beneficio, valeant, &
teneant.

S V M M A R I V M.

- Gesta per intrusum, qui se gerebat pro Prælato, an valeant. n. 1.
Prælati, vel Beneficiati, qui à principio nullum ritulum habuit, si aliquid gessit, nihil valet, nec conualescit per communem errorem. n. 2. & 6.
Error communis non sufficit ad validandum actum, gestum per Prælatum putatiuum, si non

non habet titulum à Superiore collatum, licet inualidum. n. 2. & 9.

Tutor intrusus non potest auferre decimam, ratione administrationis, etiam si vtiliter gesserit, & communiter fuerit reputatus pro vero, & legitimo tutore. n. 3.

Error communis non operatur ad validandum actum, gestum à Superiore putatio, si ipse non sit aliquo titulo fretus. n. 4. & 6.

Collatio beneficij facta ab intruso, qui legitimus reputabatur collator, est valida & legitima. n. 5. & 6.

Quod intellige vt n. 11.

Intrusus existens in quasi possessione, & reputatus pro legitimo possessore, valide operatur quoad fructus resultantes ex ipsa possessione. n. 5.

Ius eligendi ad beneficium ei pertinet, qui est in quasi possessione, de tempore electionis, licet non probet quod proprietatis ad illum pertinebat. n. 5.

Quod intellige vt n. 6.

Presentatus ad beneficium per Patronum existentem in quasi possessione presentandi non debet amoueri, licet postmodum tale ius ab eo euincatur. n. 5.

Quod intellige vt n. 6. & 11.

Possessio sola sufficit ad sustinendum actum, licet fiat ab eo qui est intrusus, dummodo sit bona fidei possessor. n. 6.

Gesta per intrusum, qui propria auctoritate se ingessit in possessionem, erunt valida per errorem communem, vt soluentes ei liberentur; non vero si ipse soluat, vel alienet. n. 7. & 8.

Quod intellige vt n. 12.

Debitor soluentes institori reuocato, si ignorent reuocationem, liberantur ab obligatione; secus autem si ipse dederit pecunias Domini. n. 8.

Quod intellige vt n. 12.

Institor reuocatus, si dederit, vel mutuauerit pecunias Domini, non contrahit mutuum, vel alium contractum. n. 8.

Gesta per intrusum, qui propria auctoritate se ingessit in beneficij possessionem sine aliquo colore, sunt nulla, & inualida, nec sanari possunt per errorem communem. n. 9.

Possessor violentus, & temerarius dicitur, qui sine Superioris auctoritate, sed propria, se ingessit in possessionem. n. 9.

Error communis vt ius efficiat, ad terminos. l. Barbarius Philippus, ff. de officio Proconsulis, quid requiratur. n. 10.

Debitor illegitime soluens, non liberatur. n. 12.

Intruso in officio, vel beneficio, si aliquid soluat, non liberatur soluens. n. 12.

Gesta per intrusum in officio, vel beneficio, qui à principio habuit titulum, licet inualidum,

sustineri debent, nec reuocari possunt, quia communis error, & auctoritas Superioris supplet illius defectum. n. 13

Sententia lata à Delegato, qui liber reputabatur, sustineri debet, licet postea appareat, quod tempore prolationis erat seruus, n. 14.

Praelati, vel Beneficiati, qui legitime possident, si committant delictum priuatione dignum, possunt exercere ministerium, quandiu tolerati fuerint, & gesta per ipsos erunt valida, dummodo priuatio non sit publica, & notoria. n. 15.

Gesta per intrusum in officio, vel beneficio, qui pro legitimo possessore communiter reputabatur, vt valida sint, tria concurrere debent; videlicet titulus à Superiore collatus, quamuis sit inualidus; error communis ab omnibus habitus; & quod actus gestus ex se sustineri possit. n. 16.

Quod locum habet in vtroque foro. n. 17.

Error communis potest supplere obstacula iuris humani; non vero naturalis, vel diuini. num. 18.

Error communis efficere potest, vt Sacramenta ministrata per putatum legitimum ministrum sint valida, si alias ex natura actus in eo non adsit incapacitas. n. 19.

Sed plures Doctores adhuc in tali casu id non admittunt. n. 20.



In hac quaestione tripliciter distinguunt Doctores in capitulis, de electione, vt per Innocentium, num. 3. Panormitanum, num. 10. & alios quos citat Rendina in promptuario receptorum sententiarum tom. 1. tit. 36. num. 12. videlicet: quando talis intrusus non habuit titulum à principio, vel illum obtinuit, sed inualidum, & inefficacem; seu denique illum acquisiuit, sed postea ipsum perdidit. de quibus sigillatim agemus.

Et Primo de eo qui à principio nullum titulum habuit, puta quia non fuit confirmatus, vel institutus; seu alias prouisus à Superiore habente potestatem instituendi, confirmandi, aut prouidendi; sed propria auctoritate in beneficio, vel Praelatura se intrusit; & ex eo iure, licet inualido, existit in quasi possessione, & exercitio Praelature, vel beneficij; tunc enim dicendum est, gesta per illum intrusum non esse valida: ex ea ratione, quia in tali casu non sufficit communis error hominum existimantium illum intrusum habere titulum; nam talis existimatio, etiam cum possessione non est sufficiens, cum simul etiam sit necessaria auctoritas Superioris, & titulus ab eo collatus, quamuis inualidus, ex aliquo vi tio

larenti,

latenti, seu defectu occulto, vt diximus supra q. 27. num. 6. & 16. Et patet ex his quæ ad intentum ponderantur per Gutierrez in tract. de tutelis 3. p. cap. 8. num. 14. &

sequen. vbi probat, quod tutor intrusus, & illegitimus non potest auferre decimam, ratione administrationis, etiam si vtiliter se gesserit. Quodque habere locum ait, etiam si communiter fuerit reputatus pro vero, & legitimo tutore; & ibidem late agit de hoc articulo; de quo etiam infinitos referens Sanchez de matrimonio, tom. 1. lib. 3. disp. 22. num. 49. Garcia de Benef. 5. p. cap. 4. num. 281. & alij plures quos longum esset recensere, qui omnes concorditer deducunt hanc conclusionem ex l. Barbarius Philippus, ff. de officio Praetoris, vbi praeter errorem communem, requirit etiam titulum, licet inualidum. Cum igitur ille, qui propria auctoritate, sine decreto Superioris, se intrusit in Praelatura, vel beneficio, omnino sit destitutus aliquo titulo, vt probauimus supra, q. 1. num. 5. & sequen. & q. 2. n. 4. Exinde sequitur, errorem communem non posse supplere talem defectum.

Et licet praedicta ita se habeant; Aliqui tamen voluerunt, talem intrusum existentem in quasi possessione valide operari quoad fructus, & quoad ea, quæ loco fructuum habentur, vt pote conferre beneficia, & similia; ex cap. querelam 24. de elect. ex quo probatur, quod ad obtinendum, sufficit electo docere, eligentem esse in quasi possessione, tempore electionis; licet non probet, quod proprietatis iuris eligendi ad illum pertinebat. Idemque adstrui videtur ex cap. consultationibus 19. de iure patronatus: ex quo deducitur, quod constitutus ad praesentationem eius, qui tunc ius patronatus Ecclesiae possidebat, amoueri non debet, licet postmodum ab eo tale ius euincatur; secus autem si non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus.

Ex quibus iuribus colligitur, quod sola possessio sufficiat ad eum effectum; ac per consequens eodem prorsus modo, quod talis intrusus, qui in possessionem se ingessit propria auctoritate, legitime operatur, si error communis ipsum iudicet pro legitimo possessore; quia efficit, vt gesta per ipsum valida reputentur, ex d. l. Barbarius Philippus, vt late per Sanchez tom. 1. de matrimonio, lib. 3. disp. 22. à num. 48. & seq.

Et fortasse hæc locum habere possent, si talis intrusus esset bonæ fidei, iuxta ea quæ diximus supra, in quaestione antecedenti, & similiter si iustus error id honestaret, vt patet ex infra dicendis.

Alij etiam voluerunt, quod gesta per latenti,

Alij etiam voluerunt, quod gesta per latenti, *Tract. de Intrusione.*

talem intrusum, qui propria auctoritate se ingessit in possessionem, sint valida & efficacia, si id operetur, vt liberentur soluentes ei, taliter quod per solutionem liberationem consequantur; secus autem in tradendo, vel alienando, quia illi, quibus tradit, vel in quos alienat, ius non acquirunt: argumento tex. in l. si seruus 32. ff. de solutionibus, & in l. eius qui in provincia 41. ff. de rebus creditis si certum petatur, de quo Donnellus lib. 5. commentar. cap. 18. vers. finali.

Ex quibus iuribus deducitur, quod debitores soluentes Institori reuocato, liberantur, si reuocationem ignorent, & ita gesta per talem Institorem recipientem, erunt valida; secus autem si dederit pecunias Domini, quia ipsius pecunias alienare non potest, taliter quod si mutuauerit, vel pignorauerit, non contrahatur mutuum, aut pignoris obligatio, ergo eodem modo gesta per talem intrusum erunt valida in recipiendo, non tamen in tradendo, vel liberando.

Verum quidquid sit, dicendum venit, quod gesta per talem intrusum, qui propria auctoritate se ingessit in possessionem Praelaturæ, vel beneficij, sine aliquo colore, esse inualida & nulla, nec per errorem etiam communem posse sanari. Enimvero cum non habeat Superioris auctoritatem, ex qua eius possessio aliquo modo honestari possit, consequenter sequitur, ipsum existere in mala fide, & ita se immiscendo in administratione, propria auctoritate, est violentus & temerarius possessor: ex text. in l. extat 13. ff. quod metus causa, l. meminerint, C. vnde vi; Ex ea nimirum ratione, quia propria auctoritate sibi ipsi ius dixit: cap. cum qui, de prebendis in 6. cap. sicut, & cap. si quis, 17. q. 7. & patet ex his quæ diximus supra, q. 1. n. 4. & 5.

Ex quibus sequitur certa conclusio, quod vt actus valeat, praeter errorem communem requiritur etiam Superioris auctoritas, quæ praestat bonam fidem, iuxta text. in d. l. Barbarius: nam ibidem praeter errorem communem concurrebat etiam auctoritas Superioris, qui illi seruo titulum, & Superioritatem praestitit; vnde vtrumque concurrebat; Cum igitur in praedicto casu intrusionis vnus deficiat, exinde oritur, gesta per ipsum esse inualida, & nulla, ac insanabilia.

Nec vrgent dictum caput, consultationibus, de iure patronatus, & cap. querelam, de electione. Quia loquuntur in patrono, qui non indiget confirmatione, nec aliquo ministerio Superioris, sed bona fide possidet, quod sufficit, cum tunc ius non resistat, qua-

propter

propter priuari non debet commo-
dum possessionis; at verò nos loquimur de intruso,
cui ius resistit, in quo solum reperitur quæ-
dam iniusta possessio, cui resistit iuris dis-
positio, quæ ad valorem requirit Superioris
auctoritatem, ut illa possessio aliquid ope-
rari valeat; sequitur igitur, errorem solum
per se, non posse validare quod in radice
omnino remanebat vitiosum, infectum, &
nullum.

12 Nec similiter obstat *lex, eius qui in pro-
uincia, de rebus creditis*, pro tertia opinione
adducta *supra, num. 7. & 8.* Quia secundum
Innocen. & alios *in d. cap. nihil, de elect.* sol-
uentes huic intruso, siue bonæ, siue malæ
fidei, non liberantur, quia non debet esse
melioris conditionis ex eo quod sit intru-
sus, quam si non fuisset, ut diximus *supra, q.
25. num. 10.* & sicut si solutio legitime non
fieret, debitor non liberaretur, dicendum
venit, quod nec per solutionem factam in-
truso, liberationem consequi potest, & ex-
inde resolutionem superius traditam pro-
cedere, tam in recipiendo, quam in alie-
nando, tradendo.

Nec officit *lex, si seruus 32. ff. de solutio-
nibus, & lex, eius qui in provincia, ff. de rebus
creditis*, quæ loquuntur de Institore, qui ab
initio legitimum titulum habebat ad reci-
piendas solutiones; postmodum verò fuit
reuocatus, sed legitime ignorabatur talis
reuocatio, quo casu iustus error existeret,
& sufficit ut pro tali se gereret, ad hoc ut
solutio legitima reputaretur, ut declarauit
Rota *in Maceraten. pecuniaria, 4. Julij 1614.
coram Remboldo*, quæ habetur *in recentior.
p. 1. decis. 659. num. 3.* Attamen in dicto ca-
su nullatenus reperitur titulus aliquis, &
ideo prædicta iura non adaptantur ad in-
trusum, de quo loquimur.

13 Deueniendo iam ad secundum casum,
videlicet cum quis à principio titulum ha-
buit, sed inuadit, & inefficacem, ut quia
illum obtinuit à Superiore, sed ex aliquo
defectu, subsistere non potuit ex sua perso-
na, v.g. quia erat Simoniacus; Schismaticus,
vel Hæreticus, seu alias incapax ad
Prælaturam, vel beneficium obtinendum,
tunc gesta per talem intrusum erunt vali-
da, nec reuocari debent, quia cum in eo
concurrant auctoritas Superioris, & com-
munis error, merito sustinenda veniunt,
iuxta dispositionem *text. in d. l. Barbarius
Philippus, & l. si arbiter, C. de sentent. & in-
terloquutionibus omnium Iudicum, & 3. q. 7.
§. tria, vers. verumtamen.*

14 Ex quibus iuribus probatur, quod tenet
sententia lata à Delegato, qui reputabatur
liber, licet postea apparuerit, quod tempo-

re prolationis erat seruus, & illa sustinetur
ex errore communi, deducto ex auctoritate
Superioris propter vtilitatem publicam;
& ita tenet Baldus, Antonius Gabriel, Ma-
scardus, Azeuedo, Sbrozius, Auila, & Les-
sius, quos refert, & sequitur Garcia *de be-
nef. 5. p. cap. 4. n. 184.* Doctissimus D. Ioan-
nes de Solorzano *de Indiarum gubernatio-
ne, tom. 1. lib. 2. cap. 4. num. 75.* & plures refe-
rens Thomas Sanchez *de matrimonio*, qui
latè agit de hoc articulo *lib. 3. disp. 22. num.
49.* quibus adde Franciscum Pellizarium
*in manuali Regularium tom. 2. tract. 8. cap. 3.
quest. 23. num. 62.* copiosè Bossium *tom. 1.
de conscientia erronea, p. 1. tit. 1. §. 25. n. 384.
& 385. cum sequen.* & alios plures quos lon-
gum esset recensere.

De tertio autem casu, quando quis titu-
lum habuit, sed ipsum amisit, veluti si se ge-
reret pro Prælate, quia erat fretus titulo
legitimo à Superiore collato, postea tamen
aliquid commisit, propter quod ipso iure
priuatus fuit Prælatura, vel beneficio, ut si
in hæresim incidisset, vel quid simile; &
tunc gesta per hunc intrusum donec tole-
ratur, sustineri etiam debent, dummodo
talis priuatio occulta fuerit, vel saltem le-
gitime & prudenter dubitatur de priuatio-
ne; secus autem si hæc fuerit notoria, taliter
quod in Prælatura, vel beneficio tolerari
non debeat; tunc enim gesta per talem in-
trusum non valebunt: ut latè patet ex his
quæ congerit Annotatio *ad decisionem 500.
Gregorij XV. num. 11.* & tradunt communi-
ter Doctores *in cap. nihil 44. de electione,
Rendina in promptuario receptarum senten-
tiarum tom. 1. tit. 36. n. 12.* quem refert Barb.
in collect. ad d. cap. nihil, num. 6. & abundè
disputat Thomas Sanchez plures allegans
in d. disp. 22. n. 56. & latè Garcia *de benef.
in d. 5. p. cap. 4. à num. 328.* qui *in sequentibus
numeris* latè agunt de materia huius dubij,
vbi videre poteris varias limitationes, &
diuersas ampliationes ab ipsis consideratas,
ad *d. l. Barbarius Philippus*, quas quidem hic
adducere, esset nimis prolixum, & mole-
stum; & ideo si libuerit, & opus fuerit apud
ipsum videre poteris, ne immoremur diu-
tius.

Tandem concludendum est, tria requiri
ut gesta per talem intrusum ex æquitate
valida reputentur. Primum est, auctoritas
seu titulus acquisitus à Superiore habente
potestatem illum conferendi: Secundum,
communis error, seu ignorantia talis defe-
ctus, habita communiter apud homines:
Tertium & vltimum, quod actus gestus
per talem putatiuum legitimum Prælatum,
vel Superiorem, in vim prouisionis ab ipso
factæ

QVÆSTIO XXX.

Alienatio facta per intrusum an
valeat.

S V M M A R I V M.

*Alienatio rei Ecclesie, facta per Prælatum, vel
Beneficiatum intrusum, est inuadida, &
nulla. n. 1. & 4.*

*Commutationes, & precaria, que fiunt ab in-
trusis, vacantibus Ecclesiis, rescinduntur.
num. 2.*

*Electus ad Prælaturam nullatenus potest alie-
nare res Ecclesie, quamvis sine difficultate
speret confirmationem. n. 3.*

*Intrusus nullum ius habet, nec habere potest
in re, in qua se intrusit sine speciali dispen-
satione. n. 3.*

*Intrusus est Fur, & Latro, & ideo priuatur re
in qua se intrusit, quia titulum aliquem non
habet. n. 4.*

*Latro, & Fur, non habent ius alienandi rem
furtiuam, quia ex omni iure sunt priuati
illius administratione. n. 4.*

*Alienationes omnes, siue iustæ, siue iniustæ,
tam vtiliter, quam inuaditè factæ per Præ-
latum, vel Beneficiatum intrusum, sunt
nullæ & inuadidæ. n. 5.*

*Quod extendit ut locum habeat ipso iure, etiam
si fierent de consensu Capituli. n. 6.*

*Dictio, Quodcumque comprehendit omnes
modos, & causas ultra expressas. n. 5.*



ALIENATIONEM factam per in-
trusum esse nullam, & inuadi-
dam, satis probatur ex *cap. alie-
nationes, 12. q. 2.* vbi expressè de-
ciditur, quod alienationes factæ ab intrusis
sine consensu Clericorum, sunt irritæ: &
ibi Glossa verbo, alienationes, alia iura alle-
gat, dictam conclusionem confirmantia,
quæ etiam deducitur ex *cap. 1. vers. aliena-
tiones, sub tit. de schismaticis, & ordinatis ab eis.*

Secundo probatur ex *cap. Precaria, eadem 2
causa 12. q. 2.* vbi probatur, quod Precariæ,
& commutationes, quæ factæ fuerint ab
intrusis, vacantibus Ecclesiis, rescindantur:
ut patet ex Glossa magna ipsius textus, &
ibidem Archid. & Cardin. Alex. intelli-
gunt verbum illud, occupauerant, in dict. *tex.*
appositum, id est, occupauerant per intrusio-
nem, ergo nullatenus erit valida alienatio
facta per intrusum de bonis Ecclesiæ ab
ipso occupatis.

Tertio roboratur ex doctrina Baldi *in 3
cap. nihil. num. 11. de elect.* vbi docet, quod

factæ sustineri possint; ut tradunt commu-
niter Doctores, & præcipuè Escobar à
Corro *in tract. de vtroque foro, tom. 1. art. 5.
§. 20. casu 20. n. 322. pag. mihi 211.*

17 An autem prædicta æqua lance procedant
in vtroque foro, est valde dubium; quod
quidem latè disputat plura cumulans
Escobar à Corro *vbi proximè, in d. casu 20.
& à n. 319. vsque ad 362.* varias rationes, &
fundamenta pro vtraque parte ponderat;
& tandem *num. 363.* cum Sanchez *in d.
disput. 22. n. 13. & 60.* Lessio *de iustitia &
iure, cap. 29. dub. 8. n. 65. & 67. vers. 6.* &
aliis resoluit, locum habere in vtroque
foro, quam sententiam verissimam iu-
dico.

18 Et pro coronide huius dubij, & quæstio-
nis, notandum est, quod dicta resolutio li-
mitanda veniat in his, quæ contradicunt,
& se opponunt iuri naturali & diuino, tali-
ter quod resistat actibus gestis per operan-
tem ex errore communi, quia non valent
in tali casu, cum error communis bene pos-
sit supplere obstacula iuris humani; non
verò naturalis, vel diuini; ut latè probaui
*in meo foro conscientia, siue pastorali interro,
part. 2. tract. unico, q. 7. à num. 17. vsque in
finem.*

19 At vero quando obstaculum non pro-
cedit ex iure diuino, sed ex humano, pro-
babile est, errorem etiam communem effi-
cere, ut adhuc Sacramenta ministrata per
talem putatiuum legitimum ministrum
sint valida, & efficacia; veluti si Confessa-
rius cum falsa licentia audiebat confessio-
nes, vel si cum falsis Bullis pro Parocho
aliquis se gereret, & communi populi er-
rore & existimatione pro legitimo reputa-
retur, tunc enim gesta valebunt; quia cum
ipse sit Sacerdos, obstaculum quod im-
pediebat exercitium, est iuris humani,
quod quidem error communis propter
vtilitatem publicam potuit supplere.

20 Et quamvis hoc ita se habeat, nihilomi-
nus plures Doctores contrarium tuentur,
videlicet quod adhuc in tali casu non va-
leant tanquam gesta ab intruso carente
titulo legitimo, à Superiore collato, ut plu-
res allegans tradunt Diana *tom. 3. resol. mo-
ral. tract. 4. resol. 122.* Bossius *de tubileo sect.
3. casu 2. §. 4. n. 153. & 162.* quos cum aliis
refert & sequitur Leander *de sanctissimo
sacramento tom. 1. quest. moral. tract. 5. de pœ-
nitentia disput. 11. quest. 101. & 102.* vbi
videre poteris, quæ conducunt adhuc ar-
ticulum. Ex quibus finem imponimus
huic quæstioni.

prohibetur alienatio electo, qui sine difficultate, aut obstaculo sperat confirmationem; ergo multo melius prohiberi debet intruso, qui nullum ius habet, nec illud obtinere, aut sperare potest sine speciali dispensatione.

4 Quarto probatur, quia intrusus est fur & latro, & ideo priuari debet re, in qua se intrusit, quia titulum non habet, ut diximus supra quaest. 1. num. 6. & quaest. 9. n. 18. & dicemus infra, quaest. 32. num. 14. sed fur & latro ius alienandi non habent, quia sunt priuari quacunque administratione, cum in rerum natura nullum principium substantiae habeant, ut inquit Baldus loco proxime citato, argumento textus in l. qui hominem, §. si nullo, & leg. filie, ff. de solutionibus, ergo intrusus tanquam fur, & latro, erit incapax alienationis, & si ipsam fecerit, nulla & inualida reputanda veniet.

5 Quae quidem adeo vera sunt, ut locum habeant in quacunque alienatione per intrusum exequuta, siue iusta siue iniusta, tam vtiliter quam inutiliter factas; ut patet in d. cap. alienationes, ibi, alienationes quocunque modo factas, &c. quae verba includunt, & comprehendunt omnes modos & causas ultra expressas; ex his quae tradit Barbof. in tract. de dictionibus usufrequent. dictione 329. num. 1.

6 Hocque in tantum locum habet, ut voluerit Praepositus in d. cap. alienationes, n. 4. in primo notabili, per illum textum; praedictas alienationes ipso iure esse nullas, & inefficaces, etiam si fierent de consensu Capituli, ex verbis ipsius cap. Alienationes, ibi, irritas indicamus, &c. & eodem prorsus modo patet ex dict. cap. precaria, dum dicit, rescindantur, &c. scilicet de facto, secundum Archidiaconum ibidem. Ex quibus concludendum est, alienationes quocunque modo per intrusum factas, esse irritas, nullas, & inualidas.

QVÆSTIO XXXI.

An intrusus obligans Ecclesiam, pro debitis alienis incurrat in poenam cap. si quorundam, de solutionibus.

S V M M A R I V M.

Praelatus obligans Ecclesiam pro alienis debitis, non remanet illa obligata, & Praelatus ipso facto est priuatus administratione

spiritualium & temporalium. n. 1. & 4. Praelatus seu alius quicumque qui Ecclesiam obligauit, ipso facto remanet priuatus administratione; & obligatio viribus caret, num. 2.

Praelatus intrusus obligans bona Ecclesiae pro debitis alienis, incidit in poenam capitis, si quorundam, de solutionibus. n. 3.

Intrusus Praelatus vel alius quispiam, non debet esse melioris conditionis, quam verus Praelatus. n. 4.

Conditionem suam non potest quis ex delicto meliorem facere. n. 4.



AD verum intellectum propositae quaestiones supponendum est, ex dispositione textus in cap. si quorundam, de solutionibus, Praelatum obligantem Ecclesiam pro alienis debitis, ipso facto esse suspensum ab administratione spiritualium, & temporalium; Ecclesiamque non remanere obligatam, neque obnoxiam ad solutionem talis obligationis.

Quam conclusionem colligunt communiter Doctores ex eo textu, intelligentes, & extendentes eum, ut praedictam poenam incurrant omnes, quibus commissae sunt Ecclesiae; siue sint Praelati, vel Commendatarii, aut Procuratores, seu Administratores.

Hoc sic praesupposito, videndum est, an si Praelatus, vel Beneficiarius intrusus obligauerit Ecclesiam pro alienis debitis, incurrat eandem poenam? Et dicendum est, illam incurrere, prout ita dixerunt ibidem Ioannes Andreas, Card. num. 2. vers. secundo quero, Anton. n. 5. vers. quero quomodo, Abbas in primo notabili, Anch. in 2. notabili, Ioan. de Anan. n. 1. vers. nota verbum, & Imola n. 19. in fine.

Et ratio est, quia non debet esse melioris conditionis intrusus, quam verus Praelatus, cap. eum qui 18. de praebend. in 6. vbi Glossa verbo, existat, neque ex delicto potest quis conditionem suam meliorem facere: l. 3. §. videamus, ff. de donationib. inter virum, & uxorem, cum vulgaris: sed si verus Praelatus obligauerit Ecclesiam, incidit in poenam dicti capitis, si quorundam, ut patet ex eius contextura, ergo multo fortius, & melius eam incurrat intrusus, qui est fur & latro, & iniustus, & illegitimus possessor, ut diximus supra in quaestione antecedenti, num. 4. Ex quibus sine dubitatione ita concludendum est; de quo vide infra, q. 119.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXII.

An, & quando debitorum Ecclesiae, soluentes intruso liberentur.

S V M M A R I V M.

Solvens Praedoni, vel intruso in Praelatura, Beneficio, vel Officio, pensionem, vel debitum ex contractu cum illis celebrato, liberatur ab obligatione. n. 1. & 5. cum sequen.

Quod intellige ut n. 6.

Praelatus intrusus si locauerit bona Praelaturae, tunc locator solvens illi pensionem, vel debitum, liberatur. n. 1.

Quod intellige ut n. 6.

Contractum celebrans cum praedone, vel intruso, tenetur eis solvere debitum, vel pensionem resultantem ex contractu; non autem legitimo Domino, taliter quod ipse non possit repetere, nam liberationem consequitur. n. 1. & 2.

Solutio facta procuratori, cum quo aliquis contractum celebravit, liberationem inducit, licet mandatum non esset legitimum. n. 3.

Quod extendit etiam ad falsum, vel putatum tutorem. n. 4.

Filio, vel seruo, legitime soluitur debitum, procedens ex contractu per ipsos inito, etiam si esset super re ipsius Patris, vel Domini. 4.

Solutiones pensionum, & omnia alia gesta cum eo, qui contractum celebravit, etiam nomine alterius, liberant soluentem, tanquam facta ex contractu cum ipso inito, etiam si non constaret de legitimo mandato. n. 5.

Solutio facta intruso cum scientia intrusionis non liberat soluentem ab obligatione. n. 6.

Procuratori reuocato si solutio fuerit facta ab eo, qui reuocationem sciebat, non liberat soluentem ab obligatione. n. 7.

Procurator constitutus ad vendendum, si contrahat post reuocationem mandati, quam ignorabat, Dominum obligat, licet dominium non transferat; quia transferri non potest sine voluntate Domini. n. 8.

Ignorantia intrusionis est necessaria in solvente, ut solutio facta intruso per debitorem sit legitima, non solum de tempore solutionis, sed etiam celebrati contractus ut liberationem operari possit. n. 9.

Scientia intrusionis constituit in mala fide illum, qui intrusionem cognoscebat, ad effectum, ut contractus per eum celebratus inualidus reputaretur. n. 10.

Solvens scienter intruso, liberationem non contrahit. de Intrusione.

sequitur, si similiter sciat, talem intrusum fraudaturum Ecclesiam de re soluta, & non alias. n. 11.

Quod intellige ut n. 13.

Copulatiue si duo requirantur in aliqua dispositione, non sufficit alterum tantum verificari, sed utrumque simul. n. 12.

Intrusus in Praelatura, vel beneficio, ex eo solo quod sit intrusus praesumendum est fraudaturum Ecclesiam. n. 13. & 14.

Depositum si fecerit seruus, potest ei restitui, & liberatur depositarius, nisi habeat malam fidem, sciens quod furtum commisit seruus de re deposita, quia tunc non liberaretur. num. 13.

Intrusus, eo ipso quod est intrusus, dicitur Fur, & latro. n. 14.

Debitorum soluentes intruso debita contracta cum vero Praelato, non liberantur. n. 15.

Pensionarij, vel emphyteutae, qui contraxerunt cum vero Praelato, non liberantur, si soluant intruso in Praelatura, vel beneficio. n. 15.

Solvens intruso quod soluendum est Titulari non liberatur, nisi intrusus esset toleratus per multum tempus, & solutio esset facta bona fide ex errore communi. n. 16.

Soluentes intruso quod tenentur solvere vero Praelato, non liberantur, etiam si id efficiant propter iustum metum, ex praecipio Iudicis laici, maxime si sint debitorum quantitatis; secus autem si praecipium fuerit à legitimo Iudice. n. 17.

Pensionarij qui tenentur solvere Ecclesiae aliquam annuam pensionem, si eam soluerint intruso in Praelatura, reputato pro legitimo Praelato, liberationem consequuntur. n. 18.

Intrusus existens in possessione Praelaturae, potest agere remedio spoli contra negantem solvere annuam pensionem; & contra tertium intentare valet interdictum possessorium; & similiter contra reuertentem solvere quod solutum fuerat antecessori, agere potest interdicto, Vnde vi. n. 19.

Remedia possessoria spoli, & Vnde vi intentari possunt ex actionibus personalibus. n. 20.

Solvens intruso in Praelatura ex mandato Iudicis, liberatur, etiam si non procedat obligatio solutionis ex contractu ab ipso inito. num. 21.

Quod intellige ut n. 25.

Solvens de mandato Iudicis liberatur, etiam si id efficiat creditori putatio, vel minus legitimo. n. 21. & 22. cum sequen.

Sententiis & mandatis Iudicum etiam minus legitimis parendum est, n. 23. & 24.

Sententia, & mandatum Iudicum, a quibus fuit appellatum, nec transferunt in rem iudicatam, non habent executionem, num. 25.

I Vera resolutio ad propositam quaestionem deducere possumus, duo casus constituendi sunt. Primus, de debitis contractibus cum ipso intruso; Secundus, de contractibus cum Prælato, aut Beneficiato prædecessore.

Et quod attinet ad primum; Bartolus, & communiter Doctores in *l. si urbana prædia* 55. ff. de conditione indebiti, Abbas & alij in cap. nihil, de electione, concludunt, quod si ipse Prælati, vel Beneficiatus, qui fuerint intrusi, locauerint bona Prælati, seu beneficii; tunc pensionarij, qui ab illis conduxerunt, liberantur soluendo eis; ex dispositione textus in dict. *l. si urbana*, quæ decidit, soluentem prædioni pensionem, vel debitum ex contractu cum eo celebrato, non posse repetere solutum, tanquam indebitum; & consequenter liberatum remanere: ut notant *ibidem* omnes, & præcipuè Baldus, dicens, illam legem ad hoc esse mirabilem.

2 Et rationem adducit Iason *ibidem*, quia ex quo contractus fuit celebratus cum prædione, sequitur quod contrahens tenetur ei solvere, & non domino rei, cum quo contractum aliquem non iniuit; ut patet ex textu in *l. filie* 88. ff. de solutionibus, ergo similiter in nostro casu concludendum est, quod solutio facta intruso, ab eo qui cum illo contractum celebravit, liberationem operabitur; nec verus Prælati poterit pensionem petere.

3 Quod etiam probatur à simili, de eo qui soluit Procuratori, cum quo contractum celebravit: nam licet ipsius mandatum non esset legitimum, eo tamen non obstante liberatur solvens. Idemque ius obseruatur in falso tutore, qui fecit contractum; ut cum Afflictis *decis.* 147. tradit Gratianus *tom. 1. discept. forens. cap. 20. n. 34. & tom. 3. cap. 505. n. 4.*

4 Sicut & etiam quando filius vel seruus contraxerunt, potest ipsis solutio fieri, ex contractu per ipsos inito, quasi ex forma illius solutio sit collata in ipsorum personis, taliter quod si filius solutionem recepisset, ex contractu per ipsum celebrato, super re patris, esset etiam debitor à Patre liberatus: *l. si vnus, ff. de pactis*, & cum Alexandro in *l. filius paciscendo* 24. in principio, C. de pactis, tradit eisdem ferè verbis Gratianus *tom. 3. discept. forens. cap. 401. num. 25. & 26.* Et rationem reddit ipse

5 Gratianus, alios plures allegans *cap. 514. num. 27.* videlicet, quia solutiones pensionum, & omnia alia gesta cum eo, qui contractum celebravit, etiam nomine alterius,

valent, & liberant soluentem, tanquam facta ex contractu cum ipsis inito. Hocque locum habere ait Gratianus, *vbi proxime*, cum Afflictis *decis.* 147. & alij, etiam si non constaret de legitimo mandato; ergo pari modo in nostro casu dicendum venit, quod soluentes intruso ex contractu per ipsum celebrato, liberationem consequentur.

6 Quæ omnia intelligenda sunt, quando contrahens soluit bona fide, & ignorans, verum non esse Prælatum, seu beneficiatum. At vero si soluisse, cum scientia intrusionis, eo in casu liberationem non consequeretur, ut expresse deciditur in *d. l. filie*, 88. in fine, ff. de solutionibus, & ita declarant Paulus Castrensis, & alij relati per Iasonem in *d. l. si urbana*, n. 1. & 7. *vers. limita istam doctrinam.*

Et ponderari possunt ad intentum quæ 7 tradit Gratianus in *d. tom. 1. discept. forens. cap. 18. n. 38. & 39.* vbi ita ait: Et faciunt, quæ dicuntur de exigente cum mandato reuocato, vel post mortem mandantis, ut tunc solutio sit nulla, cum adest scientia reuocationis, vel obitus: *l. eius qui, ff. de rebus creditis, si certum petatur*; cum distinctionibus de quibus per Baldum in *l. mandatum* 15. *colum. finali, C. mandati.* Idem in procuratore constituto ad vendendum, qui contrahendo post reuocationem mandati quam ignorat, obligat Dominum, licet non transferat dominium, quod non potest transferri sine voluntate Domini: Salicetus in *l. mandatum, C. mandati*, Baldus in *l. 1. in fine principij, de contrahenda emptione*, Felinus in *cap. ex parte Decani, n. 14. de rescriptis*, & c. Hæc Gratianus.

9 Ex quibus patet, bonam fidem esse necessariam; aliàs solutio non erit legitima, ut cum Gama *decis.* 1. *num. 1. & decis.* 303. *n. 1.* Mascard. *de probat. conclus.* 1323. *n. 1.* Surdo *decis.* 229. *num. 10.* Gonzalez *ad regul. 8. glos. 45. §. 2. n. 17.* tradit Barb. in *collect. ad tex. in cap. dudum, el segundo, n. 6. de elect.* Et tenuit Additio ad *decisionem Rotæ in nonis, decis.* 1. aliàs 4. *sub tit. de restitutione spoliatorum, n. 5. vers. alia additio.* Subaudi in Prælato, taliter quod requiratur illa ignorantia intrusionis, nedum tempore solutionis, sed etiam celebrati contractus, ut docet Ripa *resp. 10. incip.* Titius sciens, n. 1. *vers. circa primum, sub tit. de obligat.*

10 Et ratio est, quia illa scientia intrusionis constituit soluentem in mala fide, ex qua cognoscere debet; intrusum non esse personam legitimam ad solutionem recipiendam, & ideo non esse validam, tanquam factam personæ non legitimæ; *leg. qui hominem, §. si gener, leg. vero procuratori, ff. de*

ff. de solution. & cum Alexandro probat Gratian. *tom. 4. cap. 761. n. 18.* tunc enim liberatio non consequitur. Enimvero ex scientia intrusionis in solvente satis ei liquet, efficere solutionem personæ illegitimæ, & exinde soluere inualidè, & illegitimè, ut advertit Gratian. *vbi proxime in d. tom. 4. c. 636. n. 1.*

11 Et insuper in prædicto casu, præter dictam ignorantiam in soluente, voluit etiam Paulus Castrensis in *l. si pro patre, §. versum, ff. de in rem verso*, quem refert & sequitur Iason in *d. l. si urbana, num. 7. vers. limita istam doctrinam Bartoli*, ut etiam sit necessarium, quod taliter solvens, sciat ipsum intrusum, illâ pecuniâ solutâ fraudarum Ecclesiam; & ita quod si non appareat, de tali fraude, sed tantum intrusionem sciuerit, quod tunc talis scientia non præiudicat ei; quominus solutio legitima dicatur: quia illa duo copulatiuè requiruntur, videlicet scientia intrusionis, & quod Ecclesia sit fraudanda illâ pecuniâ solutâ: Et vbi duo copulatiuè requiruntur, non sufficit alterum tantum existere, sed vtrumque simul: *l. qui hæredi plures, ff. de conditionibus institutionum, cum aliis iuribus.*

12 Hanc tamen extensionem non admittit Ripa in *d. responso 10. n. 2.* ex ea ratione, quia si aliquis dignoscit, Petrum esse intrusum, eo ipso, iuris præsumptione dicitur scire, fraudaturum Ecclesiam. Ex quo infert, quod quando Paulus Castrensis adiecit, & fraudaturum Ecclesiam, illud dixit ad maiorem expressionem; non vero ut separari possit scientia intrusionis, à scientia fraudis, Ecclesiæ faciendæ, saltem iuris præsumptione: quod probat ex sequentibus fundamentis. Primo ex textu in *l. quod seruus 11. ff. de positi*, ex quo colligitur, quod si seruus effecerit depositum, potest ei restitui, & depositarius liberatur, nisi habeat malam fidem, & sciat quod seruus, rei depositæ furtum fecisset; nam tunc reddendo seruo rem depositam, non liberabitur, quia eo ipso quod scit seruum commisisse furtum, præsumere debet, illum velle Dominum fraudare re deposita. Eodem ergo modo dicendum est de intruso, nam eo ipso quod est intrusus, appellatur, & vere dicitur fur, & latro, ut probauimus *suprà, q. 30. num. 4.* ac per consequens, ut talis, præsumitur velle fraudare Ecclesiam; & ideo considerationem Pauli Castrensis in illo verificari. Alia ad intentum cumulat Ripa, ex quibus patet, scientiam intrusionis sufficere, ut solutio facta intruso, illegitima iudicaretur, cum ex ipsa intrusione satis inducatur animus fraudandi Ecclesiam: quam

sententiam verissimam iudico.

15 Deueniendo iam ad secundum casum, videlicet de debitis contractibus cum vero Prælato, an debitores soluentes intruso liberentur: dicendum est, nullatenus liberari, ut tradunt Bartol. & communiter Doctores in *d. l. si urbana*, & ideo si Pensionarij, vel emphyteotæ, qui conduxerunt, vel contraxerunt cum vero Prælato, vel Beneficiato, soluerint intruso, non liberantur, ut docet Gratian. *tom. 2. discept. forens. cap. 282. num. 31.* per hæc verba: Et de obligatione soluendi Prælato, quæ tantummodo obligat cum eo, qui sit canonicè institutus, non autem intrusus: Abbas, in *cap. Ego enim, de iureiurando*, cum aliis per Surdum, qui etiam multa similia adducit, *consil. 106. n. 34. cum sequen. lib. 1. & cons. 460. n. 59. vsque ad 68. lib. 4. & c.*

16 Ex qua Gratiani doctrina sequitur, quod solvens intruso, quod vero Titulari soluendum est, non liberatur. Hoc tamen intelligere debes, nisi intrusus esset toleratus per multum tempus, & solutio facta bona fide ex errore communi, iuxta ea quæ diximus *suprà, q. 29.*

17 Alias plures declarationes, & ampliationes cum aliquibus limitationibus adducunt Bartolus & alij Repetentes in *d. l. urbana*, & Innocentius in *d. cap. nihil 44. de electione*, vbi Canonistæ & præcipuè Antoninus *num. 34. vers. quidam sunt Prælati*, & Ripa in *dicto responso 10. vers. circa secundum, num. 6.*

Prima est, ut soluentes intruso quod tenentur soluere vero Prælato, non liberentur, etiam si id efficiant propter iustum metum, deductum ex præcepto Iudicis, vel alterius Superioris laici; secus autem si soluant de mandato Iudicis Ecclesiastici, ut dicimus *infra, num. 21.* Maximè si tales debitores fuerint quantitaris, ut latè probat ipse Ripa *vbi proxime*, & de hoc articulo vide Raphaëlem Fulgosium in *d. l. si urbana*, & Aretinum *cons. 35. incipiente, Viso themate, & puncto: in primo dubio.*

18 Secunda est, quando Pensionarij qui tenentur soluere Ecclesiæ annuam pensionem, intruso in Prælatiura pro legitimo Prælato reputato eam soluisserint: nam tunc etiam liberarentur: argumento text. in *cap. querelam 24. de elect.* & tradunt Henrich. de Boic. post Innocentium in *cap. in literis, num. 10. de restit. spoliatorum.* Et ratio est, quia cum talis intrusus reperitur in possessione Prælati, vel beneficii, potest agere contra negantem pensionem annuam remedio spolij: Menoch. *de recuperanda, remedio 1. num. 82. & 87. cum sequen. vbi*

latè agit de hoc articulo, & Azor. tom. 2. *instit. moral. lib. 8. cap. 1. §. 2.* Olafcus *decif. 99. num. 10.* & alij penes ipsos; sicut etiam contra tertium negantem, soluere illam annuam pensionem, potest intentare interdictum possessorium; vt per Valascum *de iure emphyteutico, q. 32. num. 24.* & similiter potest agere interdicto, *Vnde vi*, contra reuertentem soluere illam pensionem, quæ soluebatur suo antecessori: vt latè probat Menochius *de recuperanda, remedio 1. n. 87. & 160.* Felician. *de censib. lib. 3. cap. 1. num. 8. & seqq.* Nam pro personalibus obligationibus competunt hæc remedia possessoria, vt tradit Ceuallos *commun. contra communes tom. 3. q. 656.*

Ex quibus sequitur, quod cum intrusus, qui non sit notorius, prædictis actionibus agere possit ad petendam annuam præstationem, vel pensionem debitam Ecclesiæ, illam soluentem, rectè soluere, & ideo liberatum remanere ex tali solutione facta intruso non notorio, nec pro tali declarato.

21 Terria declaratio, seu ampliatio est, vt etiam liberetur soluens intruso, quamuis debitum, vel solutio non procedat ex contractu, vel obligatione cum ipso inita, si debitor fuerit conuentus ab ipso intruso, & à Iudice competente condemnatus, vt illi soluat; quia tunc præcisè tenetur obedire sententiæ; cum soluens de mandato Iudicis, liberationem consequatur: vt colligunt communiter Doctores ex Bartolo *in l. creditor, in fine, ff. de solutionibus, & in l. ait Prætor, §. 1. ff. de minoribus, & pluries declarauit Rota apud Caualerium decif. 381. n. 8.* seruatis tamen aliquibus requisitis, relatis ab ipsa Rota *in recentior. p. 1. decif. 345. n. 1. & sequent. & in meis recollectis Peñæ tom. 2. decif. 1062. n. 2. & seqq.*

22 Quodque in tantum est verum, vt locum habeat, etiam si de mandato Iudicis facta fuerit solutio creditori putatiuo, quia tunc soluens liberatur, vt declarauit Rota *in Romana pecuniaria coram Blanchetto, 1. Iulij 1590.* & habetur impressa *in nouiter nouissimarum Farinacij decif. 849. num. 1. in fine*, vbi ita ait: *Qui soluit de mandato Iudicis, etiam si soluat putatiuo creditori, excusatur: Baldus in l. si aquam, n. 26. seu 76. C. de seruitutibus & aqua, Afflictus decif. 150. num. 19. & c.*

23 Quod idem fuit decisum *in alia Romana census 25. Maji 1611. coram D. Peñæ, & habetur in meis recollectis, tom. 2. decif. 1585. num. 2.* per hæc verba: *Vnde remanserat liberatus, per Regulam, quod solutio facta de mandato Iudicis liberat debitorem, & ipsius*

debitoris fideiussores, etiam si solutio esset facta alteri quam vero & legitimo creditori: Bartol. & c. & ad intentum allegat alios plures Doctores idem tenentes.

24 Quod quidem rationi consonum est, aliàs enim quilibet posset illudere mandato Iudicis, & sententiæ contra se latæ, dicendo, & allegando, quod ipse libenter solueret, parendo mandato, vel sententiæ: sed quia scientiam habet quod sit intrusus, vel iniustus possessor, ideo non acquiescit illi, & ideo soluere non vult: quod quidem quam alienum sit à ratione, nemo est qui non videat: ac per consequens admitti non debet, cum resultet contra bonum publicum, dictans, mandatis & sententiis Iudicum parendum esse: *l. res indicata, ff. de regulis iuris, cap. cum inter vos, de sententiæ & re indicata, cap. quanto, de diuorij, cap. sententiæ pastoris, 1. q. 3. Cochier in tract. de iurisdictione ordinaria in exemptos, p. 2. q. 40. num. 7.* & tradunt communiter Doctores *in l. cum prolati, ff. de re indicata*: ac per consequens dicendum est, per solutionem intruso factam à debitore Ecclesiæ in vim sententiæ, vel mandati legitimi Iudicis, liberatum remanere.

25 Notandum est tamen, quod si intrusus extraiudicialiter conuenierit debitorem Ecclesiæ, & ipse soluerit debita, quæ non procedunt ex obligatione, & contractu ab ipsis celebrato, vel ex sententiæ, seu mandato quod fuit per appellationem suspensum, tunc liberationem non consequetur: quia sententiæ, aut mandatum, à quibus fuit appellatum, nec transferunt in rem iudicatam, non præsumuntur lata, vt executioni mandari possint, vt docent Menoch. *de præsumptionibus, lib. 2. præsump. 67. n. 30.* & alij plures relati per Barb. *in collect. ad d. cap. cum inter, de sententiæ & re indicata, n. 5. & in collect. ad cap. dilectis 55. n. 12. de appellat.* & per consequens in tali casu, quando sententiæ, & mandatum Iudicis suspenduntur per appellationem, propter quam exequi non debeant prædicta extensio, & declaratio locum non habent.

26 Ex quibus concludendum est, soluentem intruso, reputato pro vero, & legitimo Prælato, seu beneficiato, debita Ecclesiæ, procedentia ex contractibus per ipsum initis, liberationem consequi: si vero soluar debita resultantia ex contractibus cum ipsamet Ecclesiæ, vel cum vero Prælato celebratis, nullatenus liberari, ex fundamentis, & rationibus supra allegatis, quæ videntur iuri satis conformia.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXIII.

An Prælato agenti nomine Ecclesiæ opponi possit exceptio defectus tituli ex causa intrusionis, ad effectum repellendi eum, ne agere valeat.

S V M M A R I V M.

Exceptio tituli legitimi ad effectum agendi pro Ecclesia opponi potest Prælato, non existenti in possessione Prælaturæ, & tunc onus probandi titulum ei incumbit. n. 1.

Titulum probare tenetur, qui non est in possessione rei, si opponatur de non legitimo titulo, quia tunc est actor, & non habet præsumptionem pro se. n. 1.

Debitores soluentes personæ illegitimæ, non liberantur; & si soluerint, poterunt iterum conueniri; & ideo legitime petere. valent soluentes, vt titulus ostendatur. n. 2.

Electus, & confirmatus ad Prælaturam potest administrare, licet non sit in possessione. num. 2.

Exceptio tituli ad effectum agendi pro Ecclesia obstat Prælato, habenti possessionem recentem Prælaturæ, nam ex quo est recens possessio, cessat præsumptio iusti tituli, & bona fidei, quæ resultat ex longa possessione. n. 3.

Prælato existenti in longa possessione Prælaturæ, non potest opponi exceptio defectus tituli. n. 4.

Quod intellige vt n. 5.

Titulus validus præsumitur ex longa possessione. n. 4.

Nisi ad sit alia legitima præsumptio, quæ debilitet primam. n. 5.

Intrusus toleratus, existens in possessione pacifica, non potest repelli ex defectu tituli, ne agat pro sua Ecclesia. n. 6.

Intrusus toleratus si aliquid egerit nomine sua Ecclesiæ, validum reputatur. n. 6.

Intrusus bona fidei si per aliquod tempus possideat Prælaturam, potest agere nomine Ecclesiæ, nec repelli debet per exceptionem intrusionis, seu defectus tituli. n. 7.

Rector, seu Prælatus existens in possessione Prælaturæ potest agere nomine Ecclesiæ, donec possideat, licet sit dignus, quod à Prælatura amoueat propter homicidium, vel aliam irregularitatem. n. 8.

Titulum legitimum si quis habeat, etiam si non sit iustificatus, non debet repelli ab agendo. n. 8.

Intrusus existens in possessione Prælaturæ,

potest agere contra negantem soluere annuam pensionem ei debitam remedio spolij, & alijs possessorijs. n. 9.



T vera resolutio præsentis quæstionis desumi possit, præmittendi sunt aliqui casus, ex quibus veritas elucescat.

Primus est, quando talis Prælatus non est in possessione Prælaturæ, & tunc opponi potest, quod titulum non habet, saltem legitimum, & onus probandi titulum ei incumbit, vt post Innocentium *in cap. transmissam, de electione*, declarauit Rota *in nouis, decif. 1. alias 4. incip.* Possessor beneficij, *de restitutione spoliatorum, n. 2.* Vbi rationem assignat: quia tunc est Actor, & non habet præsumptionem pro se, quæ illum releuet ab onere probandi titulum, ex quo sit pars legitima ad agendum: *l. actor, de probationibus, l. qui accusare, C. de edendo, & cum debitorum interfit agere, & soluere personæ legitimæ, nam aliàs non liberarentur, & iterum conueniri possent: exinde est, eos habere causam peredi legitimationem tituli, vt latè ex Innocentio *in cap. nihil, de electione*, considerauit Rota *vbi proximè, ad idem Abbas in d. cap. transmissa, de electione*, vbi latè agit de hoc articulo, & *in d. cap. nihil, n. 14.* qui intelligit hunc casum in eo, qui fuit electus & confirmatus: nam talis potest administrare, licet non sit in possessione eoque non obstante potest ei opponi de non titulo.*

3 Secundus casus est, quando talis Prælatus habet possessionem recentem, quia tunc obstat similiter exceptio tituli, quem probare tenebitur, vt post Ioannem Andreæ, & Innocentium *in cap. quia cunctis, in glossa, cum plures, vers. nec obstat, de concessione præbende, & Abbatem in d. cap. nihil, decidit Rota in dicta decisione 1. n. 3.* vbi rationem assignat: videlicet, quia cum talis possessio sit recens, & noua, ex eo cessat præsumptio bonæ fidei, & iusti tituli, quam inducit longa possessio; & ideo sequitur, Prælatum recenter possidentem teneri titulum legitimum, vt nomine Ecclesiæ agere valeat: de quo videndi sunt Innocentius *in cap. 2. in glossa, per Monachos, ad finem, de restitut. in integrum, & Abbas in d. cap. nihil.*

4 Tertius casus est, quando Prælatus existit in antiqua possessione, & tunc non potest ei opponi exceptio defectus tituli, quia ex eo quod in possessione perseuerauit per aliquod tempus, præsumendum est, titulum legitimum habere; nam alias non fuisset à Superioribus toleratus: ex his quæ notat Couarru

Couarruias *in regula possessor. p. 2. §. 10. n. 9. vers. hinc & illa solemnis questio, de regulis iuris in 6.* & Peña *in meis recollectis ipsius tom. 1. decis. 352. num. 4.* per hæc verba: *Difficultas etiam tolli videbatur ex pacifica Possessione per aliquot annos, ex qua etiam resultabat presumpcio tituli validi, &c.* Et hanc conclusionem communiter admittunt Doctores.

5 Sed hoc limitandum, & declarandum est, vt locum non habeat, si contra talem Prælaturam adesset alia legitima presumpcio, debilitans titulum, quem habere reputabatur, veluti si super Prælatura, vel beneficio lis verteret, quia in eo casu iuridicè opponi potest defectus tituli propter litem pendentem, & tunc teneretur illum probare, vt notat Innocentius *in d. cap. transmissam, & in d. c. quia cunctis*, & est de mente Rotæ *in d. decis. 1. alias 4. de restitut. spoliat. num. 3.* vbi congerit alia conducentia ad intentum; & *in fine* concludit, quod licet in tali casu opus sit titulum probare, non esse tamen necessariam tam arctam, & strictam probationem, sicut si ad id principaliter ageretur, sed sufficere aliquantulum de titulo docere, ad effectum agendi, vt *in cap. veniens, el segundo, de testibus.*

6 Quartus casus est, quando intrusus est toleratus, iuxta ea quæ diximus *suprà, quest. 27.* & reperitur in pacifica possessione, nam si ei opponatur exceptio, quod non sit legitimus Prælatus, quia hæreticus, vel simoniacus, aut schismaticus, seu aliquid simile, in tali casu non debet admitti exceptio ad repellendum ipsum, ne nomine Ecclesiæ agere valeat. Enim vero quoties talis intrusus possidens toleratur, omnia quæ gerit sustinentur, ex his quæ diximus *suprà, q. 28. num. 7. & 11. cum sequen.* nam cum aliquantulum Superioris auctoritas superuenierit, & in Prælaturæ possessione reperitur, gesta per eum valida censentur: pro vt latè probauimus *suprà, q. 29.* ergo non potest ipsi opponi exceptio intrusionis, vel defectus tituli ad effectum agendi.

7 His sic constitutis dicendum est, intrusum bonæ fidei (iuxta ea quæ diximus *suprà, q. 29.*) posse agere nomine Ecclesiæ, nec per exceptionem intrusionis, seu defectus tituli repellendum fore, si per aliquod tempus Prælaturam, seu beneficium possideat; vt declarauit Rota *in vna Hiporegien. Capella sancti Martini 27. Februarij 1612. coram D. Peña, & habetur in meis recollectis ipsius tom. 2. decis. 1645. vbi num. 3.* ita ait: *Nec refert, quod Turinus deberet iustificare suum titulum; quia præterquam quod de eo constabat ex literis Apostoli-*

cis suæ prouisionis, fuit dictum, quod licet casus dubitabilis esse posset, quando Re-ctor, vel Prælatus non est in possessione, possit agere nomine suæ Ecclesiæ; Tamen non est dubium quin possit agere, quando est in possessione: tunc enim ei agenti non obstat exceptio, etiam si dignus sit amoueri à Prælatura propter homicidium, vel aliam irregularitatem, iuxta doctrinam Baldi, quam Rota fuit amplexa, in l. 2. num. 68. vers. dic. quod aut quis est Prælatus in possessione, c. de seruitutibus & aqua. Quod non videtur alienum à mente Antiquorum Rotæ Auditorum, vt quando adest titulus, ille, licet non iustificatus, sufficiat: Rota *decis. 18. alias 54. 1. n. 2. de restit. spoliat. in antiquis.*

Ex quibus decisionibus satis liquet resolutio à nobis proximè tradita, quæ etiam confirmatur ex his quæ diximus *suprà, in questione antecedenti, num. 19. & 20.* vbi probauimus, intrusum existentem in possessione Prælaturæ, posse agere contra negantem soluere annuam pensionem, debitam Prælaturæ, remedio spoliij, & interdicto possessorio, & Vnde vi, contra tertium reuocantem soluere, quod antecessori soluebatur, cum hæc actiones orientur ex actionibus personalibus, respicientibus possessionem in qua cum intrusus bonæ fidei, & toleratus reperitur, nihil mirum quod nomine Ecclesiæ agere possit. Et ita concludendum est.

QVÆSTIO XXXIV.

An si literæ monitoriæ, sub pœna excommunicationis fuerint obtentæ, & publicatæ ad instantiam possessoris beneficij, contra quemcunque tenentem, vel scientem res, aut bona ad illud beneficium pertinentia, & non reuelantem, qui non reddit, vel non reuelat res, aut fructus illius, ex eo quod scit talem possessorem esse intrusum, incurrat excommunicationem latam in ipsis literis.

S V M M A R I V M.

Possidens beneficium litigiosum, si obtineat monitorium, vel edictum contra detinentes,



A N C quæstionem mouet Nauarrus *conf. 7. alias 34. sub tit. de sententia excommunicat. tom. 2. pag. mibi 258. in impressis Lug-*

duni de anno 1594. vbi quærit: an si altero ex duobus collitigantibus super beneficio, si is qui illud possidet, ad ipsius instantiam fuerint obtentæ, & publicatæ literæ monitoriales sub pœna excommunicationis contra detinentes, vel scientes detineri res, vel fructus ad beneficium pertinentes, vt reuelent, vel notificent intra certum tempus, alias incurrant dictam excommunicationem, &c. taliter quod si non reuelauerint, vel notificauerint in eam incidant. Cui dubitationi negatiuè respondet: Et licet loquatur in altero ex duobus collitigantibus super beneficio; eius tamen resolutio procedit ex identitate rationis, in alio quocunque possidente, qui careat titulo irrevocabili, & exinde locum habet in terminis propositæ quæstionis.

Rationem reddit ipse Nauarrus, quia per tales literas monitoriales nemo adstringi debet, vt reuelent, aut propalant, quod iuste credit suum esse, vel ad se, aut ad alium pertinere: non vero ad eum, ad cuius instantiam literæ fuerunt prouisæ & publicatæ: sed ei qui caret canonico titulo Prælaturæ, Dignitatis, aut beneficij non debentur fructus, iuxta textum *in cap. 1. de regul. iur. in 6. cap. grauis 11. de restitutione spoliatorum*, ergo neque ille in cuius possessione existunt, tenebitur restituere, ac per consequens nec denuntiare, vel propalare in vim literarum monitorialium.

Secundo probat Nauarrus suam sententiam ex doctrina Diui Antonini *in 3. p. summa, tit. 15. cap. 1. §. 2.* vbi loquitur de intruso, & ita ait *in vers. & Nota quod cum scit quis, possessorem Ecclesiæ, vel Dignitatis, non esse verum Prælaturam, quia in aliquo prædictorum inuolatus: talis sciens, et si subiciatur illi Ecclesiæ, vel Dignitati, tamen in foro conscientie non tenetur ei obedire, nec ei soluere, quod Ecclesiæ, vel Dignitati debetur, &c.* quod idem tenet Syluester *verbo, beneficium, 3.* Ergo ex hac doctrina recte inferitur, quod si non tenetur obedire, vel soluere dicto Prælato detinens bona, aut alias res Ecclesiæ, ex eo quia non est verus Prælatus, multò melius propter literas monitoriales per intrusum obtentas, non tenebitur ei denuntiare, vel reuelare.

Quod quidem extendit ipse Nauarrus *num. 3.* vt procedat nedum in eo, qui scit, obtinentem dictas literas, destitutum esse aliquo legitimo titulo (pro vt in nostro casu intrusionis,) verum & etiam in eo, qui probabili

res, vel scientes res aut bona pertinentia ad illud beneficium, an ex eo oriatur obligatio reddendi, aut denuntiandi illi. n. 1.

Resoluitur negatiuè. n. 8.

Quod idem locum habet in intruso. num. 2. & seqq.

Literæ monitoriales pro rebus deperditis, vel occultis, non obligant eum, qui iuste credit suas esse, vel non pertinere ad eum, ad cuius instantiam fuerunt obtentæ. numer. 3.

Fructus beneficij non debentur ei, qui canonico titulo caret. n. 3.

Prælato existenti in possessione obedire non tenetur in foro conscientie, qui certò scit, non esse verum Prælaturam, quia est intrusus, hæreticus, seu schismaticus, nec ei soluere quod Ecclesiæ debetur. n. 4.

Monitorium sub censuris si obtinuerit intrusus pro rebus deperditis, aut alijs pertinentibus ad beneficium, non obligat eum, qui probabili auctoritate, ratione, seu motiuo firmiter credit, ipsum esse intrusum, vel titulo carere illum, ad cuius instantiam fuit obtentum. n. 5.

Mala fides, qua per litis contestationem superuenit, non nocet bonæ fidei possessoris, secus autem in eo, qui fuerit malæ fidei possessor. n. 6.

Prædo non facit fructus suos, sed pertinent ad verum Dominum. n. 6.

Intrusus est fur, & latro. n. 6.

Edicta, seu monitoria generalia, mandantia vt detinentes res, vel bona aliena, restituant, & reuelent: obligant eos, qui iniuste ea detinent, non vero iustos & legitimos detentores. n. 7.

Monitoria obtenta pro rebus deperditis & occultis, non obligant, si ea obtinuerit qui titulo caret ad illa petenda; sicut nec etiam comprehendunt iustum compensatorem, aut detentorem. n. 7. & 8.

Edicta seu monitoria pro rebus deperditis, &c. introducta sunt ad imponenda remedia fidelibus, vt per hanc viam suis conscientijs consulant restituendo quod iniuste penes se detinent. n. 9.

Detinens rem alienam quoties non incurrit peccatum in non restituendo, pariformiter non incurrit excommunicationem, qua ipsum impellit ad talem restitutionem. numer. 10.

Monitoria pro rebus deperditis, vel occultis concedi non debent excommunicato, aut notorio peccatori, vel intruso. n. 11.

Monitoria pro rebus deperditis, vel occultis conceduntur ad partis instantiam, sine causæ cognitione, vel alicuius aduersarij citatione. n. 12.

babili auctoritate, aut ratione, seu motiua, firmiter credit, quod is qui literas monitorias adeptus fuit, & publicari procurauit, erat intrusus, seu titulo carēs; Nam ad eum effectum æqua læce currunt, scire aliquem non habere ius ad beneficium, vel esse intrusum, aut probabiliter existimare, vel probabili ratione credere, ipsum beneficio carere; argumento textus in *l. illud, ff. de petitione hereditatis*, ubi probatur, quod mala fides, quæ per litis contestationem inducitur, non nocet bonæ fidei possessori, licet noceat ei, qui fuerit possessor malæ fidei: & ideo prædo non facit fructus suos, sed ipsi augent hæreditatem, in fauorem eius, cui restitui debent. Ex cuius textus specie colligitur, quod cum intrusus sit fur, & prædo (vt multoties diximus) sequitur, quod fructus, aut res non debentur intruso, tanquam prædoni, & iniusto possessori, & exinde nec obligationem oriri denuntiandi, in vim literarum monitorialium, ad ipsius instantiam obtenturam.

7 Et ex hoc aduertit Barbosa in *Pastor. p. 3. allegat. 96. num. 3. in fine*, cum Ripa, Lazario, & Vgolino, quod edicta generalia mandantia, vt detinētes bona, vel res alienas, restituant, & reuelent, obligant eos tantum, qui indebitè detinent, vel sciunt detineri illas; non verò eos, qui iustè & legitime. Ex quo inferitur, quod cum per intrusionem, intrusus sit fur, & latro, per consequens erit detentor bonorum iniustus, & ideo edicta non obligabunt ad denunciandum intruso, tanquam carenti titulo ad bona petenda detentori; nec iste erit adstrictus ad denuntiationem faciendam illi, tanquam iniusto detentori.

8 Quod videtur de mente Bonacina, qui *tom. 1. disput. 6. sub titulo de onere & obligatione denunciandi, punct. 1. propos. 2. §. 6. pag. mihi 768.* resoluit, quod ex vi edicti de manifestandis iniustis detentoribus, non tenemur propalare iustum compensatorem, aut alium iustum detentorem: idēque probat (in finitō referens) Barb. in *d. allegat. 96. num. 49. & 72.* & *ibidem* plura ad intentum cumulat: sed in casu proposito, donec lis pendet, nec est decisa, colligans habens iustam causam litigandi non potest dici iniustus detentor, ergo non erit adstrictus ad denuntiationem faciendam colliganti. Quod quidem in intruso locum non habet, nam ex quo est intrusus, non habet legitimam causam possidendi, & ideo tertios detentores non obligabunt literæ monitoriales, vt ei denuntient.

9 Alia plura ad intentum cumulat Nauarr. in *d. conf. 34.* quæ dictam resolutionem

nem enervant, ipsamque verissimam iudico: Enimuero cum hæc edicta introducta sint à iure, vt habetur in Tridentino *sess. 25. cap. 3. de reformat.* (de quo Quaranta in *summa Bullarj, verbo, Excommunicatio ad finem reuelandi*; & latissimè Barb. plura tradens in *d. allegat. 96.*) ad imponenda remedia fidelibus, vt per hanc viam suis conscientis consulant, restituendo quod iniuste pe- 10 nes se detinent, sequitur (iuxta omnium Doctorum sententiam) quod quoties detinens rem alienam non incurrit peccatum, non restituendo, seu eam detinendo, pariformiter esse liberum ab excommunicatione, quæ ipsum impellit ad talem restitutionem faciendam; vt optimè aduertit Ioan. Machado in *su. perfectio confessor y cura de almas, tom. 1. lib. 1. p. 3. tract. 7. n. 3.* Barb. in *d. allegat. 96. n. 81.* & faciunt ad intentum quæ congerit Gutierrez *tom. 1. canon. quæst. cap. 11. à n. 67. & sequen.*

11 Tum & etiam ex eo, quia cum hæc monitoria concedi debeant ad instantiam partis implorantis auxilium Iudicis, vt cum Vgolino, & aliis notat Barb. in *d. allegat. 96. n. 19.* ipse tamen hoc limitat *ibidem. n. 20.* cum Abbate, Marco Antonio Genuense, & Escobar à Corro, vt locum non habeat, si petens monitorium sit excommunicatus, vel notorius peccator.

Ex qua doctrina colligi potest, quod sicut monitoria illis denegari debent, ex eo quia sunt excommunicati, seu peccatores; multo melius dici debet, quod si parti confiterit, obtinentem literas, esse intrusum; non obligari ad denunciandum ei, cum si Iudici constaret de intrusione, eas non concederet; ipsi namque de intrusione constare non potest per petitionem literarum, quæ conceduntur ad partis instantiam, sine cognitione, an petens habeat, vel non, aliquam exceptionem, vt eas obtinere non possit; quas etiam concedit Iudex sine patris citatione: vt tradit ipse Barbosa in *d. allegat. 96. n. 37.* Ergo si Iudici constaret de intrusione, non concederet monitorium; sequitur exinde, quod pars habens notitiam illius, non erit adstrictus ad denunciandum.

13 Ex quibus concludendum est, quod si ad instantiam intrusi fuerint obtentæ, & publicatæ literæ monitoriales, contra scientes, vel detinentes res, aut bona pertinentia ad Prælaruram, Dignitatem vel beneficium, in quo se intrusit, si aliquis sciar, ipsum esse intrusum, & non legitimum aut iustum possessorem, non teneri denuntiare, vel propalare, ex fundamentis & rationibus superius allegatis.

QVÆST.

QVÆSTIO XXXV.

An intrusus acquirat Ecclesiæ ita vt ex contractu, nomine ipsius per eum vtiliter gesto, illo remoto, possit agere verus Prælatus.

S V M M A R I V M.

Intrusus si contractum celebraverit vtilem Ecclesiæ, non poterit Prælatus ex eo agere. *num. 1.*

Contrarium tamen videtur. *n. 3.*

Sed intellige vt *n. 7. & sequen.*

Contractus celebratus per intrusum, in damnum Ecclesiæ, est nullus, & inefficax. *n. 1.*

Scripta hereticorum, & auctororum damnatorum, siue sint bona, siue mala, ipsis damnatis, & illa damnata censentur. *n. 2.*

Contractus celebrati per intrusum, siue sint Ecclesiæ vtilis, siue damnosi, annullari debent in odium ipsius.

Commodum cum incommodo compensari debet. *n. 3.*

Contractum vtilem Ecclesiæ celebratum per intrusum, eo remoto, poterit Prælatus petere, reprobando lesiuum, & admittendo vtilem. *n. 3. & sequen.*

Quod intellige vt *n. 7. & sequen.*

Facta per intrusum in utilitatem Ecclesiæ non annullantur. *n. 4.*

Intrusus quod gessit in utilitatem Ecclesiæ, ei acquiritur, & illo remoto, poterit petere Prælatus verus. *n. 4.*

12 Ecclesiæ si habuerit utilitatem per contractum gestum per intrusum, acquiritur ipsimet Ecclesiæ, sicut per alium quemcumque gesto; nam eo casu, illa ratam habet. *n. 5.*

Sententia lesiua contra Tutorem, qui non habet administrationem, non nocet Pupillo, quia ipso iure est nulla; & ideo non indiget restitutione in integrum; secus autem si in fauorem illius resuleret. *n. 6.*

Prælatus agere non potest ex diuersis contractibus celebratis cum intruso, & cum diuersis personis; admittendo vtilem per viam compensationis, & repellendo lesiuum; secus autem si vnicus, & solus fuerit contractus cum vna, vel pluribus personis, quia tunc compensatio locum habere potest. *n. 7. & 8. & 15.*

Compensatio cum damno tertij fieri non debet. *n. 8. & 11.*

Ecclesiæ ex actibus suis neminem fraudare debet. *n. 9.*

Tract. de Intrusione.

Compensatio ex eodem actu, & cum eadem persona locum habet, non verò cum tertia, & separatim. *n. 10. & 11.*

Iudicium, seu instantia claudicare non potest. *n. 10. & 13.*

Compensatio fieri debet ex utilitate cum lesione: & ideo ex eodem actu non potest quis admittere vtile, & reprobare damnosum. *n. 11.*

Legata plura si alicui fuerint relicta, alia vtilia, & alia onerosa, non potest admittere vtilia, & reprobare onerosa, quia onus cum utilitate compensandum est. *n. 11.*

Avaritia genus est, rejicere in vno eodemque contractu, quod est damnosum, & admittere vtile, quia vnum cum altero compensari debet. *n. 12.*

Vnus & idem contractus, & circa eandem personam non potest claudicare, vt contrahens ipsum admittat pro parte vtili, & illum reprobet pro lesiua. *n. 13.*

Restitutio in integrum semel Ecclesiæ denegata, vltius non debet concedi, nisi ex noua causa superueniente. *n. 13. & 14.*

Vna eademque res vel substantia, non debet diuerso iure censeri, quando eadem militat ratio. *n. 15.*

Intrusus si nomine Ecclesiæ plures celebravit contractus cum vna, vel pluribus personis, non poterit Prælatus compensare vtilem cum lesiuo in præiudicium Tertij, qui contractum iniuit; poterit tamen agere ex lucro, & non ex damno. *n. 16. & seqq.*

Stipulatio vna eademque cum vnica persona celebrata, non potest pro parte approbari, & pro parte reprobati. *n. 17.*

Casus exceptus legis, vel statuti, firmat regulam in contrarium. *n. 17.*

Contractus celebratus à partibus debet transire, & acceptari cum suis oneribus, & utilitatibus. *n. 18.*

Administratio rerum alia est complexina, quæ omnia comprehendit, & in se continet quidquid gerendum est; alia particularis, quando fit circa rem particularem, quæ inter se differunt. *n. 19. & 20.*

Coniunctio, seu illatio relatiua non potest dari inter separata. *n. 20.*

Contractus quilibet habet in se partes correlatiuas, quæ singula per se separari, & existere non possunt. *n. 21.*

Resoluta vna parte contractus, totus ipse resolutus remanet. *n. 22.*



N proposita quæstione dicendum videtur; quod si intrusus contractum celebraverit in Ecclesiæ utilitatem, eo remoto à Prælarura, non possit agere verus Prælatus,

latus, etiam si contractus fuerit gestus in utilitatem ipsius Ecclesie: ex ea ratione, quia contractus celebratus per intrusum, in damnnum suae Ecclesie, est nullus, & inefficax, ut deciditur in cap. alienationes, in fine, 12. q. 2. & in cap. qualiter 17. & ibi Glossa verbo, quidquid, de electione, & diximus supra quest. 30. n. 5. & 6. Ergo pariformiter annullari debent contractus facti in utilitatem Ecclesie, quia contrariorum eadem est disciplina: l. i. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris, l. nihil tam naturale, ff. de regulis iuris, cum vulgatis.

2. Secundo probatur, quia libri, seu scripta Hereticorum, & Auctorum damnatorum, ipsis damnatis, damnantur: & etiam omnia opera per ipsos confecta, ut probat textus in cap. fraternitati 4. de hereticis, & docent Cenedo plures referens in collectanea ad decretales, collect. 4. n. 1. Sanctarel. de heresi, cap. 13. dub. unico, n. 11. vers. obijcies: Quod locum habet, siue libri, aut scripta sint mala, siue bona, & in utilitatem Ecclesie, ut notat Glossa in dicto cap. fraternitatis, verbo, Celestinus, vers. quamvis aliqua utilia, ut tradit Antonius Riccius in tract. de iure personarum, lib. 5. cap. 23. n. 4. Ergo eodem modo dicendum videtur, quod in odium intrusi non debet admitti contractus per ipsos celebratus, etiam si utiliter fuerit gestus in fauorem Ecclesie.

3. Contrarium tamen defendit Glossa in cap. nihil 44. verbo, administret, in fine, de electione, quae ita dubitat, An si quis intrusus acquirat Ecclesie, nunquid & illud cassabitur cum ipso: Et videtur, quod sic, per iura ibidem allegata, & quia commodum cum incommodo compensari debet: l. si negotia, ff. de negotiis gestis, prosequitur Glossa, & ita concludit: Credo quod non cassabuntur nisi ea, quae perperam facta sunt in praedictum Ecclesie; sed utilia remanebunt penes Ecclesiam: quia cum in fauorem Ecclesie talia cassentur, in laesionem eius non debent retorqueri, l. quod favore, C. de legibus, l. si Index, ff. de minoribus.

4. Quod idem ex eadem ratione defendit alia similis Glossa in cap. i. verbo, firmitate, vers. sed pone, de sibi smaticis, ubi eisdem fere verbis concludit: quod non annullantur facta per intrusum, si redundauerint in Ecclesie utilitatem, & ita auctoritate praedictarum Glossarum tradunt communiter Doctores in d. cap. nihil, & praesertim Abbas, n. 16. ubi colligit, acquiri Ecclesie ex contractu utiliter gesto cum intruso: & consequenter posse verum Praelatum ex illo agere. Idemque profiteretur Baldus, n. 12. vers. quare utrum, ubi decidit, quod per

contractum celebratum per intrusum acquiritur Ecclesie, sicut per quemlibet alium gestorem; nam illud quod in fauorem Ecclesie geritur, ipsamet ratum habet: & exinde statim ei est adiudicandum: imò quod utiliter est gestum & consummatum in ipsius fauorem, ipso facto est ratum: argumento textus l. si tutor, C. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. ubi probatur, quod sententia lata contra tutorem qui non habet administrationem, non nocet pupillo, quia ipso iure est nulla, & ita restitutione in integrum non indiget; secus autem si in fauorem pupilli gestum esset: & ita probat Hostiensis in d. cap. nihil. n. 12. & Alexand. in l. insurandum quod ex conventione, ff. de iureiurando.

In hac controuersia, Hostiensis ubi proximè, in d. num. 12. vers. quid autem si cum eadem persona, voluit quod Praelatus agere possit ex contractu celebrato cum intruso, si ipse id effecerit in diuersis contractibus, & cum separatis personis; secus autem si ex vnico contractu, & ex vna eademque persona: quia in primo casu etiam si contractus redundent in utilitatem Ecclesie, & ei fuerint utiles, non poterit verus Praelatus compensare utilem cum damnofo, admittendo primum, & reprobando secundum; quia hoc esset semper lucrum quaerere; nec similiter id efficere poterit per viam compensationis; quia cum personae sint diuersae, compensatio commodi & incommodi nullatenus locum habere potest: Non enim aequum aut rationi consonum est, ut compensatio fiat cum detrimento alterius: enimvero tunc compensatio dici non potest, sed ablatio.

At vero si contractus fuerit celebratus cum eadem persona, tunc compensatio commodi & incommodi exequi possent argumento textus in l. quod si minor 24. §. restitutio, ff. de minoribus, ubi per restitutionem, omnia reponuntur in pristinum statum, praeter ea, de quibus minor laederetur.

Quod idem in casu praesenti dicendum videtur, ut Ecclesia lucrari debeat ex contractibus gestis per intrusum cum eadem persona; non verò damnificari: & ita Praelatus compensatione uti poterit. Et rationem adducit Hostiensis, quia non est aequum, quod Ecclesia in actibus suis fraudem adhibeat, cap. per tuas, §. nos igitur, ubi Glossa, verbo, fraudem, de donationibus; & negari non potest, quod si Ecclesia vellet compensare contractus celebratos cum diuersis personis; ille Tertius, contra quem compensatio utilitatis fieret, fraudatus remaneret. Quod quidem considerari non

potest

potest, si cum eadem persona, ex vnico contractu exequeretur, quia tunc cum sit vnus & idem actus, locum habere poterit, quia tunc iudicium claudicare non debet, & si pro parte utili admitteretur, & pro laesiva reprobaretur, claudicaret utriusque; & ne id accidat, si velit agere Praelatus, uti debet compensatione. Alia circa hunc articulum cumulat Hostiensis, apud quem videre poteris, & penes Ioannem Andream in d. cap. nihil.

11. In hac opinionum varietate, duo casus considerandi sunt, qui ambas sententias amplectuntur, & illis explanatis, in concordiam rediguntur, qui aliquantulum coincidunt cum distinctione Hostiensis proximè relata.

Primus casus erit, si intrusus celebrauerit vnum contractum cum vna eademque persona, tunc enim si Ecclesia ex vna parte laesa reperitur; ex altera verò utilitatem & commodum experiatur; in eo casu legitime poterit agere Praelatus ex contractu celebrato cum intruso, compensando laesionem cum utilitate; non vero petere solam utilitatem sine laesione: hoc namque absurdum esset: ut cum Decio tradit Cardinalis Tuschus littera O. conclus. 144. n. 6. ubi n. 8. probat ex l. neminem 4. & ex l. sed duobus, ff. de legatis 2. quod si alicui ferint relicta plura legata, alia utilia, & alia onerosa, non poterit admittere utilia & reprobare onerosa; ergo similiter in nostro casu dicendum venit de contractu celebrato per intrusum, cum vna eademque persona, ut Ecclesia teneatur compensare utilitatem cum laesione: quod quidem aequitati naturali consonum videtur, alias namque pro aliquo genere auaritia qualificari deberet; recipere enim pro vna parte quod in fauorem suum resularet, & pro alia reicere, & reprobare quod damnosum esset ex eodem contractu, & ex eademmet persona, in damnum & detrimentum ipsius, auaritiam sapere nemo est qui non videat. Et ponderari possunt ad intentum quae notant Mantica de tacit. & ambig. lib. 11. tit. 14. n. 1. vers. quod tamen intellige, & Guttier. de tutelis p. 3. c. 1. n. 84. & Trentacinquus var. resolut. lib. 3. tit. de empt. & vendit. resol. 1. n. 6. vers. in 1. conclusioe circa medium.

12. Quod si alicui ferint relicta plura legata, alia utilia, & alia onerosa, non poterit admittere utilia & reprobare onerosa; ergo similiter in nostro casu dicendum venit de contractu celebrato per intrusum, cum vna eademque persona, ut Ecclesia teneatur compensare utilitatem cum laesione: quod quidem aequitati naturali consonum videtur, alias namque pro aliquo genere auaritia qualificari deberet; recipere enim pro vna parte quod in fauorem suum resularet, & pro alia reicere, & reprobare quod damnosum esset ex eodem contractu, & ex eademmet persona, in damnum & detrimentum ipsius, auaritiam sapere nemo est qui non videat. Et ponderari possunt ad intentum quae notant Mantica de tacit. & ambig. lib. 11. tit. 14. n. 1. vers. quod tamen intellige, & Guttier. de tutelis p. 3. c. 1. n. 84. & Trentacinquus var. resolut. lib. 3. tit. de empt. & vendit. resol. 1. n. 6. vers. in 1. conclusioe circa medium.

13. Praeterquam quod admittere commodum, & reprobare incommodum in eodem contractu, & circa eandem personam, iuris dispositioni non cohæret, quia vnus & idem contractus (ut diximus) non potest claudicare; aut enim totus annullandus & cassandus, vel sustinendus & admittendus est: & semel annullato, vel admissio, locum

Tract. de Intrusione.

habet sola admissio, vel reprobatio: argumento textus in d. l. quod si minor, §. restitutio, ff. de minoribus, & in cap. finali, de in integrum restitutione, ubi restitutio semel Ecclesie denegata, ulterius non conceditur, nisi ex noua causa superueniente; quasi dicatur, quod si ex eadem causa procedat, concedi non debeat: ut cum Anton. probat Riccius in collect. decis. p. 5. collect. 1525. limitat. 1. ubi postquam dixit, quod restitutio semel denegata amplius concedi non debeat, ait: Limita primò, si non ex eadem causa restitutio petita fuit, sed ex diuersa tunc iterum concedendam esse testatur fuisse decisum Anton. Faber, &c. Ergo pariformiter in praesenti dicendum venit, quod si contractus vnicus fuerit celebratus ab intruso cum eadem persona, & ex vna parte fuerit proficuum, & ex altera laesiuus, non poterit Praelatus pro parte utilitatis agere, & pro damnosa reprobare; ex his quae notat Muñoz de Escobar in tract. de ratiociniis, n. 34. & 35. ubi latè agit de materia huius articuli.

Et ratio est, quia vna eademque res non debet diuerso iure censi: l. eum qui ades, ff. de usucapionibus, cap. cum in tua 30. de decimis, & plures referens tradit Barb. in tract. de axiomat. iur. vsufrequent. axiomat. 135. num. 7. & ad intentum ponderari potest textus in cap. quia circa, de privilegiis, ubi loquendo de privilegio generaliter concessio, ita ait. Nec debeat vna eademque substantia diuerso iure censi, &c. Ergo pariter in nostro casu dicendum videtur, ut in eodem contractu non debeat diuerso iure censi vnus & idem contractus, sed quod si velit agere Praelatus ex eo, debeat compensare laesionem cum utilitate: Et in hunc sensum intelligenda venit prima sententia, tenens, non posse agere Praelatum ex contractu celebrato per intrusum, nec Ecclesie acquiri, etiam si utiliter sit gestus, hoc est, ut non possit agere ad utilitatem petendam, nisi ipsam compensando cum laesione: nam in omnem euentum, non potest Ecclesia sibi assumere utilitatem sine periculo laesionis ex illo vnico contractu celebrato per intrusum cum eadem persona, & reicere damnnum, sed vtrumque simul.

Secundus casus est, quando cum diuersis personis, siue cum vna & eadem, intrusus confecit plures, & separatos contractus; quia tunc Ecclesia, & eius nomine nouus Praelatus compensatione uti non debet; ex ea ratione; quia cum sint diuersi contractus, cum separatis, vel cum eadem persona, ex quibus diuersae & separatae actiones oriuntur, poterit agere ex vno contractu qui sit

I 2 lucrosus,

17 lucrosus, & omittit damnosum ipsumque repellere. argumento text. in l. si ita stipulatio 39. ff. de operis libertorum, quem ad intentum Bald. in d. cap. nihil, num. 12. notabilem appellat; & ex eo patet, quod vna eademque stipulatio, cum eadem persona celebrata non potest pro parte approbari, & pro parte reprobari. Ex quo resultat, quod si circa diuersos contractus stipulatio vel obligatio facta fuerit, locum habere possit admissio vnus, & reprobatio alterius; quod quidem deducitur ex dicto textu, ex illo iuris dictorio, quod casus exceptus legis, vel statuti, firmat regulam in contrarium: l. nam quod liquide, §. finali, ff. de penultima legata, l. quæsitum, §. idem respondit, ff. de fundo instructo, cum vulgatis.

18 Vnde cum dicta lex si ita stipulatio, illud disponat in vna stipulatione, per eandem personam celebrata, dicendum videtur, quod diuersimodè iudicari debeat in diuersis, & separatis stipulationibus, ab vna, vel à diuersis personis celebratis. Enimvero cum quilibet contractus transire, & acceptari debeat cum suis oneribus, & utilitatibus, l. Iulianus, l. Caius, ff. de manumissis testamento, l. Pomponius, §. 1. de acquirenda possessione, l. fin. §. fin. ff. de contrahenda emptione, cum aliis pluribus, & notat Gloss. in l. si negotia, 11. verbo, lucrum, ff. de negotijs gestis; sequitur, quod ex eodem contractu onus & utilitas separari non possunt per contrahentes; secus autem ex diuersis & separatis ex rationibus superius traditis.

19 Et videntur prædicta de mente Riccij in d. 5. p. collect. 1525. vers. limita primo, cuius verba retulimus supra num. 14. & concludunt tradita per Baldum in d. cap. nihil, num. 13. vbi distinguit; quod alia est administratio complexiua, quæ omnia comprehendit, & in se continet quidquid gerendum est, & eo modo videtur quod intrusus administrat rem in qua se intrusit; nam ipse tanquam prædo se gerit ad usurpandum omne id, quod ex ipsa re procederet; quo casu cum separatio actionum oriatur ex quolibet distincto contractu, per ipsum inito cum diuersis personis, vel cum eadem ex diuersis contractibus, poterit Ecclesia approbare illos, qui separationem recipiunt, & ei fuerint viles; & alios reprobare: iuxta textum in l. si pupilli 6. §. si quis pecuniam, & §. sed & si quis negotia, ff. de negotijs gestis.

20 Alia autem est administratio particularis, veluti quando fit circa rem particularem in qua non detur separatio, sed vniformis coniunctio, exinde non poterit ad vnâ partem dari admissio, & ad

aliâ reprobatio, & ex hac doctrina colligitur, quod ex contractu vnico, ab intruso celebrato, non poterit Prælatus separare utilitatem à damno, sed debet vel in totum admittere, vel in totum reprobare, ex his quæ diximus supra, & conducunt quæ notat Guttierrez in tract. de tutel. p. 3. c. 1. n. 84. & patet ex iuris regula, quod inter eadem datur coniunctio, non verò inter diuersa; in quibus nulla consideratur illatio, seu coniunctio relatiua: L. Papinianus 21. ff. de minoribus, cum vulgatis: & cum Surdo conf. 150. num. 94. libro 1. tradit Gratianus tom. 3. discip. forens. cap. 516. num. 6. & cap. 524. num. 57. & 58.

Et cum vnus idemque contractus habeat in se partes correlatiuas, quæ singulæ per se separari, & existere non possunt, iuxta text. in l. fin. ff. de acceptilationibus, ex quo probatur, quod resoluta vna parte contractus, totus ipse resolutus remanet; dicendum venit, non posse Prælatum agere parte vtili, reprobando inutilem, ex vno eodemque contractu celebrato per intrusum; bene tamen ex pluribus initis cum vna, vel pluribus personis.

Et ita concordantur dictæ opiniones: videlicet prima (de qua supra num. 1. usque ad 3.) tenens, quod ex contractu celebrato per intrusum non possit agere Prælatus pro Ecclesia, etiam si vtiliter fuerit gestus, vt intelligatur, quado contractus fuit vnicus, quod non possit pro parte vtili admitti, & pro læsiua reprobari; secus autem si plures fuerint contractus cum vna vel diuersis personis, tunc enim cum separationem recipiant, poterit Prælatus, si voluerit, agere ex contractu vtili Ecclesiæ, & non agere de damno, & læsiuo; & in hunc sensum locum habet secunda sententia, docens, posse Prælatum agere ex contractu vtili Ecclesiæ, celebrato per intrusum, & reprobare læsiuum & damnosum. Ex quibus ita resoluendum videtur.

QVÆSTIO XXXVI.

An actio quæ competit vero Prælato ex contractu vtiliter gesto per intrusum, competat ei sine cessione.

SVMMARIVM.

Cessio actionum an sit necessaria, ad hoc vt verus Prælatus agere possit, n. 1.

Resoluitur negatiuè, num. 3. & sequen.

Prædo

Prædo si locauit rem, restituere tenetur Domino quidquid ipse percipere potuisset, si possedisset, vel cedere actiones. n. 2.

Prælatus verus potest agere ex contractu celebrato per intrusum sine ipsius cessione, n. 3.

Res empta ex pecunia militis, ex speciali priuilegio, potest ab ipso vindicari, aut pretium petere. Quod extendit ad minorem, furiosum, vel alium quemcunque, qui sit sub cura, vel administratione alterius. n. 3.

Pupillo acquiritur sine cessione vtilis actio ex stipulatione de re pupilli facta per Tutorem. num. 4.

Res empta per tutorem, seu curatorem ex pecunia pupilli, minoris, & aliorum, qui sub cura alicuius sunt, eis acquiritur, illorumque hæredibus, taliter quod ipsi poterunt eam vindicare. n. 5.

Clerici, & Ecclesiæ gaudent eisdem priuilegiis, quibus vtuntur milites, & alij priuilegiati. n. 6.

Priuilegium concessum militibus secularibus, conceditur etiam militibus Dei, hoc est Clericis. n. 6.

Locatio de re Ecclesiæ si fuerit facta per intrusum, eo remoto, poterit Prælatus sine cessione ex illa agere. n. 7.

Cessio rei requiritur in mala fidei possessore in fauorem veri Domini, vt iste agere possit, dummodo sit in re priuata. n. 7.

IN quæstione antecedenti resolutum reliquimus, in quibus casibus poterit Prælatus agere ex contractu vtiliter celebrato per intrusum in fauorem Ecclesiæ, eo remoto à prælatura; nunc verò succedit inquirendum an taliter competat actio, quod verus Prælatus possit agere sine cessione intrusi? Et videtur dicendum, necessarium esse cessionem ex dispositione textus in l. Iulianus, ff. de petitione hæreditatis.

2 Ex quo textu deducit Bartolus in l. si urbana prædia 55. ff. de conditione indebiti, n. 2. quod si Prædo locauit rem, tenetur Domino restituere quidquid ipse percipere potuisset, si possedisset, vel cedere actiones; & ita ait: Puto, quod sit in electione Domini, vel agere ad pensiones, vt l. si nauis in fine, ff. de rei vindicatione: vel agere ad pensiones, quas ipse prædo percepit, seu vt cedat actiones contra eos, quibus prædo locauit, l. Iulianus, ff. de petitione hæreditatis &c. Ex qua doctrina Bartoli colligitur, quod cum intrusus sit prædo, opus erit cessione ipsius, vt Prælatus agere valeat.

3 His tamen non obstantibus, contrarium dicendum est, videlicet talem cessionem intrusi non esse necessariam: quod quidem

Tract. de Intrusione.

probat ex l. si vt proponis 8. C. de rei vindicatione, ex qua deducitur, quod res empta ex pecunia militis, ex speciali fauore potest ab ipso milite vindicari: quod quidem etiam locum habet in Minore, furioso, prodigo, & aliis, qui sub cura, & administratione alterius sunt: vt plura referens, & varia iura allegans tradit Antonius Gomez ad l. 53. Tauri, num. 36. quem cum aliis refert Guttierrez in tractatu de tutel. p. 3. cap. 1. n. 83. & Mantica diuersos casus referens, de tacitis, & ambiguis conventionibus, lib. 11. tit. 14. n. 1. & sequen. ergo similiter dicendum venit, quod fauore Ecclesiæ, non sit opus, vt intrusus cedat, ad hoc vt, illo remoto à Prælatura, agere possit verus Prælatus.

Secundò probatur ex l. & si Tutores, C. 4. quando ex facto tutoris minores &c. ex quo colligitur, quod sine cessione, vtilis actio acquiritur pupillo ex stipulatione tutoris, facta de re pupillari; vt late disputat Alexander Trentacinius variar. resolut. lib. 3. sub tit. de emptione, & venditione, resolut. 1. n. 6. vers. in prima conclusione, vbi probat, quod res empta ex pecunia pupilli, Minoris, furiosi, vel prodigi, per tutorem, curatorem, seu administratorem, eis acquiritur & successiuè ipsorum hæredibus; taliter quod illi poterunt rem vindicare: Attamen esse in ipsorum electione, an velint rem, vel pecuniam petere: quod idem tenent Guttierrez & Antonius Gomez vbi supra, & late Franciscus Muñoz de Escobar in tract. de ratiocinijs, cap. 14. n. 34. ergo non est necessaria cessio, & per consequens idem videtur dicendum in proposita quæstione.

Tertiò facit ad intentum; nam Clerici gaudent eisdem priuilegiis, quibus vtuntur milites, minores, & alij priuilegiati: vt cum Bartolo, & Abbate, & Antonio Corsetto tradit Trentacinius vbi supra in d. resolut. 1. qui postquam num. 1. dixerat, rem emptam ex pecunia mea, non esse meam, & ideo quod à me vindicari nõ possit: postmodum adducit varios casus in quibus vindicatio locum habere possit: prosequitur n. 5. in fine, & ita cõcludit: Hac conclusio procedit etiam (videlicet quod vindicatio locum habet) in quolibet Clerico, quia priuilegium concessum militi seculari, extenditur ad militem Dei &c. Quod idem locum habet in Ecclesijs, vt tradunt Antonius Gomez in d. lege 53. Tauri, n. 36. vers. tertius casus est, optime Cardinalis Tuschus litera E. conclus. 139. n. 4. & sequen. præcipuè n. 13. & alij plures; ergo Prælatus non indiget cessione intrusi, ad hoc vt agere possit.

I 3

Et

7 Et in terminis propositæ quæstionis ita ipsam decidit Bartol. in d.l. si urbana 55 ff. de conditione indebiti, num. 5. cuius verba quia decisiva sunt, transcribam; quæ talia sunt: Queritur; an ex locatione talis intrusi competat actio vero Abbati? dico quod sic, sine cessione, & hoc favore Ecclesie &c. Ex qua Bartoli doctrina, & fundamentis superius relatis, ita decidendam iudico præsentem quæstionem.

8 Nec obstat d. l. Iulianus, ff. de petitione hereditatis: Quia loquitur in prædone, & malæ fidei possessore rei, priuatæ personæ, in qua requiritur cessio; secus autem in Ecclesia, cuius bona seu res, non sunt, nec considerantur priuatæ personæ, sed multarum contentarum in ipsamet Ecclesia: & ita d. l. Iulianus declarat, & intelligit Bartolus ubi proximè, n. 2. & 6.

Ex quibus concludendum est, verum Prælatum posse agere, & ei competere actionem sine aliqua cessione, ex contractu per intrusum vtiliter gesto in fauorem Ecclesie, in qua se intrusit.

QVÆSTIO XXXVII.

An pactum factum cum Prælato intruso, eo remoto à Prælatura, proffit, vel noceat vero & legitimo Prælato.

S V M M A R I V M.

Pactum factum cum Prælato, aut alio quocunque intruso, nec nocet nec prodest vero Prælato, n. 1.

Sed contrarium est verius, n. 4. & sequen.

Pactum factum per heredem putatiuum neque nocet, neque prodest legitimo heredi, n. 2. & 3.

Quod intellige ut n. 5.

Pacta quæ sunt personalia, si in fauorem vnius fuerint emissa, aliis non profunt, n. 3.

Pactum constitutum ab herede possessore, licet non legitimo, transfertur ad eum, ad quem ex postfacto hereditas peruentura est, n. 4.

Hæres bonæ fidei si pactum inierit ei lucrosam, non transit in verum heredem; secus autem si sit malæ fidei, quia propter eam, refunditur in verum heredem, n. 5.

Quod locum habet, etiam in intruso in Prælatura, n. 6.

Transactio nociua facta cum herede putatiuo, non porrigitur ad verum heredem, n. 7.

Pactum factum cum intruso non nocet Ecclesie, si ei sit damnosum; valet autem si vtile

& proficuum, & eo casu agere poterit verus Prælatus in vim illius pacti, n. 8.

Pactum factum cum eo qui aliquo particulari privilegio non fuerit munitus, nec nocet, nec prodest successoribus, qui non habet ius ab eo, num. 9.

IN proposita quæstione dicendum videtur, quod pactum factum cum Prælato, vel Beneficiario, aut alio quocunque intruso, nec nocet, nec prodest vero & legitimo Prælato, aut Beneficiario, ex dispositione textus in l. si tibi decem 17. §. cum possessor, ff. de pactis, cuius verba sic se habent: Cum possessor alienæ hereditatis pactus est: Heredi, si euicerit, neque nocere, neque prodesse plerique putant, &c.

Ex quibus verbis colligunt communiter 2 Doctores, quod pactum factum per heredem putatiuum, neque prodest, neque nocet vero heredi, ut aduertit Barbof. in collect. ad textum in l. si actionem 24. num. 1. C. de pactis, ubi num. 3. ex Calda Pereira de potest. eliger. cap. 9. num. 6. rationem reddit, 3 videlicet, quia pacta sunt personalia, & in fauorem vnius emissa, aliis non profunt: l. si vnus, §. ante omnia, ff. de pactis; vnde cum ille hæres qui pactum inierat in d. §. cum possessor, esset intrusus, exinde nec nocebat, nec proderat vero heredi, quia erat pactum personale, & in eius fauorem emissum; ex quo non potuit egredi ipsius personam; vtilitè variis exemplis comprobatur ipse Barbosa ubi proximè, num. 4. & sequen. Ergo in proposita quæstione idem dicendum videtur, videlicet, quod pactum factum cum intruso, neque nocet, neque proderit vero Prælato.

Contrarium autem suadetur ex l. si post 4 constitutam 22. ff. de constituta pecunia, ex quo patet, quod pactum constitutum ab herede possessore licet non vero, aut legitimo, debet transire, & transferri ad eum, ad quem hereditas ex post facto peruentura sit, sed in eo textu ille hæres qui pactum constitutæ pecuniæ iniuit, erat etiam intrusus, & non legitimus possessor, & eo non obstante decidit ibidem Paulus Iuriconsultus quod transfertur ad eum, ad quem hereditas peruentura sit; ergo similiter in nostro casu debet transire ad verum Prælatum.

Hanc contrarietatem componere intendit Glossa in d. l. si tibi, §. cum possessor, verbo, putant, ut intelligatur de bonæ fidei possessore hereditatis; quia tunc pactum factum cum putatiuo bonæ fidei herede, nec nocet, nec prodest ei, qui vere hæres futurus

futurus fuerit; secus autem in malæ fidei possessore hereditatis, ut in d. l. si post constitutam, quia tunc propter odium malæ fidei, datur transmissio.

6 Ex quibus Angelus in d. §. cum possessor, voluit, quod ex dispositione illius textus locum etiam habeat eius dispositio in intruso in Prælatura, aut beneficio, taliter quod neque noceat, neque proffit vero Prælato: eum sequuntur Paulus Castrensis, & Iafon, idemque etiam voluit Alexander in l. iusurandum quod ex conuentione, §. Pupillus, num. 5. in glossa, ibi, omnia casus sunt, &c. ff. de iureiurando; quod est etiam de merte Iafonis in l. si urbana prædia, n. 12. vers. item adde quod notat Angelus, ff. de conditione indebiti, apud quem videbis hunc articulum; & ibidem aduertit, quod pactum

7 Prælati intrusi non nocet vero Prælato, sumpto argumento de textu in l. Imperatores 3. §. finali, ff. de transactionibus; ex quo constat, quod nociua transactio, facta cum herede putatiuo non porrigitur ad verum heredem, ergo idem dicendum videtur in intruso.

8 His sic constitutis dicendum iudico in præsentem quæstione, & dubio, quod pactum factum per intrusum, si sit damnosum & in ipsius præiudicium, non nocet Ecclesie; atamen si sit proficuum, agere poterit verus Prælatus, remoto intruso à Prælatura. Quod videtur probari ex d. l. Tutores, §. finali, ff. de transactionibus, vnde patet, quod transactio nociua celebrata cum putatiuo herede, non extenditur ad verum heredem; ergo multo melius idem resoluendum est in fauorem Ecclesie. Quod quidem intelligendum venit cum distinctionibus, de quibus supra, q. 35. num. 7. & sequen. Hocque extendendum venit, vt locum habeat, siue intrusus sit bonæ, vel malæ fidei, quia cum id principaliter fiat fauore Ecclesie, nihil interest, an in illo sit bona, vel mala fides.

Quam sententiam tuetur Paulus Castrensis in d. l. iusurandum quod ex conuentione, §. Pupillus, num. 9. vers. in gloss. finali, ff. de iureiurando, qui licet contrariam docuisset in d. l. si tibi decem, §. cum possessor, ff. de pactis; tamen in d. §. Pupillus, voluit, quod d. §. Possessor, locum habeat in personis non privilegiatis; non verò in privilegiatis, sicut est Ecclesia, ad effectum vt Prælatus intrusus acquirat ipsi Ecclesie, & contractus per illum celebratus sustineatur, quatenus vtilis fuerit: non verò quatenus læsiuus, vt diximus supra in d. q. 35. num. 3. & sequen. & patet ex his quæ notant Doctores in cap. nihil 44. & ibi Glossa verbo, admini-

stret, circa medium, vers. sed si quis intrusus, de electione.

Ex quibus patet responsum ad ea quæ 9 superius diximus, num. 1. vsque ad 3. pro opinione dicente, quod illud pactum nec nocet, nec prodest; quia intelligi debet de illis, qui aliquo particulari privilegio non fuerint muniti; vt patet ex verbis dicti §. cum possessor; secus autem si fuerint privilegiati: Cum igitur Ecclesia ex speciali iure privilegiis utatur, vt diximus in quæstione antecedenti, num. 6. nihil mirum, quod eius fauore pactum factum cum Prælato intruso, si fuerit proficuum & vtile, ei proffit; si vero fuerit læsiuum & damnosum, non noceat, nec aliquod præiudicium inferat, ex fundamentis supra ponderatis.

QVÆSTIO XXXVIII.

An iuramentum præstitum intruso, transeat ad verum Prælatum.

S V M M A R I V M.

Iuramentum præstitum intruso, remoto eo à re in qua se intrusit, non transit in verum & legitimum Prælatum: sicut & etiam præstitum vero Prælato, non transit in intrusum, n. 1. & 3.

Episcopi & alij Prælati, tam exempti quam non exempti, in ingressu præstant iuramentum fidelitatis, & obedientie Sedi Apostolicæ, n. 2.

Iuramentum præstitum Prælato, canonicè intranti, non obligat quoad Prælatum intrusum, n. 2.

Alienationes, & alia facta per Prælatum intrusum, sunt nulla & irrita, n. 3.

Intentio & mens iurantis inspicienda est, vt cognoscatur, an iuramentum obliget, vel non; quia promissum extenditur tantum ad illud, ad quod cogitatum est, n. 3. & 8.

Intrusus in Prælatura non potest dici successor, quia caret titulo, ex quo successio originem habeat, n. 3. 4. & 8.

Iuramentum si sit præstitum immediatè contemplatione Dignitatis, transit in quemcunque successorem illius, etiam si non fuerit facta mentio successorum, n. 5.

Dignitas non variatur, ex variatione personarum, n. 5.

Delegatio facta Dignitati, non expresso nomine proprio, transit in successorem, n. 6.

Iuramentum præstitum intruso sub nomine Dignitatis, & immediatè contemplatione ipsius, & non personæ, transit in successorem, n. 5.

Iuramentum præstitum Petro, eiusque successoribus, obligat non solum quoad Petrum, sed & etiam quoad successores. n. 8.

Intrusus non est legitimus possessor, & ideo ab eo non datur successio. n. 8.

Non entis nullæ sunt qualitates. n. 8.

Iuramentum præstitum expresso nomine proprio, non facta mentione successorum, si fiat in re, & non in persona existente in possessione, transit in successorem heredem, vel Dominum respectu Vasalli. n. 9.

Quod in intruso locum non habet. n. 10.

Prælati verus licet succedat intruso in re; proprie tamen dici non potest ipsius successor. num. 11.

Successio est subrogatio in locum, & ius immediati possessoris. n. 11.

Intrusus quamvis videatur possidere rem, in qua se intrusit, non tamen vere, cum ipse tanquam prædo sit violentus. n. 12.

IURAMENTUM præstitum intruso, eo remoto à Prælatura, vel re, in qua se intrusit, non transire in verum & legitimum Prælaturam fatendum est; sicut nec etiam præstitum vero Prælato transit in intrusum. Huius conclusionis utraque pars probatur ex text. ² in cap. ego N. de iureiurando, ex quo colligitur, quod Episcopi & alij Prælati, tam exempti, quam non exempti in ingressu ad Prælaturam præstant iuramentum fidelitatis, & obedientiæ, Sedi Apostolicæ, & Domino Papæ, eiusque successoribus, canonicè intrantibus (de quo & eius formula agunt Cenedo in collect. ad Decretal. collect. 108. num. 1. & Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici, p. 2. cap. 10. de iuram. n. 15. & alij per ipsos allegati.) Ergo ubi canonicè non intrauerint sed violenter & contra ³ canonicas sanctiones, effectus iuramenti in illis operari non poterit: argumento textus in cap. alienationes, l. 1. q. 2. ubi alienationes, & alia facta per intrusos, sunt nulla, irrita, & inania: & exinde sequitur, iuramentum ex eis non obligare, quia cum mens & intentio iurantem inducat obligationem resultantem ex ipso iuramento, illud, aut promissa non extenduntur, nisi tantum ad ea, de quibus cogitatum est; vt probat Glossa in cap. ad nostram 2. l. verbo, in mente, de iureiurando, & notat Tiraque. plura congerens more solito, in l. si unquam, in præfatione, num. 170. C. de reuocandis donationibus, latè Thomas Sanchez in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 3. cap. 10. à n. 15. & sequen. Sequitur dicendum iuramentum factum intruso non transire ad verum Prælaturam; nam iurans se obligauit sub prætex-

tu, quod talis intrusus erat legitimus, & canonicus possessor, vnde cum sit prædo, & iniustus detentor rei, in qua se intrusit, nec obligatio subsistit, nec ipsum iurantem ligat iuramentum, ac per consequens cessat transmissio respectu veri Prælati, ex iuramento præstito intruso; & similiter respectu ipsius, pro iuramento præstito antecessori eiusdem intrusi, qui fuit legitimus Prælatus, ad hoc vt contra iurantem agi possit; cum ille, qui sit intrusus, successor ⁴ & legitimus, ex quo ipse constituatur in esse vero, & formali tituli successoris; & ita prædictam sententiam tuentur Bal. in d. et. cap. ego N. n. 5. per text. in l. si urbana, ff. de conditione indebiti, quem refert & sequitur ibi Iason in 6. notabili, & n. 12. in vers. item adde, & c. Quod idem probat Alexander de Neuo in d. c. ego N. n. 10. vers. tertio noto, & ibidem Abbas n. 2. vers. etiam, ex hoc, & Anchar. n. 2. in 3. notabili, qui omnes prædictam conclusionem pro utraque parte amplectuntur.

Ego tamen distinguendum iudico; aut ⁵ enim iuramentum præstitum fuit intruso contemplatione Dignitatis tantum; & tunc transire debet in verum Prælaturam, licet nulla fiat mentio successorum, ex ea ratione, quia Dignitas non variatur ex variatione personarum, argumento textus in cap. Quoniam 14. de officio, & potestate iudicis delegati. ubi delegatio facta Dignitati, & non expresso nomine proprio, transit ad successorem: idemque probatur ex cap. requisiti 15. ubi latè Couar. de testam. & in cap. quamuis pactum. p. 1. §. 5. vers. tertio constat, & copiosè tradit Sayrus in clauis Regia, lib. 5. cap. 6. num. 19. vers. secundum si alicui sub nomine & ratione Dignitatis, & c. & comprobant communiter Doctores, & optimè aduertit idem Card. Tuschus tom. 6. lit. R. conclus. 265. n. 74.

Ex quibus in præsentem quæstione dicendum iudico, quod si iuramentum fuerit præstitum intruso, sub nomine, & contemplatione Dignitatis, transeat in verum Prælaturam, cum in tali iuramento immediatè consideretur ipsa Dignitas, quæ quidem primariò, & de per se censetur contemplata; intrusus autem aut legitimus Prælatus quoad se, & ipsius substantiam, tunc nihil ponunt in esse, ac per consequens tale iuramentum transmissioem admittet, propter fauorem ipsius Ecclesiæ, de cuius utilitate agitur, & eo in casu ipsamet Ecclesia de per se ratum habet, ex his quæ diximus ^{supra}, q. 35. n. 5. & sequen. & q. 37. antecedenti, num. 8.

Secundus

⁸ Secundus casus est, quando iuramentum præstatum ad terminos dicti cap. ego N. videlicet: Iuro tibi, & successoribus tuis canonicè intrantibus obedientiam & fidelitatem, & c. & tunc obligat quoad ipsum, & quoad successores, vt latè tradunt Suarez tom. 2. de Religione, lib. 2. sub tit. de iuramento promissorio, cap. 3. num. 16. Couarruias in cap. quamuis pactum, p. 1. §. 5. num. 4. & 5. Filliucius tom. 2. tract. 2. 3. cap. 8. num. 225. & alij plures: Attamen cum robur iuramenti defumi debeat ex animo, & voluntate iurantem, vt diximus ^{supra}, num. 3. sequitur, quod cum intrusus non sit legitimus possessor, sed violentus, & Prædo, ab eo non datur successio: vt patet ex superius dictis num. 3. & 4. Ideo ex ea parte iuramentum non obligat quoad successores, qui tales dici non possunt; nam ab intruso, tanquam à fure & latrone successio dari non potest; vt patebit ex infra dicendis, num. 10. & sequen. tum & etiam ex eo, quia non entis nullæ sunt qualitates, l. 2. ff. de usufructu, l. Pomponius, §. finali, ff. de acquirenda possessione: vnde cum talis intrusus canonicè non intrauerit, exinde oritur, quod obligatio iuramenti admitti non debeat, vt sit transmissibilis, & per consequens quod neque in tali casu refundatur in verum Prælaturam.

⁹ Tertius & vltimus casus est, quando iuramentum præstatum expresso nomine proprio, & nulla facta mentione successorum, & tunc si fiat in re ad Dignitatem tantum pertinente, cui immediatè pertinet, non verò personæ existenti in possessione; in tali casu voluit Couarru. in dict. cap. quamuis pactum, l. p. §. 5. num. 5. & in d. cap. requisiti num. 2. quod transeat in successorem, per text. in d. cap. veritatis 14. de iureiurando, ibi: Nobis vel alicui successorum, & c. Sed licet hæc doctrina procedat in heredem eius cui iuratum fuit, vt tunc vinculum iuramenti in ipsum transeat; vt docet Couarru. ¹⁰ ubi proximè, idemque dicendum veniat in Vassallo quoad iuramentum fidelitatis præstitum Domino, sine aliqua successorum mentione: nam eo non obstante transit in successores: quod quidem in intruso non habet locum, quia cum sit Prædo, & iniustus possessor, non est verum dicere, iuramentum obligare iurantem pro successoribus intrusi, cum respectu ipsius non detur successio rei in qua se intrusit, vt diximus ^{supra}, num. 4. & 8. & patet ex text. in l. ait Prætor, & l. sequenti, ff. de iureiurando, ibi: Neque in eum qui iurauit, neque in eos, qui in locum eius, cui iurandum delatum est succedunt, etiam si in rem successerint, & c.

Ex quo textu colligo, quod quamuis ¹¹ verus Prælatus succedat intruso, in re, in qua se intrusit; propriè tamen successor dici non potest, cum successio sit subrogatio in locum, & ius immediati possessoris antecessoris: l. Gallus 24. §. videndum 14. & §. sequenti, ff. de liberis & posthumis, cum aliis. Et quamuis intrusus videatur aliquo modo insistere in re; verè tamen non possidet, cum ipse tanquam prædo sit iniustus, & violentus; & per consequens, in ipsa intrusione successio dari non potest.

Ex quo sequitur, quod iuramentum præstitum intruso, non extenditur vt transeat ad verum Prælaturam, nisi illud factum fuerit immediatè, & principaliter ipsimet Dignitati, vel Officio, sine cõtemplatione, vel dependentia personæ, quo casu ipsamet Dignitas operatur transmissioem, ex dictis ^{supra}, n. 7. & seqq. Secus autem in aliis iuramentis, in quibus contemplata remanet quoquomodo persona ipsius intrusi, quia tunc iuramentum ei præstitum, nullatenus transit in verum Prælaturam, ex fundamentis superius allatis.

QVÆSTIO XXXIX.

An si Papa scribat alicui tanquam Prælato, & ille sit intrusus, obliget tale præceptum, seu mandatum, verum & legitimum Prælaturam.

S V M M A R I V M.

Papa si scribat, vel inbeat aliquid intruso, non obligat verum Prælaturam. n. 1.
Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 4. & sequen.
Iudicium si agitatum fuerit pro pupillo cum tutore non legitimo, erit nullum, & sententia inefficax. n. 2.
Restitutio in integrum non est necessaria pupillo, quando causa ex qua petitur est nulla de iure. n. 2. & 8.
Iudicium est nullum si fuerit agitatum cum tutore, qui se gerebat pro tali, cum verè non esset tutor; & si sententia lata fuerit, non nocet pupillo. n. 3.
Relicta à tutore nomine tutorio, videntur relicta à pupillo, & ideo valent, licet tutoris datio non sortiatur effectum. n. 4.
Mandatum factum per legitimum Superiorem, si non fuerit personale, & immediatè personæ, obligat Prælaturam, & Ecclesiam. n. 4. & 5.
Tutor vel curator minus legitimi repræsentant minorem,

minorem, vel pupillum, taliter quod per illos grauati censentur. n. 4.

Mandatum factum intruso per Superiorem legitimum obligat verum Prælatum, etiam si fuerit factum taliter quod habeat respectum ad personam, & insimul ad Dignitatem. num. 5.

Delegatus si citauerit aliquem ad certum diem, tenebitur citatus comparere coram subdelegato ab eo, quia eius personam representat. n. 6.

Legitimitas persona est necessaria in iudiciis ad hoc, ut cum ea agi possit, alias sententia erit nulla. n. 7.

Iudicium si fuerit agitatum cum persona non legitima, non afficit tertium. n. 7.

Res inter alios acta, tertio non præiudicat. num. 8.

IN proposita quaestione dicendum videtur, quod si Papa, vel alius legitimus Superior scribat, vel iubeat aliquid intruso, non obligat verum Prælatum: quod quidem probari potest ex *l. si tutor 4. C. in quibus causis restitutio in integrum non est necessaria*; ex quo deducitur, quod causa, seu iudicium est nullum & inefficax, quando agitatum fuit cum tutore non legitimo; & ita concludit textus: *Frustra ergo in integrum restitutionis auxilium desideras, quando ea qua ab eo gesta sunt, qui legitimi administratoris personam sustinere non potuit, ipso iure sunt irrita*: &c. Et ita aduertit Maranta de ordine iudiciorum, p. 4. distinct. 16. num. 52. quod iudicium dicitur nullum, si fuerit agitatum cum tutore, qui se gerebat pro vero & legitimo tutore, & verè talis non erat; tunc enim si sententia fuerit lata, erit nulla & irrita. & ideo non nocebit pupillo: de quo articulo videndus est Gutierrez in tract. de tutel. p. 1. cap. 12. num. 30. in fine, ergo pariformiter in præsentī casu dicendum videtur, quod præceptum directum intruso non præiudicat, nec obligat verum Prælatum.

Contrarium tamen suadetur ex *l. peto 69. §. mater filio. ff. de legatis 2.* vbi probatur, quod relicta à tutore nomine tutorio, videntur relicta ab ipso pupillo, & ideo valent, licet tutoris datio non fortiatu effectum: & ex eo textu tenuit Bal. *ibidem*, quod tale mandatum, factum intruso per legitimum Superiorem, non solum obligat Ecclesiam, sed & etiam quoscunque Prælatos, dummodo non fuerit personalissimum. Secundò fundatur Bal. in eo; nam tutor minùs legitimus, vel curator representant pupillum, vel minorem, taliter quod etiam

grauati censentur per illos, in his, in quibus grauari possunt; Ergo similiter dicendum est in præsentī, quod tale præceptum Superioris factum intruso, extendi debeat ad verum Prælatum.

Hanc secundam sententiam verissimam iudico, si immediatè illud præceptum non respiciat personam ipsius intrusi, quia tunc cum ipsamet persona extinguitur, ex his quæ diximus *suprà*, in quaestione antecedenti, n. 7. & sequen. At vero si præceptum fuerit factum sub nomine collectiuo, taliter quod habeat respectum ad personam & ad Dignitatem, tunc fatendum est, afficere etiam verum Prælatum; cum per ipsum nomen appellatiuum, habeat respectum ad personam representatam per ipsum intrusum, vt docuit Imola in dicta *l. peto, §. mater filio, ff. de legatis 2. n. 5.* per eum textum.

Idem probat Iason in *l. si urbana, n. 12. 6. vers. Item adde quod in materia, ff. de conditione indebiti*, vbi probat, quod si delegatus citauerit aliquem ad certam diem; tenebitur citatus comparere coram subdelegato ab eo, quia eius personam representat; ergo similiter si Superior iubeat, vel scribat aliquid Petro tanquam Prælato, & iste sit intrusus; tale præceptum ligabit verum Prælatum; nam iste ad eum effectum intrusum representat: quam sententiam tenendam esse profiteamur.

Nec obstat *d. lex, si tutor 4. C. in quibus sit restitutio in integrum non est necessaria* nam loquitur in diuerso casu, videlicet in iudiciis, & actibus iudicialibus, in quibus cum legitimitas personæ requiratur ad hoc vt cum ea agi possit, & vt sententia noceat, exinde est, quod si iudicium fuerit agitatum cum persona minùs legitima, non afficiet tertium, qui in ea non est cognitus, nec vocatus, & tanquam res inter alios acta nocere non potest; *l. de vnoquoque, l. sepe constitutum est, ff. de sententia, & re iudicata*, cum aliis pluribus, & tradunt Cardinalis Tuschus tom. 6. *litera R. conclu. 265. n. 34. & sequen.* Cæsar Argelus de legitimo contradicatore, q. 7. n. 80. & q. 10. n. 264. & ideo in *d. l. si tutor*, cum iudicium fuisset agitatum cum tutore non legitimo, nihil mirum quod restitutio in integrum non fuisset necessaria, cum sententia ipso iure esset nulla; provt patet ex his quæ notauit Maranta in *d. p. 4. distinct. 16. n. 52.*

Ex quibus colligitur, dictam *leg. si tutor*, non contradicere nostræ sententiæ, quæ locum habet, non in iudiciis, & in actibus iudicialibus, provt in eo textu; sed in aliis legitimis mandatis emanatis à Papa, vel ab alio legitimo Superiore.

QVÆST.

QVÆSTIO XL.

An processus, & sententia lata per intrusum, sit valida.

S V M M A R I V M.

Sententia lata per intrusum non toleratum est nulla, & inualida. n. 1. & 2.

Secus autem si sit toleratum. n. 3.

Iudex vt in causa procedere possit, certus debet esse de sua iurisdictione, alias gesta per ipsum erunt nulla & inualida. n. 2.

Processus & iudicium dependent à iurisdictione, quam Iudex exercet. n. 2.

Intrusus non toleratus in exercitio sua iurisdictionis non potest esse certus de ea, & ideo gesta per ipsum sunt nulla, & inualida, num. 2.

Intrusus toleratus potest statuta condere, & alia iurisdictionalia exercere; secus autem si non fuerit toleratus. n. 4.

Intrusus tam toleratus, quam non toleratus, potest fauore fidei exercere iurisdictionem contra hereticos. n. 5. & 6.

Tyranni, vel alij exercentes iurisdictionem de facto, & non de iure, possunt fauore fidei, procedere contra hereticos. n. 5. & 6.

Gesta per Tyrannum sunt nulla, nec ipse potest iurisdictionem exercere; nisi contra hereticos. n. 6.

IN intellectum dicendorum in præsentī quaestione, distinguendum est; quia aut loquimur de intruso tolerato, vel de non tolerato; de quibus latè diximus *suprà*, q. 27. Et dicendum est, quod si intrusus non fuerit toleratus, processus, & sententia per ipsum lata nec valent, nec sustineri possunt; Enimverò cum processus, & iudicia dependeant à iurisdictione, de qua certus debet esse Iudex, vt tradunt Salgado de supplicat. & reuoc. Bullarum, 2. p. cap. 26. n. 84. Valenzuela *conf. 48. num. 39. & conf. 52. num. 12. tom. 1.* & latè dixi in meo pastor. Regul. p. 1. claus. 5. num. 34. sequitur, quod cum talis intrusus non toleratus, non solum non sit certus de sua iurisdictione; sed immò potius sit per Ecclesiam non toleratus, & totaliter reiectus; exinde oritur, acta & processum esse nulla & inualida, & consequenter & ipsam sententiam; cuius rationem & fundamenta tradidimus *suprà*, q. 29. n. 9. cum sequen.

At vero si talis intrusus legitime fuerit toleratus, tunc processus, & sententia per

ipsum prolata erit valida & sustinenda, ex rationibus & motiuis à nobis ponderatis *suprà*, in d. q. 29. num. 13. & 14. cum sequen. & ita docent etiam Innocentius, & communiter Doctores in cap. nihil, de electione.

Quæ quidem locum habent, & procedunt in statutis editis ab huiusmodi intrusis, cum statuta condere sit actus iurisdictionis; & ideo intrusus toleratus ab Ecclesia, si seruato iuris ordine statuta fecerit, sustinebuntur; secus autem erit in non tolerato; vt in Tyranno, tradit Anchar. in cap. fundamenta, num. 6. vers. ad propositum ergo, de electione: Quæ quidem resolutio extendi & ampliari debet quoad omnes alios actus iurisdictionales, qui quidem per intrusum toleratum exerceri valent; non vero per non toleratum.

Hæc tamen licet ita procedant, notandum est, quod restringi, & limitari debent, vt locum non habeant, si talis intrusus vellet exercere iurisdictionem contra hereticum, quia tunc fauore Fidei id efficere poterit; iuxta textum in cap. Præsidentes 6. de hereticis in 6. Ex quo probatur, quod Præsidentes, & Ordinarij, aut eorum Delegati, & Inquisitores, sine pœna excommunicationis facere habent executionem iustitiæ contra hereticos, per habentes iurisdictionem secularem in loco, licet excommunicati sint, vel de facto tantum illam iurisdictionem possideant, &c. Vnde quamuis intrusus illam iurisdictionem de facto exerceat, eo tamen non obstante poterit contra hereticum procedere, & ita in terminis docet Ioannes Andreas in d. cap. Præsidentes, & *ibidem* Dominicus, num. 4. qui exemplificant dispositionem dicti textus quoad illam partem possessoris de facto, veluti in Tyranno, & intruso, idemq; probat Rojas de hereticis, 2. p. in singularibus fidei, *litera G. singular. 72.* vbi postquam dixerat, quod gesta per Tyrannum, ipso facto sunt nulla & inualida, ita concludit: Sed fauore Fidei statutum est, quod Tyrannus qui de facto, & non de iure iurisdictionem, vel Regnum, aut Prouinciam possidet, talem iurisdictionem optimè poterit exercere contra hereticos, & ab eo gesta valida & iuridica sunt, &c. & *ibidem* alios allegat idem tenentes; ergo talis intrusus poterit procedere contra hereticos, quamuis in aliis causis id efficere nequeat, idque admitti tantum debet fauore Fidei: nam inspecto iure communi, contrarium dicendum videbatur.

Ex quibus concludendum est, quod processus, & sententia lata per intrusum toleratum, valida erunt; at verò si non fuerit

rit toleratus, nulla, irrita, & inania iudicari debeant, & ideo sustineri non poterunt, &c.

QVÆSTIO XLI.

Si Papa commisit causam alicui Prælati, qui tempore impetrati rescripti erat intrusus; tempore verò receptionis erat habilis, an valeat rescriptum.

S V M M A R I V M.

Rescriptum directum Iudici excommunicato de tempore impetrationis, non potest exequi, etiam si Iudex sit absolutus tempore præsentationis, quia attendi debet tempus Data. n. 1.

Tempus Data rescripti attendi debet, & non receptionis, ad illius valorem. n. 1.

Sed contra. n. 3. & sequen.

Quod intellige ut n. 5.

Habilitas, seu capacitas superueniens non convalidat quod ab initio erat vitiosum. n. 2.

Quod intellige ut n. 6.

Habilis qui non fuerit ad beneficium de tempore Data literarum, poterit illud obtinere, si tempore collationis habilis reperiat. num. 3.

Qualitas velabilitas si in aliquo actu sit requisita, sufficit illas haberi, tempore quo actus recipit perfectionem. n. 4.

Habilitas requisita in aliquo actu, an debeat existere ab initio, vel sufficiat quod postea superueniat. n. 5.

Inhabilitas vel incapacitas ad aliquem actum, si oriatur ex iure communi, attendi debet initium, & primum tempus; si verò ipsam personam spectet, inspiciendum est tempus executionis. n. 6.

Intrusus notorius est incapax, ut rescriptum ei committatur, etiam si tempore executionis purgauerit intrusionem; secus autem si sit occultus, & toleratus. n. 7. & sequen.

Sententia lata per Iudicem notorie excommunicatum, est nulla, & inualida; non verò si sit occultus. n. 7. & 9.

Iudex non potest sententiam proferre si in eo deficiat subiectum, supra quod cadat iurisdicatio. n. 8.

Excommunicatus notorius non potest exercere aliquem actum dependentem à iurisdictione; secus autem si sit occultus. n. 10.

Impetrans rescriptum si sciebat quod ille, cui committebatur, erat excommunicatus, non

potest illo uti, etiam si esset occultus. num. 11.

Gesta per excommunicatum etiam toleratum in fauorem partis litigantis, scientis excommunicationem, non valent, aut saltem retractari debent; secus autem si pars ignorabat excommunicationem, vel intrusionem. num. 12.

Quod intellige ut n. 12.

Error particularis non sufficit, ut gesta per Iudicem putatum legitimum, valida quoad homines censentur, licet alias sustineri possint, quoad inuincibiliter ignorantem. n. 12.



ANC quæstionem mouet Glossa in cap. dilectus, el segundo, verbo, receperunt, vers. item argum. quod si Iudex tempore impetrati rescripti, &c. de præben. vbi quærit, an si Iudex esset excommunicatus tempore impetrati rescripti, & absolutus tempore receptionis, taliter quod tunc non esset excommunicatus, an valeat rescriptum, & ex eo ad vltiora procedere possit? Et concludit, nullatenus valere; nec Delegatum agere posse: ex ea ratione, quia tempus Data attendi debet, non verò receptionis: iuxta textum in cap. eam te 7. de rescriptis, ex quo probatur, quod in rescriptis tempus Data attendendum est; & ideo in præsentis quæstione dicendum videtur ex doctrina Glossæ, tale rescriptum non valere: & latè docet Mandosius ad regulam 18. de reservatione. quæst. 15. num. 15. & sequen. præcipue num. 18.

Quod idem probatur ex cap. si eo tempore 9. de rescriptis in 6. & ex Clement. literas, eodem tit. Ex quibus patet, quodabilitas superueniens non convalidat quod ab initio erat vitiosum; & ita declarauit Rota in Calaguritana Beneficij corâ Domino Peña, quæ habetur in meis recollectis ipsius, tom. 1. decis. 131. num. 4. & in alia Gualafquensis præceptorie coram Fabio quam reperies in 3. p. diuersorum, decis. 69. vbi probatur, quo capacitas consideratur de tempore resignationis, taliter quod si superueniat, non fanet inualiditatem anteriorem: & hanc doctrinam copiosè tradunt Thomas Sanchez, de matrimonio, tom. 3. lib. 8. disp. 3. à num. 8. præcipue num. 14. & sequen. Flaminius Paris. de resignatione. benef. lib. 4. quæst. 1. à n. 10. cum pluribus sequen. Barbosa alios allegans in pastor. p. 3. allegat. 7. 2. n. 78.

Sed prædictis grauitè obstat textus in cap. ei qui 29 in vers. sed aliam, de præben. in 6. ex quo probatur, quod is qui tempore Data literarum habilis non erat ad beneficium

ficiam consequendum, in vim rescripti, posse illud obtinere, si tempore obtentionis, seu collationis habitas superuenierat.

4 Quod idem multoties fuisse declaratum à Rota patet, ut in vna Burgen. Abbatia de Subarzo 10. Decemb. 1588. & 10. Martij 1589. coram D. Peña, quæ habentur in meis recollectis tom. 1. decis. 4. & decis. 12. in quibus fuit resolutum, quod si in aliquo actu requiratur certa qualitas, seu habitas, sufficiat illas verificari eo tempore, quo actus perfectionem recipit. Et ibidem respondet ad varia argumenta, quæ pro contraria parte considerari poterant: & de hoc articulo videndus est Barb. in d. allegat. 7. 2. num. 75. & sequen. Ergo ex dictis dicendum videtur, quod in rescriptis inspici debet tempus præsentationis, & non Data ipsius.

5 Pro hac controuersia adduci potest quod summopere controuertunt Doctores, an habitas requisita in aliquo actu debeat verificari ab initio, vel sufficiat, quod ex post facto superueniat, de quo agunt Peña in meis recollectis decis. 131. & decis. 280. num. 11. & 12. tom. 1. & decis. 1575. tom. 2. & latè Barb. plures allegans in Past. p. 3. allegat. 7. 2. à num. 71. cum sequen. Sanchez lib. 4. cons. moral. cap. 1. dub. 26. & de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 3. Alphons. de Leon. de officio Capellani, q. 4. praxi 6. n. 16.

In quo quidem articulo distinctione vtendum est, ut in concordiam redigantur hæ opinioniones. Aut enim non reperitur præiudicium Tertij, & tunc sufficit habitas superueniens, & in hunc sensum intelligenda est sententia Doctorum tenentium sufficere habitatem superuenientem tempore consummationis actus: Aut adest præiudicium Tertij, & in eo casu requiritur habitas, seu qualitas ab initio, taliter quod non reualidabit actum, etiam si postea superueniat: & in hunc sensum intelligendi sunt Doctores affirmantes, habitatem requiri ab initio.

6 Et restringendo hunc articulum ad propositam quæstionem; prædictam contrarietatem Panormitanus variis modis tentat concordare in d. cap. eam te, & latissimè Barb. in collect. ad textum in d. cap. si eo tempore, num. 6. & sequen. de rescript. & num. 7. distinguit in beneficiis, ut in eis capacitas, seu habitas de tempore Data seu præsentationis attendi debeat, si tunc qualitas exprimitur; secus autem si simpliciter, & sine aliqua expressione id fiat, quia tunc sufficiet habitas superueniens: & in hunc sensum concordat prædicta iura, quæ inter se videntur ex diametro repugnantia.

Tract. de Intrusione.

Vel secundo conciliari possunt, ex his 7 quæ tradit ipsemet Barb. in collect. ad d. cap. ei qui 29. num. 5. & sequen. de præben. in 6. videlicet, quod aut inhabilitas, vel defectus oriatur à iure communi, vel attento stylo Curie, ut si obtinens rescriptum esset excommunicatus, aut ex alia simili causa: & in tali casu habitas, seu capacitas requiritur de tempore Data, ut in d. cap. si eo tempore, & concordantibus: At verò si defectus, & inhabilitas respiciant personam, veluti quia erat minor, tunc sufficit capacitas si tempore executionis rescripti esset maior: & in hunc sensum intelligendus est textus in d. cap. ei qui, de præben. in 6. pro vt latè explicat Barb. vbi supra, apud quem videre poteris concernentia ad hunc articulum.

8 Et restringendo magis materiam ad terminos nudos propositæ quæstionis, dicendum iudico, quod si talis intrusus erat notorius, vel non toleratus, aut pars obtinens rescriptum verè sciebat eum esse intrusum, tunc attendi debet tempus Data, taliter quod habitas superueniens, ex eo quod intrusionem purgauerat, non sanabit rescriptum; argumento textus in cap. ad probandum 24. de sententia & re iudicata, ex quo deducitur, quod sententia lata per Iudicem notorie excommunicatum est nulla, & inualida; quam conclusionem colligunt communiter Doctores tam Theologi, quam Canonistæ, pro vt latè tradunt Suarez tom. 5. de censuris, disp. 16. sect. 1. n. 6. & 7. vbi latè agit de materia, & Anton. Ricciul. de iure personarum extra gremium Eccles. existens. lib. 5. cap. 18. num. 1. & alij plures. Et ratio est, quia cum non reperiat 9 subiectum habile ad recipiendam iurisdictionem, exinde sequitur, ea carere, ad hoc vt procedere valeat, vt cum pluribus aduertit Lessius lib. 2. de iustitia & iure, cap. 29. dub. 7. num. 61. vers. secundo, quia omnes excommunicati, &c. Et in hoc conueniunt omnes Doctores. Ex quibus per consequens deducitur, quod rescriptum non reperit subiectum capax, eo quod à principio habeat vitium inficiens ipsam personam; à quo nullo tempore sanari potuit: ergo similiter idem quod de excommunicato notorio tradunt Doctores, dicendum venit de intruso notorio, vel non tolerato.

10 At vero si impetrans rescriptum ignorabat illum Iudicem esse intrusum, aut sciebat esse toleratum, & occultum: in vtroque casu si inhabilitas intrusionis erat purgata tempore receptionis, poterit operari in vim talis rescripti; argumento sumpto de sententia lata à Iudice occultè excommunicato, quæ valet & sustinetur, vt

K latè

latè docet Guttierrez tom.1. *canonicar. quest. cap. 1. n. 7. & 8. cum sequen. & cum Couar. Soro*, & alijs probat Lessius *in d. cap. 2. 9. dub. 7. num. 5. 4. Sanchez lib. 3. de matrim. q. 2. 2. num. 35. & 40. & 42. Sbrozi. de offic. Vicarij, lib. 3. q. 17. n. 6. Ricciul. in d. cap. 18. num. 14.*

11 Quæ omnia in excommunicato de plano procedunt; & ex eadem ratione idem statuendum, dicendumque est de omni exercitio. & actu dependente à iurisdictione: vt ex communi Doctorum sententia *in d. cap. ad probandum, de sententia, & re iudicata*, optimè considerauit Suarez *in dicto tom. 5. de censuris, disp. 16. sect. 1.* & ideo quidquid diximus de excommunicato publico, locum habet in intruso manifesto non tolerato, vel de occulto tolerato, & patet ex his quæ etiam tradit Guttierrez *tom. 1. canonicarum quest. cap. 1. n. 81.*

12 Pro coronide tamen notandum est, quod voluerunt Ioannes Andreas *in d. cap. dilectus, de praben. Abbas & Ioann. Calder. & alij in d. cap. ad probandum*, quod si impetrans rescriptum sciebat, quod Prælatum, cui committebatur, erat excommunicatus, vel intrusus, quamuis occultus, non valere rescriptum, quia gesta per excommunicatum toleratum in fauorem partis litigantis, scientis Iudicem esse excommunicatum, non valent, vel saltem retractari debent: secus autem si pars ignorabat, illum Prælatum esse excommunicatum, vel intrusum, quia erat occultus, nam tunc si tempore receptionis rescripti erat absolutus, vtique poterit procedere ad vltiora, & gesta per illum erunt valida.

13 Atram Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 2. 2. num. 40.* quæstionem mouet: an gesta per excommunicatum occultum, vel habentem aliud impedimentum, etiã occultum, veluti in intruso, (vt ipsemet Sanchez cum alijs admittit *in d. num. 4. in fine, in vers. at eadem militant rationes*) sint valida etiã respectu scientium excommunicationem, vel impedimentum, & ibidem tres sententias refert, & *num. 4. 2.* probabiliorē iudicat, tenentem, sic gesta respectu scientium, esse valida, licet aliàs retractari debeant, & latè confirmat hanc resolutionem varijs argumentis vsque in finem, præcipuè *num. 45.* Et reddit rationem, quia error particularis non sufficit, vt gesta per illum Iudicem occultè excommunicatum valeant respectu inuincibiliter ignorantium, & ita (ait Sanchez) quod scientia alicuius particularis non potest operari, quin gesta respectu ipsius valeant.

14 Ex quibus idem dicendum venit de in-

truso, iuxta mentem Alberici, Felini, & Parisij, quos refert & sequitur Sanchez *in dicto num. 4. 2. in fine*, vbi concludit, quod dictum de Iudice excommunicato, locum habeat in alio quocunque Iudice habente aliqua impedimenta, ob quæ vera iurisdictione careat, respectu scientium impedimentum occultum: Et ita concludendum est, quod si Papa, vel alius Superior committit causam alicui Prælati, qui tempore impetrationis rescripti erat intrusus occultus, & toleratus, & tempore receptionis iam purgauerat intrusionem, quod poterit in vim rescripti procedere ad vltiora; secus autem si esset notorius, & non toleratus.

QVÆSTIO XLII.

An exceptio Intrusionis obstat Ordinario, procedenti in causa subditorum, & quis de illa cognoscere debeat.

S V M M A R I V M.

Exceptio intrusionis si opposita fuerit Ordinario, procedenti in causa subditi, obstat ei, ne ad vltiora procedere possit. n. 1.

Sed contrarium est verius & tenendum. num. 3. & 12.

Intellige vt n. 4. & 13.

Exceptio contra Iudicem opposita, an sit vel non releuans, declarari debet per Arbitros, num. 2.

Suspicionis exceptio, opposita contra Iudicem, an sit, vel non, legitima, declaranda est per Arbitros Iuris. n. 2.

Intrusus quandiu toleratur potest causas decidere, & sententia sustinetur, nec per exceptionem intrusionis à parte oppositam impediri potest, de qua ipse cognoscet. n. 3. & 13. & 15.

Exceptio qua opponitur contra Iudicem, si ipsius personam sugillet, operatur, ne ad vltiora procedere possit, maxime in delegatis. n. 4.

Delegati non habent aliam iurisdictionem, præter illam, qua ipsis attribuitur virtute delegationis. n. 5.

Iudex ordinarius habet iurisdictionem ab ipso iure, ex legis dispositione. n. 6. & 8. & 11.

Nullus Clericus ante sententiam debet deserere suum Prælatum, quamuis sit accusatus, sed ei parère debet. n. 6.

Delegatio quando committitur, regulariter non examinatur persona cui sit commissio, &

& ideo facilius contra eam admittuntur exceptiones, quam contra Iudicem ordinarium. n. 7.

Ordinarij Iudices possunt cognoscere, & sunt Iudices eorum, qui negant ipsorum iurisdictionem. n. 7.

Iudex ordinarius cognoscit, & pronuntiat super exceptiones declinatorias sui fori, etiam si ex tali pronuntiatione aliquod leue interesse prætendat. n. 8.

Vir qualiscumque sit, si semel placuit uxori, non est ab ea dimittendus. n. 9.

Iurisdictione delegata est accidentalis, & exinde non creditur delegato, nec ei parendum est, nisi facta ostensione, & legitimè constituto de delegatione. n. 10.

Iurisdictione ordinaria, est quedam certa qualitas naturalis, imbibita in illius exercitio. num. 11.

Exceptio contra iurisdictionem delegatam facilius admittitur, quam contra ordinariam. n. 12.

Accidentalibus facilius tolluntur, quam naturalibus. n. 12.

Exceptio intrusionis si opponatur Ordinario in causa per eum actitanda, non potest ad vltiora procedere, nec de tali exceptione cognoscere, sed remitti debet ad suum Superiorem, si non sit in possessione. n. 13.

Quod extendit etiam ad Ordinarium non toleratum in officio. n. 14.

1 **E**XCEPTIO intrusionis si à parte fuerit opposita contra Iudicem ordinarium, procedentem in causa sui subditi, videtur dicendum ei obstat, quia est vna ex illis, quæ personam ipsius Iudicis sugillet, de qua ipse cognoscere non potest, sed nominandi sunt Arbitri, qui causam determinant, an sit necne legitima, ad instar exceptionis suspicionis oppositæ contra Iudicem, iuxta textum *in cap. suspicionis 39. de officio, & potestate Iudicis delegati, cap. cum speciali, de appellacionibus*, cum alijs adductis per Tiraquellum *in l. si vnquam, verbo, susceperit, num. 247. C. de reuocandis donationibus*, de quo articulo latè agunt Gratianus *tom. 1. disceptationum forensium, cap. 100. Ramoña conf. 3. & sequen. & ex nostris Portoles verbo, Iudex, à num. 40. Bardaxi in foro 5. de iudicis, Regens Sesse decis. 41. & decis. 200. & 346. & 414.* & alij plures penes doctissimum Suelues *in sua centuria 1. conf. 23.* vbi latè agit quid in nostro Regno obseruandum sit, de quo aliqua annotaui *in meo pastoralis Regular. p. 3. vot. 8. à num. 2.* præcipuè *n. 18.* & ad intentum ponderari possunt quæ tradit Salgado *de retent. Bul. Tract. de Intrusione.*

par. 2. cap. 16. à num. 1. vsque ad 6.

His tamen non obstantibus contrarium est verius & tenendum, videlicet quod si contra Ordinarium opponatur exceptio intrusionis, admitti non debeat, quia quandiu toleratus existit, sententia eius tenet, & valet, iuxta text. *in l. Barbarius Philippus, ff. de officio Prætoris*, & faciunt quæ diximus *suprà, q. 29.* & in huiusmodi exceptionibus ita videntur concludere Innocentius *in cap. cum super, sub num. 5. vers. in Ordinarius autem, de officio Delegati*, quem sequuntur *ibidem Hostiensis num. 3. Cardin. colum. 4. vers. quinto quero*, Anchar. *post num. 4.* & Andreas Barbat. *n. 54. vers. sed an ista exceptiones, &c.*

Nec prædictis obstat, quod dicta exceptio sugillet personam Iudicis, quia vt distinguunt prædicti Doctores, habet locum in Iudice delegato, non vero in Ordinario: & differentia ratio triplex est.

Prima, quia Delegatus cognoscere non valet de illa exceptione, nec id efficere potest in vim delegationis ei commissæ, cum non habeat aliam iurisdictionem præter illam quæ ipsi attribuitur virtute delegationis, vt dixi *in meo pastoralis Regular. p. 1. claus. 5. num. 4.* & plures allegando *p. 2. q. 1. num. 14.* vnde si delegans sciuisset, eum esse intrusum, certum est quod non delegasset, argumento textus *in cap. super literis 20. de rescriptis*, & conducunt quæ tradit Garcia *de benef. 6. p. cap. 2. à num. 200. & 201. cum sequen.* & ideo talis exceptio quoad Delegatum operari debet. At vero in Ordinario secus est; nam cum ipse ex legis dispositione, vel ab ipso iure habeat iurisdictionem, vt copiosè tradunt Menoch. *de arbitrar. iudicium, lib. 1. q. 38. num. 12. cum sequen.* optimè P. Ludouicus Molina *de iustitia & iure, tom. 5. tract. 5. disp. 25. num. 1.* & cum nullus Clericus debeat deserere suum Prælatum ante sententiam, quamuis sit accusatus, iuxta text. *in cap. vnico, 8. q. 4.* exinde sequitur, quod qualiscumque sit Ordinarius, si reperiat toleratus, ei parendum est, ac per consequens non est repellendus per dictam exceptionem, quoad vsque aliàs remotus existat, ex *d. l. Barbarius*, & ex his quæ diximus *suprà, q. 29.*

Secunda ratio est, quia quando delegatio confertur; persona delegati regulariter non examinatur, sed simpliciter sine particulari examine committitur causa, ex quo mirum non est, si per aliquam exceptionem claudicare possit illa iurisdictione ope exceptionis. At verò in Iudicibus ordinarijs aliter considerandum est: hi namque possunt cognoscere, & sunt Iudices eo-

rum, qui negant suam iurisdictionem, iuxta textum in cap. ex literis, de rescriptis, & in l. si quis ex aliena, ff. de iudicijs, & cum Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 4. dixi in meo pastorali Regularium, par. 2. q. 3. num. 21. & 22.

8 Quod adeo verum est, ut etiam Iudex Ordinarius cognoscat, & pronuntiet super exceptiones declinatorias sui fori, etiam si ex tali pronuntiatione aliquod leue interesse pretendat; veluti sportulas, aut signaturam, &c. ut cum Cabedo, Fragofo, Salgado, & Petro Surdo probavi in dicto meo Pastor. Regula. in d. p. 2. quast. 3. num. 13. usque ad 18. sequitur, quod cum ipsius iurisdictione in eo, ab ipso iure, & naturaliter resideat, ut docet Salgadu de retentione Bullar. par. 2. cap. 12. num. 52. & sequent. & cap. 25. n. 27. quem ad intencum allego in d. 2. p. q. 15. n. 2. deducitur, quod cum & ipse à iure sit solemniter approbatus, & examinatus, non debet de facili remoueri: argumento text. in cap. horrendus, 32. q. 5. ex quo probatur, quod qualiscunque sit vir, ex quo semel placuit vxori, non est dimittendus ab ea: ergo pariformiter in presenti dicendum videtur, quod cum Iudex ordinarius ab ipso iure sit admittus, non debet de facili dimitti, ex eo quod causa intrusionis opponatur: dummodo tamen sit toleratus, & in possessione existat, ut diximus supra.

10 Tertia & vltima ratio deducitur, quia iurisdictione delegata est accidentalis, & superaddita, ut probavi in meo Pastor. Regul. p. 1. claus. 5. num. 32. & 35. & cum Barb. in Pastor. par. 3. allegat. 106. n. 18. & 19. & alijs pluribus claus. 10. n. 20. per textum in l. multum 21. ff. de conditionibus & demonstrat. & exinde oritur, quod non creditur delegato, nec adest obligatio parendi ei, nisi facta ostensione, & legitime constito de delegatione, ut cum Fragofo de regimine Christiana Reipublica par. 1. lib. 4. disp. 10. §. 2. à num. 144. & sequent. & Cokier de iurisdic. Ordinaria in exemptos, tom. 2. p. 2. q. 48. n. 1. & alijs late dixi in d. meo Pastor. p. 2. q. 3. à n. 3. cum plurib. seqq. & q. 14.

11 At vero iurisdictione Ordinariorum, est certa & naturalis qualitas in ipsis intrinsece imbibita, ut diximus supra, n. 6. & 8. & probant Fragofo ubi proxime in dict. §. 2. num. 143. & alij per me allegati in dict. q. 3. n. 2. Vnde colligitur, quod in delegata iurisdictione facilius admitti debet exceptio, quam in ordinaria; & ideo talis exceptio intrusionis opposita Ordinario tolerato non impedit, quominus ad vltiora procedere valeat: quidquid in delegato aliter considerari posset, cum accidentalalia faci-

lius, quam naturalia tollantur, iuxta textum in cap. super quastionum 27. §. si vero, de officio delegati.

Prædicta autem omnia intelligenda sunt, dummodo talis Ordinarius, cui opposita est exceptio intrusionis, sit toleratus, & in possessione repertus; aliàs si repulsus à possessione, & non toleratus inueniatur, ipseque de intrusione opponatur, non poterit ad vltiora procedere, nec de tali exceptione cognoscere, sed remitti debet ad suum Superiorem, ut aduertit Baldus in cap. Pastoralis, num. 4. versum si obijciatur, de exceptionibus.

Similiter si talis Ordinarius, cui data fuit exceptio intrusionis, non sit toleratus, sed perpetuò remotus, vel suspensus à Prælatura, tunc enim eodem profus modo exceptio operabitur, iuxta tradita per Innocentium, & alios in d. cap. cum super, de officio delegati.

Ex quibus concludendum est, quod si exceptio intrusionis sit opposita Ordinario existenti in possessione, & tolerato in exercitio suæ iurisdictionis, ipse de illa cognoscat; & si releuans, & legitima ab ipso non sit declarata, poterit ad vltiora procedere, quidquid in delegatis, & in suspicionibus propositis à parte contra Ordinarium dicendum veniat, cum dispar sit ratio quoad exceptionem suspicionis, ac intrusionis, ut patet ex dictis, & ex his quæ tradunt Doctores superius allegati, tenentes hanc sententiam; apud quos videre poteris.

QVÆSTIO XLIII.

Intrusus in beneficio reseruato, putà Decanatu, vel alia Dignitate; si fuerit reputatus pro vero Decano, & existens in possessione, an possit conferre beneficia vacantia ad Decani collationem pertinentia.

S V M M A R I V M.

Collatio beneficij facta ab intruso, qui legitimus collator reputabatur, est valida & legitima. num. 1.

Sed contrarium est verius in reseruato, n. 2. & seqq.

Gesta per intrusum, à Superiore toleratum, valida reputantur. n. 1.

Collatio

Collatio beneficij facta per intrusum in Dignitate reseruata, ad quam illa pertinebat, est nulla & inuvalida. n. 2. & 3.

Decretum reseruatiōis beneficij, efficit non solum ipsum beneficium, sed etiam quidquid ex eo sequitur, n. 2. & 3.

Intrusus in beneficio reseruato non solum non facit fructus suos, sed etiam nulliter confert beneficia, ad ipsius beneficij reseruati collationem spectantia, n. 3.

Decretum irritans, appositum in reseruatiōe beneficij, afficit titulum & possessionem, & quidquid ex illis resultat, n. 4.

Intrusus in beneficio reseruato non facit fructus suos, n. 5. & 7.

Collatio beneficij, est fructus possessionis beneficij, ad quid ipsa pertinet; & ideo cum intrusus illos percipere non possit, nec etiam poterit beneficia conferre. n. 6. & 7.

Intrusus in beneficio reseruato, etiam si sit toleratus, non potest conferre beneficia pertinentia ad collationem talis beneficij; secus autem erit, si intrusio resultet ex beneficio non reseruato, n. 8.

Intrusus in beneficio reseruato; etiam si sit bone fidei, non potest conferre beneficia, ad illius collationem pertinentia, propter Decretum reseruatiōis, quod ligat ignorantes, n. 9. & 10.

Decretum irritans ligat etiam iuste & probabiliter ignorantes, etiam si in dispositione non adsint illa verba, vel ignoranter contigerit attentari, &c. n. 9. & 10.

Decretum irritans appositum in aliqua dispositione, est malignantis nature, n. 10.

DIXI MV S supra, q. 29. n. 5. & 6. quod collatio beneficij, facta ab intruso, qui legitimus collator reputabatur, est valida & legitima ex dispositione textus in cap. querelam 24. de elect. & in cap. consultationibus 19. de iure patronatus, & ex his, quæ ibidem adduximus; cum gesta per intrusum, à Superiore toleratum, valida reputentur; ut late probauimus in d. q. 29. num. 13. & sequent. auctoritate Innocentij, & aliorum Doctorum in cap. nihil, de electione, & ita in presentia videtur dicendum, collationem factam ab intruso tolerato in beneficio reseruato, pertinentem ad collationem illius Dignitatis, in qua talis intrusus toleratus reperitur, esse validam, & legitimam.

2 Sed contrarium in terminis propositæ quæstionis declarauit Rota; videlicet quod collatio facta per huiusmodi intrusum in beneficio reseruato viribus careat, ut habetur in decis. 20. aliàs 183. sub tit. de preben. in antiquis, quæ ita ait: Nota, ubi aliquis est intrusus in beneficio reseruato, seu Dignitate, quandiu toleratur, si confert beneficia, non valet collatio beneficij, facta per ipsum existentem in tali Dignitate reseruata, cum reseruatio, & decretum afficiat totum beneficium, & per consequens illud quod sequitur ex eo, ut cap. ut nostrum, de appellationibus; secus autem si alias esset intrusus, præterquam in beneficio reseruato; arg. no. per Innocentium in cap. nihil, de elect. &c. hucusque Rota.

1 Quod idem auctoritate ipsius Rotæ comprobatur Ludouicus Gomezius ad regulam de triennali possessore, q. 31. in fine, vers. sexto, speciale privilegium, ubi ita ait: Quia intrusus in beneficio reseruato non solum non facit fructus suos, ut superius dictum est; sed etiam taliter intrusus nulliter confert beneficia, ad ipsius beneficij reseruati collationem spectantia: ut dicit Rota in antiquis decis. 183. incipient. Nota ubi aliquis cuius contrarium est in alijs beneficijs, ut ibi dicitur; & in decis. 4. de preben. in antiquioribus, & per Aggidium decis. 66. Et hæc Gomezius. Quam sententiam verissimam iudico.

4 Et ratio prædictorum ea esse potest: nam Decretum irritans, appositum in reseruatiōe, totum afficit beneficium, hoc est titulum & possessionem; ut cum pluribus tradit Barbof. de clausulis vsufrequentijs, claus. 175. num. 24. & dixi in meo Pastorali interno, p. 1. q. 2. num. 9. & 10. & ideo penes talem intrusum nulla remanet possessio; quæ considerabilis dici possit, ad effectum ut collatio per ipsum facta valida reputetur, cum per dictum decretum irritans, infectum remaneat quidquid ex eo sequitur, argumento textus in cap. ut nostrum 56. de appellationibus.

5 Tum & etiam, quia intrusus in beneficio reseruato non facit fructus suos, ut tenuit Speculator lib. 1. p. 1. tit. de dispensatione, §. dicendum restat 10. num. 22. vers. sed pone quod aliquis, ubi Additio litera I. in verbo, prædictas, idem probat; de quo & nos agemus infra, q. 59. ubi disputabimus, an intrusus teneatur fructus restituere.

6 Vnde cum collatio sit fructus possessionis ipsius beneficij, ut probat textus in cap. cum Bertoldus, de re iudicata, & in cap. cum olim 14. ubi Glossa verbo, Capitulum, circa medium, vers. sed collatio beneficij, de maioriore & obedientia, & optime ad intencum plures allegantes tradunt Gonzalez ad regulam 8. Cancellarie, glos. 45. §. 2. n. 8. & sequent. & Salgado de Regia protect. p. 3. cap. 10. num. 3. vers. quia presentatio, sicut electio: Et sequitur exinde, quod cum talis intrusus fructus beneficij percipere non

7 possit, K 3

possit, & in ipsis fructibus collatio computetur; per necesse fatendum venit, nullam esse collationem per ipsum factam, viribusque carere: & ita hanc conclusionem sequuntur Aeneas de Falcon. *in tract. de reservationibus, q. 4. principali, effectu 26.* Iac. Simon. *in eodem tractatu, quaest. 44. num. 2.* Hieronym. Gigas *in epitome de intruso, num. 97. & 98. vers. item intrusus in beneficio.*

8 Qua opinione retenta non obstat doctrina Innocentij, & aliorum, *in allegato cap. nihil, de electione, de qua supra, num. 1.* Quia intelligenda est in alio intruso, quam in beneficio reservato, ut notanter dixit Rota *in d. decis. 20. alias 183. in fine, ibi, secus si alias esset intrusus praeterquam in beneficio reservato, &c.* Idemque admittit Ludouicus Gomez. *ubi supra;* qui postquam praedictam conclusionem tradidit, ita concludit: *Cuius contrarium est in aliis beneficiis, &c.* Et de his intelligenda sunt quae diximus supra, *in d. q. 29. num. 13.* non vero de reservatis.

Et quamvis praedicti Doctores differentiae rationem non adducant; deducitur tamen manifeste ex his, quae diximus supra *in hac quaestione, num. 3. & 4.* ex decreto irritanti, apposito in reservationibus, quod non afficit alia beneficia, sed tantum reservata; & ideo differentia inter vtrumque casum ad oculum patet.

9 Quae doctrina locum habere debet, etiam si talis intrusus esset bonae fidei, quia videlicet ignorabat reservationem, ut tradit Iacob. Sim. *in d. q. 44.* quamvis Bellamera contrarium videatur insinuare *decis. 66.* quae incipit, *Decretum reservationis, sub tit. de praebe. num. 2.* eius namque opinio sustineri non potest, obstante decreto irritante reservationis, quod afficit & ligat ignorantes; ut declaravit Rota penes Penam *in meis recollect. tom. 1. decis. 280. num. 4.* ubi mea annotatio plures alias allegat. Quodque adeo est verum, ut locum habeat, etiam si non adsint illa verba, *vel ignoranter contigerit attentari, &c.* ut infinitos referens tradit Barb. *in tract. de claus. vsus frequent. claus. 40. n. 7.*

10 Hocque locum sibi vendicat, ut etiam dictum decretum itidem afficiat iuste, & probabiliter ignorantessad textum *in cap. si beneficia, de praebe. in 6. & cum Baxinieto, Puteo, & aliis docet Barb. in d. claus. 40. n. 8.* & ideo Simonet. *ubi supra* optime reprehendit Aegidium Bellameram dicendo, in hoc male sensisse, & in errore versasse quia certum est, intrusum etiam bonae fidei comprehensum esse in reservatione, propter praedictum decretum irritans, ad

effectum, ut collatio per talem intrusum bonae fidei facta, nulla, & inualida iudicetur; non ex malicia intrusionis, cum in eo non reperiat propter bonam fidem, sed ex malignante natura decreti irritantis: ex his quae tradit Barb. *in d. claus. 40. n. 12. & 13.* praecipue 18. ubi plura ad intentum refert. Ex quibus ita concludendum videtur in praesenti quaestione.

QVÆSTIO XLIV.

An intrusus conferat Ordines.

S V M M A R I V M.

Ordo sacer confert characterem, qui imprimitur in anima, & differt ab executione Ordinis. num. 1.

Ordinis sacri executio, est ille effectus resultans ab ipso characterem: & hoc habet locum in quocunque sacramento illum imprimente. n. 2.

Sacramenti collatio imprimens characterem, quandoque ipsum imprimit, sed non executionem. n. 2.

Episcopus legitime in Ecclesia promotus, si postmodum per sententiam fuerit de heresi convictus, & degradatus, potest conferre Ordines, quantum ad potestatem; non autem quantum ad Ordinis exercitium, & executionem. n. 3.

Intrusus simpliciter conferens Ordines sacros, imprimit characterem in ordinato ab ipso. num. 4.

Quod limita in intruso in Papatu. n. 17.
Collatio Ordinum sacrorum, facta ab intruso, imprimit characterem. n. 5.

Ordinationes factae per haereticum conferunt characterem, sed non executionem. n. 5.

Intrusus toleratus si conferat Ordines sacros, non solum confert characterem, sed etiam illorum executionem. n. 6.

Quod limita in intruso in Papatu. n. 17.
Intrusi in Praelatura licet sint ineligibiles & suspendendi, non sunt ipso iure suspensi ad conferendum Ordines. n. 6. & 9.

Suspensus ab officio, vel depositus à Praelatura per sententiam, non potest Ordines sacros conferre. n. 7.

Episcopus renuntians loco, seu loco & Dignitati, non potest conferre executionem Ordinis sacri. n. 8.

Episcopus renuntians loco, potest Ordines conferre; secus vero si renuntiauerit loco & Dignitati; etiam si licentiam habeat ab Episcopo territorij. n. 8.

Episcopus suspensus, & interdictus, non potest conferre

conferre Ordinum executionem. n. 9.

Episcopi tam electi, quam consecrati, qui se intrudunt in Praelatura, non sunt habendi pro Episcopis; & ideo iniuste dabunt Ordinem, n. 10.

Episcopi non possunt conferre Ordines subditis alienis sine licentia suorum Praelatorum. n. 11. & 12.

Episcopus qui Episcopatu renuntiauit quoad locum, & non quoad Ordinem & locum simul, si de mandato alterius Episcopi conferat Ordines, imprimit characterem; non vero illorum executionem. n. 12.

Episcopus toleratus quamvis aliis aliquid efficere non possit, quandoque toleratur propter scandalum vitandum. n. 13.

Collatio Ordinum non est interdicta Praelato intruso & tolerato, cum non sit ipso iure suspensus, sed veniat suspendendus. n. 13.

Schismaticus Praelatus est ipso iure priuatus, ne Ordines conferre possit. n. 13.

Collatio Ordinum facta à non Praelato, est nulla, sicut & iudicium, aut sententia; nam valet argumentum de iudicio ad Ordinationem, & e contra. n. 14.

Ordinatus à non suo Episcopo deponi debet, sicut & ipse Episcopus; si aliis cum eis non fuerit dispensatum. n. 15.

clericus peccator occultus, suspensus est ab exercitio Ordinum quoad se, donec poeniteat, non vero quoad alios. n. 16.

Intrusus toleratus in Episcopatu est suspensus ab exercitio quoad se, licet non quoad alios. num. 16.

Ordinationes factae per intrusum in Papatu per schisma, sunt nulla, irritae, & inualidae quoad executionem. n. 17.

INTEQVAM ad resolutionem praesentis quaestiones deueniamus, notandum est, differentiam constitui inter Ordinem sacrum, & ipsius executionem, ut *in cap. litteras 13. & in cap. consultationi 16. de tempor. ordin.* Per Ordinem enim intelligitur Character, qui imprimitur; de quo *in d. cap. consultationi*, de quo eo agit late Barb. plures referens *in Pastoral. p. 2. allegat. 2. à num. 4. & 21.* & latissime Marchinus *de sacramento Ordinis tract. 1. par. 3. cap. 4. cum seqq.* Per executionem vero intelligitur effectus resultans ab ipso Characterem, ut *in dict. cap. litteras*; quae quidem differentia in aliis etiam Sacramentis characterem imprimentibus locum habet; nam quandoque collatio Sacramenti subsistit & tenet quoad characterem, & substantiam; caret tamen effectu, seu executione, ut *in cap. quod quidam, prima, quaest. 1. & in cap. ostenditur 32. de consecratione, distinct. 4.* & patet in pluribus casibus, quorum aliquos refert Barbof. *in d. allegat. 2. n. 16.* & hanc differentiam admittit Marius Alterius *de censuris, tom. 1. lib. 1. c. 5. disp. 8. vers. ad verba, pag. 97.* quem refert & sequitur Barb. *in collect. ad 3. d. cap. quod quidam, prima, qu. 1.* ubi probat, quod Episcopus, qui in Ecclesia Catholica legitime fuit assumptus, si postmodum in haesim incidit, & per sententiam depositus, & degradatus fuerit, confert quidem Ordinem quantum ad potestatem, non autem quantum ad Ordinis executionem, quia priuatur facultate largiendi Ordines quoad executionem, non vero quoad potestatem, & ita praedicti Doctores, & ferè omnes admittunt praesentem differentiam.

Quibus sic praemissis, duo ventilanda sunt; Primum, an si intrusus conferat simpliciter Ordines, imprimat characterem? Secundum, an conferat Ordines etiam quoad executionem.

Circa primum, dicendum est, quod si intrusus contulerit Ordines seruata forma Ecclesiae, tenet collatio quoad substantiam, & characterem imprimendum, ut patet ex *dict. cap. quod quidam*, ubi Glossa verbo, *ius dandi, 1. q. 1.* & expressè tenet alia Glossa *in cap. qui perfectionem 17. verbo, plenitudinem, eadem causa 1. q. 1.* & latissime altera Glossa *in summa, verbo, quod ordinatio. 9. q. 1. & in cap. 1. verbo, irritas, de schismaticis*, & copiose probant Couarruias *in cap. alma mater. 1. p. §. 6. num. 5. & 6.* Azor. *par. 2. institut. moral. lib. 3. cap. 48. q. 7.* late Marius Alter. *de censuris tom. 1. lib. 1. disp. 8. cap. 5. vers. secundo*; optime Ricciul. *de iure personarum extra gremium, &c. lib. 9. cap. 3. n. 7. & seqq.* & alij plures relati per Ioannem de Rojas *in singular. fidei, littera H. singulari 83.* ubi probat, quod haeretici, excommunicati, suspensi, vel schismatici conferunt vera Sacramenta, & ex eo infert, quod si in forma Ecclesiae praedicti id agant, conferent quidem Sacramenta Ecclesiae quoad characterem, sed non quoad executionem.

Et ratio est, quia cum talis collatio imprimat characterem in anima, exinde est quod attribuitur à tali intruso, quamvis aliis non possit dare exercitium & executionem, ut patet ex Glossa *in dict. cap. 1. §. irritans, de schismaticis*, ubi *in fine* probat, quod Ordinationes factae per haereticum conferunt characterem, sed non executionem, quam non habent: nam ut ait Rojas *ubi proxime, in d. singulari 83. in fine*, Coinquinari non possunt, quae sancta sunt.

Quod vero attinet circa secundum, scilicet Ordinis executionem, siue exercitium, dicendum est, quod intrusus toleratus, pro vero Episcopo habitus, illud etiam confert Ordinis ab eo, ut tradit Innocentius in cap. 1. sub n. 4. vers. intrusi autem, de schismaticis: ex ea nimirum ratione, quia licet intrusi sint ineligibiles, & suspendendi, non tamen sunt ipso iure suspensi: ex quo sequitur, quod poterunt tribuere executionem & exercitium, denec suspensi non existunt.

7 Enimvero plures sunt casus, in quibus licet Collator conferat characterem, non tamen confert exercitium & executionem: veluti si esset suspensus ab officio, & à collatione Sacramentorum, vel depositus per sententiam hominis, ob crimen quod illum remoueret ab officio, sine quo Ordines conferre non poterat, ut habetur in cap. Maximilianus, cap. si quis clericus, cap. si quis Episcopus, aut Presbyter, § 1. distinct.

8 Aut si Episcopus loco renunciaffet, seu loco & Dignitati, quia tunc nullatenus confert Ordinis executionem: iuxta textum in cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatu, ut tradunt Bonacina tom. 1. tract. de censuris, disp. 3. q. 6. punct. 5. §. 1. à n. 7. & sequent. Flaminius Paris. de resignat. benef. lib. 1. qu. 17. n. 13. & sequent. Fuscus de visitatione lib. 2. cap. 18. n. 10. quos refert & sequitur Barb. in Pastor. p. 3. allegat. 113. n. 1. ubi differentiam constituunt, an renunciatio fuerit loci tantum, id est administrationis; aut loci & Dignitatis: nam in primo casu retinet Dignitatem, & ea quæ sunt Ordinis Episcopalis; in secundo verò, nequaquam poterit conferre Ordines; etiam de licentia alicuius Episcopi, ut patet ex d. cap. 1. de ordinatis ab Episcopo & c. & cum pluribus aduertit Sayrus de censuris lib. 4. cap. 14. n. 7. & 8. Vnde cum in dictis casibus Episcopi sint ipso iure suspensi, exinde sequitur, non conferre Ordinis executionem: attamen cum intrusus toleratus ipso iure non sit suspensus; deducitur etiam, ipsum posse conferre Ordinis executionem: & ita hanc sententiam tuetur Innocent. ubi supra, quem sequuntur Hostiensis post num. 3. vers. quod de intrusis, Card. n. 5. in fine, Ant. num. 6. ad finem, vers. & ex his patet, & c. Anchar. n. 1. & alij plures.

10 Nec prædictis obstat textus in cap. nulla ratio, 62. distinct. ubi loquitur de Episcopis, qui neque electi, neque consecrati se intrudunt in Prælaturis; & decidit, illos non esse habendos pro Episcopis: & prosequitur textus, & ita ait; Quis ambigit nequam ab istis esse tribuendum, quod nec do-

ceatur fuisse collatum: & c. Ex quibus verbis infert Gloss. ibidem, verbo, tribuendum quod isti intrusi non iuste dant, aut habent Ordinem; iuxta textum in cap. nullus, 20. de consecratione, distinct. 4. Ergo tribuere non poterunt executionem, cum ipsi male Ordinem habeant; & per consequens non possunt dare quod non habent, & ideo non bene diximus, intrusum tribuere executionem.

Sed responderetur cum Innocentio & aliis, quod licet in d. c. nulla, 62. distinct. intrusus non conferat executionem, non est ex eo quod esset suspensus, sed quia illi qui receperunt Ordines, non erant subditi ipsius, & ex ea causa nullatenus executionem conferre poterat, quam licet de facto conferat, illam attribuit ligatam; nam deficit illa qualitas subditi, in quos, conferendo, suam posset exercere iurisdictionem, quam sine licentia sui Prælati in ipsis qui non poterat; ut colligitur ex his quæ tradit Sayrus in d. lib. 4. cap. 14. n. 10.

Et patet in eo, qui Episcopatu renunciauit quoad locum, & non quoad Ordinem, qui si de mandato Superioris conferat, imprimit characterem; non verò absolute executionem, sed ligatam, respicientem suum Superiorem; quia in eo deficit subiectum potestatis quoad exercitium, ad quod exequendum remittere debet ad suum Superiorem, ut ex Abbate aduertit Flaminius Parisius ubi supra, in d. lib. 1. q. 17. n. 15. & sequent. auctoritate dicti capituli 1. de ordinatis ab Episcopo & c. & deducitur ex d. cap. nulla ratio, in finalibus verbis, quod illi Clerici non erant subditi: nam ita ait; Si qui autem Clerici ab istis Pseudo-Episcopis in illis Ecclesiis ordinati sunt, & c. Ex quibus patet, quod cum textus vtatur illo verbo, Clericis; & postea dicat, in illis Ecclesiis, infertur, illos Clericos non esse subditos suos; nec illi Pseudo-Episcopi potuerunt, inspecto iure, Ordines conferre, nisi aliis essent tolerati propter vitandum scandalum; ut habetur in cap. si qui Clerici 40. ubi Gloss. verbo, si qui Clerici, & Gloss. sequenti, 1. q. 1. & notat Sayrus in d. q. 14. n. 9. & ex ea causa ibidem, non potuerunt executionem conferre: Et quidem in intruso tolerato aliter dicendum videtur, iste namque confert executionem, cum ipso iure non sit ei interdicta collatio, ut diximus supra, n. 4. de Hæretico, & Schismatico, ex d. cap. 1. de schismaticis, cum Couarruua, & Azor. sed veniat priuandus

Et quamuis replicari possit, quod licet alias talis intrusus ex prædictis executionem conferre valeat; eam tamen non habebit,

habeat, saltem ex eo, quia ordinatio facta fuit tanquam à non suo Episcopo, & ex consequenti nulla ipso iure iudicanda venias: sicut dicitur de sententia lata à non suo Iudice; nam valet argumentum de iudicio ad ordinationem, ut in c. 1. & sequent. 9. q. 2. & in cap. 1. & sequent. 70. distinct. cap. nullus, de parochiis & alienis parochianis, & latè tradit Petrus Barb. in commentariis ad l. 1. ff. de iudiciis, artic. 3. num. 200. Ergo cum talis intrusus sit ipso iure suspensus, & non veniat suspendendus, tanquam non Episcopus subditi, ordinatio erit ipso iure nulla quoad executionem, & per consequens distinctio proximè tradita sustineri non potest.

15 Cui obiectioni, Hostiensis & alij post eum in d. cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, & c. Respondet primo quod talis ordinatio erit nulla, & irrita ad effectum, ut ille ordinatus deponi debeat, si alias cum eo non fuerit dispensatum, ut deciditur in cap. Episcopus in Diocesim alienam 28. in fine, 7. q. 1. & in cap. nullum Episcoporum 9. q. 2. Ex quibus iuribus patet, quod tam Ordinans quam Ordinatus deponuntur: ex quo infertur, quod in dictis iuribus ex vi depositionis non habent executionem; non verò ex realitate, & natura actus.

16 Secundo responderetur, hanc suspensionem executionis dupliciter considerari posse, vel quoad se, aut quoad alios, sicut statuitur in peccatore occulto, iuxta textum in cap. finali, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, ubi Glossa verbo, quoad se ipsum, ex quo textu probatur, quod licet existens in peccato mortali suspensus remaneat quoad se, donec poeniteat, taliter quod celebrare non possit, nec debeat; non tamen alij prohibetur, ipsum celebrantem audire, & ita quoad se tantum, & non quoad alios erit suspensus; ut aduertit Valerius Reginaldus in praxi fori poenitentialis, lib. 32. tract. 2. num. 1. & 7. & ita dicendum erit in casu proposito, videlicet quod executionem Ordinum erit suspensa quoad se ipsos, non verò quoad alios, licet grauius peccent: ut in cap. si celebrat 10. de Clerico excommunicato ministrante; & per consequens exercere non potest executionem quoad se totaliter, licet quoad alios non erit interdicta in radice, quamuis per accidens impedita videatur, de quo articulo latè agit Hostiensis ubi supra, apud quem videre poteris.

17 Prædicta autem, videlicet intrusum conferendo Ordinem; dare Ordinis executionem, limitanda veniunt, ut non procedant in intruso in Sedem Apostolicam per

schisma, de quo articulo latè differuimus supra, q. 15. & patet ex cap. 1. de schismaticis, ubi apertè deciditur, quod ordinationes factæ ab illis Octauiano, & Guidone, qui per schisma se intruserant; irritas & inualdas esse quoad executionem, nisi cum eis fuerit dispensatum, ut probat Glossa in d. cap. 1. verbo, irritas, & decidit etiam text. in cap. 2. eiusdem tituli, de schismaticis, & latè diximus supra, in d. q. 15.

Ex quibus concludendum est, intrusum toleratum conferre Ordines, illorumque executionem.

QVÆSTIO XLV.

Si quis consecratus fuerit in Episcopum, ad Ecclesiam in qua est intrusus, an recipiat habitum, & effectum consecrationis.

S V M M A R I V M.

Intrusus consecratus ad Ecclesiam in qua se intrusit non recipit habitum, & effectum consecrationis. n. 1. & 3.

Episcopus consecratus ad aliquam Ecclesiam, est ipsius sponsus, & ideo consecrari debet ad eam Ecclesiam, cum qua desponsatur. num. 1.

Intrusus in aliquam Ecclesiam non fit illius sponsus, quia eam detinet tanquam fur & latro. ibid.

Detentor legitimus alicuius Ecclesie, si in alia se intrudat, ad quam se consecrari curauit, non dicitur consecratus ad aliquam ipsarum, & ideo talis consecratio nihil operari poterit, ad effectum desponsationis. num. 2.

Intrusus consecratus ad Ecclesiam in qua se intrusit, non rectè consecratus dicitur, numer. 2.

Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, validum est. n. 3.

Matrimonium ut validum sit, requirit mutuum consensum contrahentium. ibid.

Ecclesia repugnat, ne dispensetur cum intruso in Prælatura. n. 3.

Intrusus consecratus ad aliquam Ecclesiam, in qua se intrusit, licet consecratus ad eam non censetur, erit tamen quoad vniuersalem Ecclesiam. n. 4.

Ecclesia vniuersalis est vnica, & indiuidua. num. 4. & 5.

Professus in Religione non expleto anno probationis, licet in specie non sit illi Ordini obligatus,

gatus, erit tamen in genere obligatus Religioni vniuersali. n. 5.

Episcopus intrusus, si ad Ecclesiam in qua se intrusit, fuerit consecratus, & ab alio Episcopo inuitatus, poterit expedire, & exercere omnia illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis. n. 5. & 6.

Intrusus bonæ fidei & toleratus, si consecratus fuerit ad eam Ecclesiam, ad quam se intrusit, recipit habitum & effectum consecrationis; dummodo sit consecratus, antequam suspensus declaretur; at verò si non sit toleratus, nec bonæ fidei, licet recipiat characterem, non tamen executionem, & effectum, n. 7. & 8.

IN hac quæstione videtur dicendum, quod intrusus consecratus in Episcopum, ad Ecclesiam in qua se intrusit, non recipit habitum & effectum consecrationis.

Et probatur primò ex eo; nam consecratus ad aliquam Ecclesiam, est sponsus illius, & exinde consecrari debet in specie ad eam Ecclesiam, cum qua desponsatur, quod quidem est de substantia consecrationis; sed intrusus non sit sponsus Ecclesiæ, in qua se intrusit, quia eam detinet tanquam fur & latro; ergo non potest recipere habitum, & effectum consecrationis.

Secundò suadetur, quia si aliquis Episcopus, seu sponsus alicuius Ecclesiæ, ad quam non est consecratus, se intruderet in aliam, ad quam ius non habebat, & ad eam se consecrari faceret, non recte consecratus ad aliquam ipsarum diceretur, quoad effectum desponsationis, cum in neutra consecratio hanc operari potuisset: Non ad primam, nam ad illam non fuit consecratus; nec ad secundam, cum qua non fuit desponsatus: enimvero cum ius non haberet ad ipsam, propter intrusionem, exinde cum ipsa non potuit desponsari, nec ad eam consecrari: argumento text. in cap. inter corporalia. §. sane, de translatione Episcopi, ergo si intrusus qui aliquo modo fuit sponsus alterius Ecclesiæ, in qua non fuit consecratus, non recepit effectum consecrationis ex illa consecratione, facta ad Ecclesiam in qua se intrusit (vt diximus supra in argumento antecedenti) multo minus eam recipere poterit, qui sine eo adminiculo consecraretur, se intrudendo in Episcopatum.

Tertio facit, quia vt tradunt communiter Doctores, valet argumentum de matrimonio carnali ad spirituale; sed in illo præcise requiritur mutuus contrahentium

consensus, vt latissimè probant Thomas Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 25. & sequen. & Basilus Pontius in eodem tract. lib. 2. cap. 2. & conueniunt omnes Doctores; Ergo cum Ecclesia non præstet suum consentum (vt ita dicam) ad illam desponsationem, & contrahendum cum intruso, tanquam cum violento raptore, & fures sequitur quod consecratio non potest operari, vel habere effectum: & ita hanc sententiam tuentur Anton. in d. cap. inter corporalia, §. sane, in 5. notab. n. 55. de translatione Episcopi, quem sequuti sunt ibidem Ioan. Ann. n. 10. vers. ex quo potest inferri Imola n. 10. vers. nota quod ubi quis, & n. sequenti.

Contrarium tamen suadetur ex eo, quod si talis intrusus non fuerit specificè consecratus ad illam Ecclesiam, erit tamen consecratus ad Ecclesiam vniuersalem, quæ vnica, & indiuidua est: cap. Nouatianus, 7. q. 1. cap. loquimur, 24. q. 1. cum aliis pluribus; ergo recipiet habitum, & effectum consecrationis, saltem ex vi desponsationis, quam contrahit cum Ecclesia vniuersali.

Quod quidem roboratur ex eo, quod professus ad aliquam Religionem non expleto anno probationis, licet in specie non sit alligatus illi Ordini, ad quem professus fuit: obligatus tamen erit Religioni in genere: vt deduci videtur ex cap. non solum, & cap. sequenti de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem, de quo late agunt Sayrus de censuris lib. 4. cap. 13. n. 13. & 14. Bonacina tom. 3. in tract. de suspensionibus omnibus in particularibus, disp. 3. q. 8. punct. 5. Ergo similiter dicendum videtur, quod etsi intrusus specificè non recipiat consecrationem respectu illius Ecclesiæ, in quam se intrusit; illam tamen consequetur respectu vniuersalis Ecclesiæ, cui desponsatus videtur: quam sententiam tuentur Hostiensis in d. §. sane, in vers. consecrari. n. 56. & ibidem Abbas, num. 22. vers. quæro an Episcopus, & Anton. n. 61. Cardin. in 8. notab.

Ex quibus infert Hostiensis, quod si talis intrusus consecratus fuerit illi Ecclesiæ, in qua se intrusit, si ab alio Episcopo inuitatus fuisset, exercere, & expedire posset omnia illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis; ex eo quod saltem quoad vniuersalem Ecclesiam talis consecratio robur habet: & exinde infert, hanc consecrationem effectum habuisse.

In hac opinione contrarietate, & discordia existimo (sub censura & iudicio melius sentientis, nam nullum inueni quem pro hac mea sententia allegare possim) distinctione vtendum esse, ex qua concor

concordabuntur opiniones, & ad propositam quæstionem vera resolutio patefiet. Dicendum est igitur, quod si talis intrusus fuerit toleratus, & bonæ fidei, iuxta ea quæ diximus supra, q. 27. & 28. tunc si consecratus fuerit ad eam Ecclesiam, in qua toleratur, de que ea bonam fidem habuerit, tunc talis intrusus recipiet habitum, & effectum consecrationis, ex fundamentis à nobis adductis in d. q. 27. & 28. Quæ in præfenti locum habent, & iuxta hanc partem intelligi debet opinio Hostiensis, & aliorum tenentium, talem intrusum consequi consecrationem: hoc tamen declarandum, & intelligendum est, vt procedat & locum habeat, si talis intrusus bonæ fidei, fuisset consecratus antequam suspensus declararetur propter intrusionem: quia post suspensionem, quamuis recepisset characterem (iuxta ea quæ diximus supra in quæstione antecedenti) nullatenus tamen Pontificalia exercere poterit, vt aduertit Hostiensis, & post eum Innocentius in dict. §. sane, num. 11. ante finem.

At vero si sit malæ fidei, & non toleratus, tunc non recipiet habitum & effectum consecrationis, quamuis aliàs recepisset characterem, ex fundamentis ponderatis in quæstione antecedenti, & ex rationibus adductis supra, in d. q. 27. n. 6. & seqq. & in hunc sensum procedit prima opinio Anton. & Ioan. de Anna, & aliorum, & ita hanc controuersiam componendam; & prædictam quæstionem decidendam iudico, saluo meliori, &c.

QVÆSTIO XLVI.

An gesta per intrusum valeant in foro pœnitentia, & sic an absolutio, seu administratio Sacramentorum facta per eum, sit valida.

S V M M A R I V M.

Absolutio sacramentalis data per intrusum non est valida. n. 1. & 4.

Sed contra. n. 5.

Intellige prout n. 7. & seqq. & 21.

Obtinens secundam parochialem cum prima, est intrusus in ea, & si ibidem ministrat Sacramenta, decipit animas fidelium. num. 1.

Beneficium curatum vacat ipso iure per ascensionem secundi. n. 1. & 19.

Parochus alienus non potest soluere, aut ligare

animas alterius Parochia. n. 2.

Absolutio sacramentalis data à non Parocho, non valet, sicut nec sententia à non Iudice. num. 3.

Sed contra. n. 5. & seqq.

Intellige vt n. 21.

Sententia lata à non Iudice est inualida, sicut absolutio sacramentalis à non Parocho, vel Prelato. n. 3.

Absolutus sacramentaliter per intrusum in parochiali, non est verè absolutus, & ideo debet de nouo accedere ad verum Sacerdotem, eique sua peccata confiteri. n. 4.

Sed contra, n. 5.

Intellige vt num. 12. & 21.

Absolutio sacramentalis data per intrusum, qui legitimus Parochus reputabatur, cum verè talis non esset, valida iudicatur ex errore communi. n. 5.

Declara vt num. 21.

Intrusus toleratus in Parochiali, validè ministrat Sacramenta Ecclesiæ, si ipsius formam obserauerit. n. 5.

Intellige vt n. 12.

Declara vt n. 21.

Absolutus sacramentaliter per Sacerdotem intrusum, communiter reputatum pro vero Parocho, non tenetur de necessitate iterum confiteri peccata, quamuis de consilio id rectè efficiat. n. 6. & 8.

Intellige vt n. 12. & seqq.

Gesta sacramentaliter ab eo, qui non est verus Curatus, aut Parochus, sed communi errore pro tali existimatus, erunt valida in utroque foro, si titulum, licet inualidum, habuerit à legitimo Superiore; & ideo confessiones cum illo factæ non sunt iterandæ. num. 7. & 8.

Intellige vt n. 12. & seqq.

Intrusus in Parochiali, qui ipso iure notoriè est illa priuatus, non potest absolutionem sacramentalem impertire, aut alia Sacramenta ministrare; secus autem si titulum habeat etiam inualidum, & ex vi illius toleratus existat. n. 8. 9. & 22.

Confessiones factæ Parocho habenti titulum putatiuum à legitimo Superiore, & communi errore pro tali existimato, non sunt iterandæ, etiam detecto impedimento. numer. 8. & 9.

Intellige vt n. 21. & seqq.

Declaratur cap. Dudum, de electione, n. 9. Baptismus non legitimè susceptus, supposita bona fide, proficit ad saluandam animam. num. 10.

Absolutio sacramentalis, & administratio Sacramentorum facta per intrusum toleratum ex errore communi, operantur suum effectum, quia Ecclesia supplet illum defectum propter

propter bonam fidem ex errore communi
causatum. n. 11.

Intellige ut n. 12. & seqq.

Error communis potest suppleri obstacula iuris
humani & positiui; non verò naturalis, &
diuini. n. 13. & 22.

Gesta per intrusum Parochum non Sacerdo-
tem, vel Episcopum, sunt in utroque foro
inualida, & irrita. n. 14.

Lex positiua, vel humana non potest suppleri,
aut validare defectus procedentes ex iure
naturali, vel diuino. n. 14.

Inhabilitas proueniens ex iure humano sup-
pleri potest ex errore communi, ut admini-
stratio Sacramentorum facta per intrusum
sit valida; secus autem si procedat ex iure
diuino, veluti si non Sacerdos absoluat, aut
non Episcopus exerceat quæ sunt Dignitatis
Episcopalis, n. 15. & 16. cum seqq.

Casus singularis refertur de quodam laico qui
per 33. annos exercuit curam animarum
in certo loco. n. 17.

Laicus nullatenus exercere potest, quæ sunt
Ordinis sacerdotalis; quod si effecerit, com-
mittit magnum sacrilegium. n. 17.

Sacerdos seu Parochus habens titulum à Su-
periore collatum, licet alias illegitimum, si
administrauerit Sacramenta, & alia ad cu-
ram animarum pertinentia, erunt valida
ex errore communi, donec toleratus exi-
stat. n. 18.

Error communis tribuit ius non habenti titu-
lum legitimum, & communis tolerantia
confert iurisdictionem non habenti illam,
dummodo obstaculum sit iuris humani, &
non diuini. n. 18.

Declaratur textus in cap. dudum, el 2. de
electione, n. 19. & 20.

Prelato, seu Parocho incumbit curare animas
suorum subditorum, & pabulo spiritali
illas alere. n. 20.

I ANC quæstionem mouet Glossa
in cap. dudum, el segundo, verbo,
decepta, de electione, Et ibidem
resoluit, absolutionem datam
per intrusum non tenere. Et mouetur ex
dispositione illius textus, vbi Gregorius
IX. disponit, quod retinens primum bene-
ficio curatum, quod vacat ipso iure per
assequutionem secundi, iuxta text. in cap.
de multa 28. de prebendis, & dignitatibus, &
extrauagan. Execrabilis, eodem titulo, & Tri-
dent. sess. 7. cap. 4. de reformat. de quo latè
agunt Garcia, & alij ab ipso relati in tract.
de benef. 11. p. cap. 5. à num. 7. & sequenti,
Valerius Reginal. in praxi fori pœnitentia-
lis, lib. 3. tract. 7. num. 309. Si primum reti-
neatur, & administretur, erit intrusus in eo,

cum illius cura ad ipsum non pertineat, &
exinde decipit animas Parochianorum: ex
quo infert dicta Glossa, quod cum tunc
desierit esse illorum Parochus, vel Præla-
tus, nullam in eis habebit potestatem, &
per consequens non poterit illorum ani-
mas soluere, vel ligare: iuxta textum in cap.
Omnis vtriusque sexus 12. de pœnitent. &
remiss. cap. placuit, de pœnit. distinct. 6. & cum
pluribus probat noster Cenedo in suis quæ-
stionibus canonicis, q. 3. num. 50. & sequen. &
per consequens eius absolutio non substi-
tit; sicut nec etiam tenet sententia lata à
non suo Iudice, vt annotauimus supra, q.
44. num. 14. & patet ex text. in cap. At si
Clerici, de iudiciis, probantque Antonius
Gomez tom. 3. variar. resol. cap. 12. num. 8.
vers. nec obstat textus notabilis, Rota in noui-
ter nouissimis Farinacij decis. 121. num. 2.
Aloysius Riccius in collect. decision. tom. 5.
collect. 1480. vers. 4. ex defectu, & alij plures:
ex quibus Iafon in l. si urbana, num. 7. vers.
item prædicta, de conditione indebiti, com-
mendat dictam Glossam pro singulari, &
ibidem communiter Doctores, vt per Car-
dinalem colum. 4. vers. sexto quæro, Abba-
tem, num. 20. Qui dicit prædictam Glos-
sam esse singularem, & nunquam obliuio-
ni tradendam, quia sæpenuerò practica-
tur, cum multi possideant beneficia per
intrusionem: & exinde infert ibidem Inno-
centius quod cum sic absolutus, non sit
vere absolutus ex defectu potestatis absol-
uentis, si sciat, ipsum absoluentem esse in-
trusum: debet de nouo ad verum Sacerdo-
tem accedere, eique sua peccata confiteri:
ad textum in d. cap. omnis, de pœnitent. &
remission. & probat Ioannes Valerius de
differentia inter vtrumque forum, verbo, nul-
litas, differen. 5. num. 2. & sequen. vbi differen-
6. disputat, in quibus casibus pœnitens te-
neatur iterum peccata confiteri.

Contrarium tamen defendunt plures,
videlicet, absolutionem datam per intru-
sum, validam esse, vt tradit Hostiensis in d.
cap. dudum, num. 13. vers. tu dicas; quod qui-
dem probat ex eo, quia qualiscumque sit
Presbyter, si probabiliter ignoretur eum esse
intrusum, & ex eo reperitur toleratus, si
Ecclesiæ formam obseruauerit, validè ab-
solutionem impertitur: ad text. in l. Barba-
rius Philippus, ff. de officio Pratoris, & cap.
nomne, 8. q. 4.

Ex quo infert Hostiensis, quod etsi post-
modum taliter absolutus, certificetur de
intrusione absoluentis, non ex eo tenebitur
de necessitate iuris, sed de consilio tan-
tum, iterum confiteri coram vero Sacerdote:
& ibidem latè agit de hoc articulo, sequen-
do

do hanc sententiam: & Abbas in cap. quia
contingit, num. 12. vers. nec obstat si dicatur, de
dolo & contumacia, optime Barb. in tract. de
officio, & potestate Parochi, p. 2. cap. 17. n. 27.
& sequen. vbi latè probat, quod gesta sacra-
mentaliter ab eo, qui non est verus Cura-
tus, aut Parochus, sed communi errore pro-
tali existimatus, si habeat titulum à legiti-
mo Superiore, licet non rectè collatum,
erunt valida in foro conscientiæ: quod
probat ex auctoritate plurium Doctorum.
Et statim n. 28. ita ait:

8 Vnde confessiones his factæ iterandæ
non sunt, detecto impedimento; per text.
in cap. infamis, vers. verumtamen, 3. q. 7. & in
l. Barbarius, ff. de officio Pratoris, & in l. 2. C.
de sententiis & interloq. resoluunt Innocen-
tius, Ioannes Andreas, & Abbas in cap. du-
dum, de elect. Nauarr. in cap. placuit, de pœni-
tent. distinct. 6. num. 179. & sequen. vbi sub-
dit, quod si quis suo titulo, & possessione
iuris priuaretur, sed non adeo notoriè quin
possessionem facti retineret, & à Superiore
toleraretur, eo casu gesta per ipsum in con-
scientiæ foro valerent: vbi etiam secus re-
soluit, quando Parochus sine vlla Superio-
ris auctoritate se in beneficium intrusit,
vel notoriè ipso iure, aut per sententiam
est suo titulo priuatus, quod etiam resol-
uunt plures relati à Sanchez de matrim. lib.
3. disp. 2. 2. num. 13. Non obstat dictum cap.
dudum, ibi, decepta, quia Abbas illic, n. 26.
Sanchez vbi supra, num. 14. & sub num. 56.
intelligunt verbum illud, decepta, quasi
animæ Parochianorum, à Curato Ecclesiæ
priuato, & communiter tolerato absolutum,
non decipiantur verè per huiusmodi
absolutionem: immò per eam (supposita
bona fide) saluentur: ad instar Baptismi in-
ualidi, bona fide suscepti, iuxta textum in
cap. 2. & in cap. ultimo, de presbytero non ba-
ptizato: sed solum dicuntur deceptæ, habi-
to respectu ad animum prædicti Curati,
eas decipere intendentis. Et hæc Barbosa.

11 Ex cuius doctrina, & aliorum eam se-
quentium colligitur, absolutionem pœni-
tentialem, & administrationem aliorum
Sacramentorum ministratam per intru-
sum, esse validam, ex ea ratione, quia in
tali casu propter bonam fidem Ecclesia
supplet illum defectum ex errore commu-
ni causatum, vt cum Escobar à Corro de
viroque foro, tom. 1. tract. 5. §. 20. casu 20.
num. 317. cum pluribus sequen. & Sanchez
in d. disp. 22. dixi in meo Pastoralis interno, p.
2. tract. unico q. 7. n. 16.

12 Prædicta autem intelligenda sunt vt lo-
cum habeant, dummodo talis intrusus fre-
tus existat aliquo titulo à Superiore colla-
to, licet sit inualidus ob aliquod vitium oc-
cultum; At verò si se ingesserit temerariè
& sine aliquo colore, tunc non valebit ab-
solutio, aut administratio Sacramentorum
præcipuè si illud apud aliquos innotescat,
vt cum Sanchez in d. disput. 22. num. 49.
Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 7.
Lessio de iustitia, & iure lib. 2. cap. 29. dub. 8.
num. 66. Valerio Reginal. in praxi fori pœ-
nitent. lib. 1. num. 102. & n. 103. Coninch
de sacrament. disp. 8. dub. 3. num. 22. & dub. 6.
num. 47. & aliis pluribus tradit Barbos. in
tract. de offic. & potest. Parochi, p. 2. cap. 17.
num. 33. quamuis in hoc articulo Pontius
de Leon in tract. de matrim. lib. 5. cap. 20.
neruose ex variis fundamentis defendat,
non esse necessarium titulum à Superiore
collatum, vt gesta per intrusum valida re-
putentur tam in foro externo, quam pœni-
tentiali; cui opinioni magis se inclinat
Ioannes Sanctius in selectis disp. 44. num. 3.
vers. immo summo Pœnitente ignaro, quos etiam
refert Barb. in d. cap. 17. num. 33. in fine, qui
allegat Pontium in loco diuerso; vbi id affir-
mat. Ego quidem in hoc articulo existimo,
ambas opiniones esse probabiles, & defen-
di posse: nam licet prima sit communior, &
receptior; negari tamen non potest, quin
secunda Ioannis Sanctij & Basilij Pontij
validis sit munita fundamentis, & ideo
non auderem illam improbare.

In præsentia tamen aduertendum est,
quod aut error communis est circa obsta-
cula iuris positiui, vel humani, quia tunc
gesta per talem intrusum reputatum pro
legitimo Ministro bene valebunt: v. g. in
Sacerdote tolerato, & communiter repu-
tato pro verò & legitimo pœnitentis Pa-
rocho, quia tunc propter bonum commu-
ne, & vniuersale, supplet Ecclesia defectus
illius, prout efficere potest, vt diximus supra,
à n. 6. vsque ad 12.

At verò si defectus & incapacitas pro-
cedat ex iure naturali, & diuino, vt quia
non Sacerdos pœnitentialiter absolueret,
vel administraret Sacramenta requirentia
ordinem Presbyteralem; vel non Episco-
pus efficeret ea, quæ immediatè & præcisè
dependent ab ipsa consecratione Episco-
pali Dignitatis; tunc gesta per illos in
viroque foro erunt inualida, quia lex posi-
tiua vel humana, non potest validare, aut
supplere defectus procedentes ex iure na-
turali, vel diuino; vt cum Bonacina, Thom.
Sanchez, Escobar à Corro, & Quintana
Dueñas latè probaui in d. meo foro conscien-
tia, siue Pastoralis interno, 2. p. tract. unico q. 7.
num. 17. vsque ad 20. Quibus iunge Barb.
de offic. Parochi, p. 2. in d. c. 17. qui postquam

num. 34. dixit, quod inhabilitas proueniens ex iure humano suppletur ex errore communi, ad hoc ut administratio Sacramentorum facta per intrusum sit valida, pergit num. 35. & ita ait: Quando verò inhabilitas procederet à iure diuino aut naturali, quamuis concurrat prædictus error, & titulus, gesta per sic inhabilem nullius erunt momenti, Abbas in cap. 2. in fine, de Presbytero non baptizato, & alij quos refert & sequitur Mascardus de probationibus, conclus. 649. num. 98. & 99. & Sanchez in d. disputatione 22.

36 Vnde si non Sacerdos sacramentaliter absoluat, quamuis communiter existimetur Sacerdos, & verus Parochus, absolutio est irrita: is enim patitur inhabilitatem de iure diuino, secundum quod soli Ordini sacerdotali annexa est iurisdictio necessaria ad eam absolutionem ministrandam: ex textu in cap. verbum, de penitentia, distinctione 1. Concilium Trident. sess. 14. de Sacramento penitentiae, canon. 10. resoluunt Sanchez loco citato, Ioan. Bapt. Costa de remed. subsidiar. remed. 127. num. 25. late & eleganter Ioan. Valerius de differ. vtriusque fori, verbo, nullitas, different. 2. n. 3. ubi refert, in loco del Pono, Regni Aragoniae, inuentum fuisse Parochum, qui erat laicus Regni Franciae, & curam animarum illius loci per 33. annos exercuerat, &c. Haec Barb. de quo articulo videndi sunt Cæsar Carèna in tract. de officio Sanctissimæ Inquisitionis, p. 2. tit. 11. §. 1. vsque ad 5. & Cartatius de crim. 13. n. 8.

17 Et quia casus relatus à Ioan. Valerio fuit singularis, liber illius verba etiam transcribere, ut notus sit, non habentibus eius librum. Ipse namque postquam tradidit in d. differentia 2. num. 2. prædictam distinctionem inter ius humanum, & diuinum, seu naturale; postmodum num. 3. ita concludit: Hinc dicit Glossa famosa & vulgaris in cap. Dudum, il segundo, de electione, verbo, decepta. Si quis laicus se gerat pro Sacerdote, cum reuera non sit (ut contingit in loco del Pono in Regno Aragonum, ubi quidam laicus Regni Franciae, peritus, & veste clericali indutus, dixit se esse Sacerdotem, cum non esset; deceptusque Episcopus ex habitu, scientia, & falsa dicti laici relatione, contulit illi curam animarum loci prædicti, quam per triginta & tres annos ante Concilium Tridentinum exercuit, donec per quosdam compatriotas eius fuit veritas detecta) huius laici (licet ipse reputaretur Sacerdos communi opinione, & habens curam animarum, absolueret ad se venientes) nec communi opi-

nione, nec collatione beneficij curati facta à Superiore validari tales absolutiones, nec etiam facient de attrito contritum, quia nullum fuit Sacramentum, sed magnum potius Sacrilegium, & sic quoad Sacramenta nihil operatur communis opinio, nec auctoritas Superioris in non habente Ordinem sacerdotalem. Hoc tantum operabitur, nimirum, taliter confessos (si alias erant contriti) saluari propter fidem Sacramenti quam habuerunt: & illam Glossam sic declaratam & intellectam dicit communiter approbatam Nauarrus in cap. placuit, de penit. distinct. 6. num. 177. & 179. Ripa &c. & hæc Valerius.

18 Ex quibus patet, quod sunt valida gesta per Sacerdotem intrusum habentem titulum à Superiore collatum, si ex errore communi haberetur pro habili & legitimo Ministro; & ita si Sacerdos qui alias non canonicè administrauerat, aut obtinuerat Parochialem, si communiter reputaretur pro vero Parocho, & cū bona fide curam animarum erga suos parochianos exercuerit, sustinebuntur Sacramenta per ipsum ministrata; nam quoad illos error communis facit ius, & communis tolerantia tribuit iurisditionem, eam non habentis etiam si alias inhabilis existat: ex d. l. Barbarius, ut copiosè tradunt Doctores supra allegati, & alij penes Barb. in collect. ad Tridentinum, sess. 23. cap. 15. num. 22. de reformat. Secus autem dicendum erit, si talis intrusus Sacerdos non esset, aut alias haberet alia obstacula iuris naturalis, vel diuini; quia tunc error, vel communis existimatio non potest supplere defectus resultantis contra tale ius, ut diximus supra, n. 13. & sequen.

19 Ad textum verò in d. cap. dudum, el. 2. de electione, responderetur, ideo dicere quod animæ erant deceptæ, quia notorium in facto erat illum intrusum (de quo in textu) carere titulo canonico; nam retinebat primum beneficium curatum cum secundo etiam curato; quod quidem occultum dici non poterat, sed immo potius notorium, quia omnibus per signa exteriora, hoc est, per ipsam administrationem, manifestum erat, ipsum priuatum remanere ipso iure primo beneficio curato per assequutionem secundis; exinde administrando in primo, dicit textus, quod animæ erant deceptæ: quia cum esset notorium, illum non habere titulum canonicum in primo curato, quantum erat in eo, animæ verè decipiebantur, & quantum in ipso fuit, illorum animas perdere intendebat, ipsarumque sanguis de manu ipsius requirendus veniebat, iuxta

20 iuxta textum in cap. irrefragabili, de officio Ordinarij. Et cum Prælato, seu Parocho incumbat, subditorum conscientias curare, & pabulo spiritali alere, ut optime tradit Cosmas Guimier in pragmatica sanctione, in præmio, §. quæ omnia, verbo, dissimulare, pag. 44. in secunda impressione; merito dicitur, talem Parochum in specie dicti capituli, dudum, animas illorum decipere, exercendo quod nullatenus exercere potuerat; maxime cum tolerantia respectu ipsius admitti non deberet. ut in cap. Apostolica, de Clerico excommunicato ministrante, & ita intelligunt prædictum textum Antoninus ibidem n. 13. in 11. notabili, & Abbas n. 20. vers. item possit dici.

21 Et secundum hanc doctrinam intelligi debet prima opinio (de qua supra, n. 1. vsque ad numerum 5) videlicet quod intrusus qui ita notoriè est ipso priuatus, ut ex ipso facto notorietas oriatur, ut in exemplo illius qui insimul duo beneficia curata retinet & administrat, non possit absolueret, aut alia Sacramenta validè ministrare ex tolerantia, cum error notorius non possit sanare aut validare gesta per ipsum; ut in d. cap. dudum: sed solum quæ procedunt ex errore occulto & probabili: & in hunc sensum admitti debet doctrina Innocentij & Ioannis Andreae supra adducta n. 8.

22 Secus autem erit, si talis intrusus ipso iure priuatus remaneret, ex causa non notoria in facto; quia donec sententia declaratoria facti non feratur, dicitur toleratus, & ita error communis operatur, ut interim gesta per ipsum sint valida & efficacia, & ex consequenti quidquid effecerit in foro penitentiali, & administratione Sacramentorum in vtroque foro sustinebuntur, dummodo non se opponat iuri naturali, vel diuino, sed effectus oriatur ex iure positivo secundum ea quæ diximus supra, n. 13. & sequen. & iuxta hunc intellectum procedit opinio Hostiensis, & aliorum, de qua supra, n. 5. & sequen. Ex quibus conciliantur ambæ sententiæ supra relatæ, & præfens quæstio decisa remanet.

QVÆSTIO XLVII.

Indulgentiæ concessæ per Prælatum intrusum an profint.

S V M M A R I V M.

Indulgentias concessas per Prælatum intrusum esse viles, & proficere, plures Doctores timentur. n. 1. & sequen.

Tract. de Intrusione.

Sed contraria opinio est verior, & tenenda. n. 5. & sequen.

Error communis & probabilis opinio efficit, ut actus aliàs inualidus robur habeat. n. 1.

Opinio communis & error probabilis, si nemini præiudicat, sed alicui prodest, cedit veritati. num. 2.

Intellige ut n. 6.

Deus indicat non tam ex operibus, quam ex intentione; & potius considerat animum, quam factum; nam interrogat cor, & non manum. n. 2. & 3.

Intellige ut n. 12.

Indulgentiæ concessæ à Prælato penitus falso, qui putabatur verus, non minus operantur, quàm si essent concessæ à legitimo Prælato. n. 4. Sed contra. n. 5. & sequen.

Indulgentiæ concessæ à Prælato intruso nullatenus proficiunt. n. 5. & 9.

Veritas opinioni præferenda est, nam illa semper præualet, eique omnia cedunt. n. 6. & 9. cum sequen.

Præsumptio sola iuris perimitur ex contraria probatione. n. 6.

Indulgentias plenarias pro tota Ecclesia solus Pontifex concedere potest, & Episcopi limitate ad certos dies quoad suas Dioceses; sed non alij Prælati inferiores, aut Vicarij Episcoporum. n. 7.

Episcopus intrusus, qui communi errore existimabatur legitimus, si indulgentias concedat erunt nullæ, nec proficere poterunt. n. 8. & 14.

Potestas est necessaria de iure diuino ad concedendas legitime indulgentias. n. 8. & 14.

Indulgentias querere, & lucrari, non est simpliciter necessarium ad salutem animarum. n. 8. & 14.

Parochus occultè excommunicatus rectè administrat Sacramentum Penitentiae, & alia ad curam animarum pertinentia. n. 8.

Indulgentiam non consequitur probabiliter credens esse veram, cum realiter vera non sit. n. 9.

Veritas in spiritualibus maxime præfertur opinioni; immo, & iurisditioni, qua est maioris potentia. n. 10.

Aqua benedicta etsi dimittat venialia, tamen qui aquam non benedictam accipit, quam putat benedictam, non obtinet illorum veniam, licet cogitet de remissione venialium. num. 11.

Error communis non proficit ad validandum actum, aliàs inualidum, quando non agitur de fauore publico, sed de priuata utilitate. n. 13. & 14.

Sacramenta ministrata per Sacerdotem intrusum in Parochiali, reputatum pro vero Parocho, sunt valida. n. 14. & 16.

Indulgentias concedere, pendet de iure diuino

à potestate Episcopali, & ea cessante, cessat auctoritas. n. 15. & 16.

Sacramenta collata à non Sacerdote sunt nulla, & inualida, etiam si ex errore communi, & generali reputatione haberetur pro vero Sacerdote. n. 16.

Christianus saluari potest, etiam si in vita indulgentias non lucretur, quia non sunt de necessitate salutis, sicut Sacramenta. n. 16.

MATERIA huius quaestionis difficilis admodum videtur: nam eius resolutio variè apud Doctores desumpta reperitur. Prima namque facie dicendum videtur, quod indulgentiæ concessæ per Prælatum intrusum proficere debeant, ex illa generali, & multoties repetita regula, à nobis in superioribus quaestionibus adducta, & à Doctoribus admittitur, quod error probabilis, & communis opinio excusat: iuxta textum in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, l. 2. C. de sententiis & interloq. omnium iudicum, cum aliis pluribus.

2 Maxime in præsentī, quia ista generalis opinio nulli præiudicat, immo prodest, & ideo non est mirum, quod præualeat veritati, quia fauorabilis est, ex quo error communis, & generalis opinio efficit, ut veritati præferatur: cap. veniens, de Presbytero non baptizato, quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex intentione, & corde: cap. qui peierare, 2. 2. q. 5. & potius considerat animum, quam factum: ut 1. 5. q. 6. cap. 1. nam interrogat cor, & non manus: cap. si quid, 14. q. 5. cap. proposito, 3. 2. q. 15. quæ omnia adducit Glossa prima in d. cap. qui peierare, 2. 2. q. 5. Ergo indulgentiæ concessæ per Prælatum intrusum, communi errore, & generali existimatione pro vero reputatum, proficiunt.

4 Hæc & alia fundamenta ponderantur ab Oldrado, qui consilium solemne, & factis diffusum edidit tom. 1. conf. 76. quamuis ipse contrariam opinionem tueatur (ut dicemus infra) prædictam autem defendunt Ancharanus in clement. abusioibus, de penitent. & remission. & eo relato Auiles in capit. Prætorum, in Glossa, verbo, Assistentes, cap. 1. n. 23. fol. 25. qui assertiuè non decidit quaestionem; sed tantummodo de ea inducit quamdam illationem, & idem videtur innuere Barb. de offic. & potestate Parochi, p. 2. cap. 17. n. 31. & 32. vbi ita ait: Hinc denique indulgentiæ concessæ à Prælato penitus falso, qui putabatur verus, non minus operantur, quam si essent concessæ à Prælato vero, ut per Auiles ad cap. 1. Prætorum, num. 13. pag. 25. Quod etiam repetit

in collect. ad text. in cap. dudum, el segundo, de elect. n. 6. Idemque videtur insinuare Ioannes Valerius de differentia inter vtrumque forum, verbo, Nullitas, differen. 2. num. 2. vbi probat, quod Parochus occultè excommunicatus rectè administrat Sacramentum Pœnitentiæ, & alia ad curam animarum pertinentia, & ponit exemplum in Episcopo excommunicato concedente indulgentias; quamuis non satis firmiter id asserere videatur, ut patebit ex infra dicendis, num. 8.

Contrariam tamen opinionem tuentur alij, asserentes, prædictas indulgentias nullatenus proficere, ut videre est penes Oldradum in d. conf. 76. vbi longa manu defendit hanc sententiam, eamque roborat variis rationibus & argumentis, & accuratè respondet contrariis; apud quem videre poteris.

6 Primò enim suadet ex eo, quia veritas præferenda est opinioni, l. Regula 9. §. qui ignorauerit, ff. de iuris & facti ignorantia, l. 1. §. si à Pupillo, ibi, ut hic plus sit in veritate, quam in existimatione mentis, ff. pro emptore, & probat etiam text. in §. si quis rem suam. Institut. de legatis, & ibi Pichardus, num. 3. Menoch. de præsumptionibus, lib. 1. q. 31. vbi quaerit, quando præsumptio tollat contraria præsumptione; & num. 2. resolut, quod sola præsumptio iuris probatione contraria perimitur: & num. 4. reddit rationem, cum Baldo, & Pariso conf. 29. n. 82. lib. 2. Nam veritas semper præualeat, & illi omnia cedunt: l. penultima, §. Mulier, ff. de probationibus: ex quo infert Glossa magna in cap. veritate, 8. distinct. per eum textum; quod veritas præiudicat opinioni, & ibidem allegat alia iura idem confirmantia; ergo in præsentī dicendum videtur, quod veritas incapacitatis illius qui concedit indulgentias, præualere debeat opinioni; & per consequens, quod proficere non possint Indulgentiæ.

7 Secundo, quia indulgentias plenarias pro tota Ecclesia solus Pontifex concedere valet, & Episcopi respectiuè & limitatè quoad suas Dioceses, sed non alij inferiores Prælati, nec Vicarij Episcoporum, ut latè tradit nouissimè Andreas Mendo ad Bullam Cruciatæ, disp. 6. cap. 1. num. 16. & sequen. qui num. 17. docet, eam facultatem esse omnino annexam Ordini Episcopali, ergo præcisè requiritur, ut qui indulgentias concedat, eam obtineat Dignitatem; sed intrusus caret Prælatu, & dignitate Episcopali, ergo indulgentiæ per ipsum concessæ proficere non possunt. Alia fundamenta ad intentum congerit Oldradus in d. conf. 76.

à n. 2.

à n. 2. vsque in finem, qui hanc opinionem defendit, quam quidem verissimam, & amplectendam iudico.

8 Et quidem est etiam de mente Basilij Pontij de Leon lib. 5. de matrim. cap. 20. vbi num. 8. ita ait: Sed quaerit aliquis, quid dicendum sit de indulgentiis concessis ab intruso, qui communi errore existimabatur legitimus Episcopus? Respondetur, eas indulgentias non valere; tum quia in intruso non est potestas, quæ de iure diuino requiritur ad illas concedendas, tum quia ipso iure non reputantur concessæ in illis casibus, quia non sunt simpliciter ad salutem necessariæ, neque in illis versatur ea publica & communis utilitas, quæ in valore Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ. Hæc Pontius.

Idem videtur insinuare Ioannes Valerius in dicto verbo, Nullitas, differen. 2. n. 2. qui postquam dixit quod Parochus occultè excommunicatus rectè administrat Sacramentum Pœnitentiæ, & alia ad curam animarum pertinentia, exemplificat in Prælato excommunicato concedente indulgentias, ut diximus supra, n. 4. & statim profequitur, in vers. sed pro Siluestro, qui hanc sententiam tuetur, & ita ait: Sed pro Siluestro facit Glossa verbo, approbatis, in cap. unico, de voto, lib. 6. quatenus habet, in spiritualibus veritatem, & non opinionem attendi. Quam Glossam probat Abbas in cap. 1. & 2. de Presbytero non baptizato, & dicit esse digito ligandam Præpositus in cap. rufus, qui Clerici vel vouentes; facit etiam Paris lib. 7. de resignat. benef. q. 24. à num. 47 vbi num. 41. dicit, dictam legem Barbarius non procedere in Sacramentalibus, bene tamen in Spiritualibus, & beneficialibus, &c. Ex quibus verbis Ioannis Valerij assertiuè nō videtur liquere, quam opinionem ex prædictis ipse tueatur, cum pro vtraque referat doctrinas allegatas per Doctores, & ideo æqualiter pro hac opinione allegari potest, licet magis se inclinet contrariæ.

9 Verum quia Iacobus de Grassis à Capua, in suis decisionibus aureis casuum conscientie, p. 2. in appendice secundi tom. lib. 2. cap. 5. num. 65. sub titulo, Indulgentiæ quibus possunt concedi, & quibus profunt: pag. mihi 64. in impressis Venetiis, de anno 1600. vel 1601. ex officina Damiani Cenari, accuratè, & cōcisè agit de hoc articulo, sequendo hanc secundam nostram sententiam, operæpretium duxi, ipsius verba transcribere, nam ex eis satisfit argumentis pro contraria ponderatis, & optimè probat, illum non consequi indulgentias, qui probabiliter

Tract. de Intrusione.

credit esse veras, cum non sint, & ita ait: Qui probabili errore ductus, quia erat sic communis opinio, credens indulgentiam veram, ad eam consequendam dedit elemosynam, & visitauit Ecclesiam, secundum communem sententiam, illam non consequitur: Quia licet iste videatur excusatus, cum error descendat à communi opinione, ut not. in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, cap. nuper, de Bigamis, & Deus attendat cor, cap. peierare, 2. 2. q. 5. tamen Oldradus conf. 76. quem sequitur Zabara in clement. 2. §. ad hæc, num. 16. de penit. & remis. Marian. Soc. in d. cap. nostro, num. 77. cum sequen. & Francus in cap. finali, eodem titulo, in 6. affirmat contrarium. Et ratio est, quia veritas præualet opinioni, distinct. 8. cap. veritate, & maxime in spiritualibus, in quibus non solum præfertur opinioni, immo & iurisdictioni, quæ est maioris virtutis: Archidiaconus in cap. unico, de voto in 6. de officio delegati, eodem libro, cap. cum plures. Pro hoc, de electione, cap. dudum, il. 2. ibi, dum nabiliter sunt decepta, supra, in clementina, 1. de penit. & remissionibus, ibi, simplices decipiant. Non enim deciperentur, si consequerentur indulgentiam. Item ibi etiam dicit, quod hoc cedit in periculum animarum. Facit à simili, quod etsi aqua benedicta dimittat venialia, cap. aquam, de consecrat. dist. 3. Glossa in verbo, benedictionem, in proam. in 6. tamen qui aquam non benedictam accipit, quam putat benedictam, non obtinet illorum veniam; quamuis cogitet de remissione venialium, Sotus in 4. sententiarum, distinct. 5. artic. 3. q. 2. Vnde ad id quod dicitur, quod Deus considerat intentionem, dicit Oldradus esse verum quoad hoc, ut actus dicatur bonus, vel malus; meritorius, vel demeritorius; & non quantum ad quantitatem Pœnæ, vel præmij; quia hoc respectu consideratur veritas: l. cum qui, §. si iniuria, ff. de iniuriis, l. vulgaris, §. si quis, ff. de furtis, facit quod not. in cap. in Audientia, de sententia excommun. 24. q. 1. in summa. Item ad id quod dicitur de errore probabili: dicit quod hoc casu non prodest, quia non agitur de fauore publico, sed de priuata utilitate, &c. Et ibidem profequitur Grassis qualiter contingere possit, ut quis accipiat indulgentiam non veram: & tandem n. 70. in fine ita concludit: Et quamuis soluens non fuisset alias soluturus, tamen non frustra soluit; quia licet non habeat indulgentiam, habet tamen meritum elemosynæ pro hoc, quia talis dolus respectu ipsius decepti videtur bonus, quia prouocat eum ad melius: cap. dilecti, de dolo, &c. Usque huc Grassis. Et ex eius doctrina liquidò

L 3 roborata

roborata manet hæc nostra sententia.

14 Cui non contradicit, quod Sacramentum Pœnitentiæ, & alia quæcunque ministrata per Parochum intrusum, reputatum legitimum, sunt valida, & proficiunt: ut latè probauimus *suprà*, in questione antecedenti, à num. 5. & sequen. & conducunt ad intentum quæ congerit Barb. in collect. ad text. in cap. Apostolicam 2. de presbyt. non baptizato. ergo multo fortius debent proficere indulgentiæ concessæ à Prælato non vero, seu intruso.

15 Nam ut optimè aduertit Pontius de Leon in d. tract. de matrim. lib. 5. cap. 21. n. 8. longa reperitur differentia inter vtrumque casum. Enimvero indulgentias concedere pendet de iure diuino ab ipsa potestate Episcopali, qua cessante, etiam cessat auctoritas, ut diximus in questione antecedenti, num. 14. & sequen. de non Sacerdote reputato pro Sacerdote, nam talis non confert sacramenta, etiam si sit toleratus; & ex communi errore habitus pro vero, & legitimo Parocho. At vero si esset Sacerdos, licet careat titulo legitimo, tunc error communis & generalis existimatio operabitur, ut gesta per ipsum Sacramentaliter valida reputentur propter bonum commune, & publicam vtilitatem, consistentem in receptione Sacramentorum necessaria ad salutem spiritualem animarum; quæ quidem cessat in lucrands indulgentiis, cum sine ipsis Christianus saluari possit; & exinde non versatur illud bonum commune, & illa publica vtilitas, sed imo potius priuata, contra quam se opponit incapacitas concedentis; scilicet Prælati intrusi, & ex eo infert Pontius per hæc verba: Indulgentias non valere, quia in intruso non est potestas, quæ iure diuino requiritur ad concedendas indulgentias, quia ipso iure non reputantur concessæ in illis casibus, quia non sunt simpliciter ad salutem necessariæ, neque versatur ea publica, & communis vtilitas, quæ in valore Sacramentorum Pœnitentiæ & Baptismi, &c. Ex quibus ita concludendum iudico.

QVÆSTIO XLVIII.

An sit obediendum intruso in Prælatura.

S V M M A R I V M.

Subditi non tenentur in foro conscientie obedire Prælati, quem certo scit esse intrusum. num. 1. & 4.

Quod extendit etiam, ut locum habeat, si id credat ex ratione & auctoritate probabili. num. 9. & 10.

Limita ut n. 11.

Coniux certo sciens impedimentum matrimonij non debet obedire viro debitum exigenti, sed potius excommunicationem pati. n. 2.

Superiori non est obediendum contra legem conscientie. n. 3.

Prælati intruso ex defectu tituli non tenentur in foro interiori obedire subditis, si certus sit de intrusione. n. 4.

Quod extendit etiam, si id credat ex auctoritate, & ratione probabili. n. 9. & 10.

Limita ut n. 11.

Solutio debiti quod Ecclesie debetur, si facta fuerit intruso cum scientia intrusionis, non liberat soluentem ab obligatione, etiam si fiat ex præcepto iudicis. num. 4.

Quod intelligit ut num. 5.

Litteræ monitoriales sub pœna excommunicationis, emanatæ à Prælati intruso, non obligant, ut subditi teneatur denunciare; nec ex eo incurret excommunicationem, num. 6. & 7.

Fructus beneficij non debentur ei, qui titulo canonico caret. num. 6. & 7.

Subditi non tenentur in foro conscientie obedire Prælati intruso, licet alias subiectus existat illius Ecclesie. n. 7.

Quod extendit ut num. 9.

Subditi excommunicatus per Prælatum, quem certo scit verè esse intrusum, si celebret, non incurret irregularitatem. n. 8.

Scire, vel probabiliter credere aliquid ex ratione probabili, & auctoritate legitima paria sunt in aliquibus casibus. num. 9.

Subditi tenentur potius excommunicationem, vel aliam pœnam pati, quam obedire contra conscientiam Prælati notorie intruso, aut non tolerato. n. 10.

Dubitans in aliquo actu, si operetur cum dubio, non rectè operatur. n. 11.

Iudicium faciendum est in dubio pro possessore. num. 11.

Subditi tenentur in foro exteriori obedire Prælati intruso, instituto, & confirmato per legitimum Superiorem. num. 11.

Administratio Prælati attribuitur Prælati in foro exteriori ex solo titulo colorato, licet alias minus legitimo. n. 13.

Obedientia debetur in foro exteriori Prælati intruso, sed tolerato, donec de eius mala fide, & intrusione non fuerit in iudicio coniectus. n. 13. & 14.

Obedientia debetur in foro exteriori Prælati intruso, & tolerato, licet pendente super intrusione, etiam si contra illum agatur ad priuationem. n. 14.

Quod

Quod extendit ut locum habeat, etiam si contra eum lata fuerit sententia, declarans ipsum intrusum, si ab ea fuerit appellatum, & prosecuta appellatio. n. 15.

Sententia priuatoria, lata contra Prælatum, si ab ea fuerit appellatum, & appellatio prosecuta, non impedit quin ea pendente tali Prælati parendum sit. n. 15.

Episcopus, qui appellauit à sententia depositionis, potest pendente appellatione suum officium, & iurisdictionem exercere. n. 16.

Obedientia subtrahi non debet Prælati intruso, etiam notorio, si fuerit toleratus, dum pendet lis super intrusione. n. 16.

Obedientia subtrahi potest in utroque foro Prælati, qui se intrusit in Prælati propria auctoritate, non instituto, aut confirmato à Superiore, sed fauore & auxilio potentum intruso. n. 17.

Subditi coniurare possunt de non obediendo Prælati intruso, aut heretico, vel schismatico, qui propria auctoritate, & auxilio vel fauore potentum se intrusit in Prælati. num. 18.

Clerici possunt statuere, & inter se coniurare, ut non admittant Prælatum notorium excommunicatum, schismaticum, seu intrusum, vel alio gravi delicto notorio laborantem. n. 19.

Clerici coniurantes suspendendi sunt, & plebeandi pœna depositionis. n. 20.

Coniurationes sunt prohibite, non solum de iure Ciuili, sed etiam Canonico. n. 20.

Intellige de illicitis coniurationibus, non vero de licitis. n. 21.

¶ VIVS quæstionis resolutio distinctionem requirit, ne in æquiuoco desumatur; nam aut versatur in foro conscientie, & interno, vel in exteriori; & diuersimodè in eis philosophandum est.

Et in primis si loquamur in foro interiori, dicendum est, quod si quis certò sciat, Superiorem esse intrusum, nullatenus aderit obligatio obediendi ei: per textum in cap. inquisitioni, 44. de sententia excommunicationis.

Ex quo probatur, quod si coniux pro certo sciat impedimentum matrimonij, non debeat viro obedire debitum exigenti, sed potius excommunicationem pati, ut latè probant Sanchez plures referens tom. 1. de matrim. lib. 2. disp. 39. num. 5. vbi latè agit de hoc articulo, quibus iunge Gutierrez in eodem tract. cap. 50. num. 4. Bonacina in eodem tract. quæst. 4. punct. 4. num. 17. Coninch de Sacramentis, disput. 34. dub. 10. n. 96. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 13. difficul. 50. n. 1. & alios plures penes

Dianam tom. 4. resol. moral. tract. 4. n. sol. 48. qui copiosè disputat materiam.

Et ratio prædictæ conclusionis ea est, quia contra legem conscientie non est obediendum Superiori, nec subditus id efficere debet, ut aduertit Felinus in d. cap. inquisitioni, & communiter Doctores in cap. in literis, præcipuè Henricus de Boic. n. 22. de restit. spoliatorum.

Ex quo infertur, non teneri subditum in foro conscientie obedire Prælati, quem certò scit esse intrusum, ex eo quod obtinet prælaturam cum titulo infecto & inualido, argumento sumpro ex dicto cap. inquisitioni, & ex his quæ diximus *suprà*, q. 32. num. 6. & sequen. vbi probauimus, quod solutio facta Prælati intruso cum scientia intrusionis non liberat soluentem ab obligatione, ex l. filia 88. in fine, ff. de solutionibus, cum aliis ibidem adductis.

Quod quidem locum habet, etiam si id fiat ex præcepto Iudicis, ut cum Ripa & Fulgoso diximus in d. qu. 32. num. 17. vbi declarauimus hanc propositionem, n. 21. & sequen. Ipsam tamen intellige non versari in foro interiori (ut in præsentibus) sed in exteriori, in quo præceptum Iudicis quandoque potest, licet alias aliquam exceptionem patiat: quod quidem in interiori non ita se habet, ad effectum ut subditi teneatur obedire Prælati intruso, & non legitimo, taliter quod in eo non subditus non erit adstrictus obedire Iudici, iubenti soluere intruso notorio; quidquid in exteriori præceptum premat, & ita hanc illationem cum D. Antonino, & Siluestro docet Nauarrus in loco statim citando.

Secundo infertur, quod notat Nauarrus lib. 5. consiliorum, sub tit. de sententia excommunicat. cons. 7. in antiquis, & in nouiori impressione Lugdun. ex officina Ioannis Baptistæ Buisson de anno 1594. cons. 34. quod incipit, An si alter ex colligatibus, pag. 258. videlicet quod si literæ monitoriæ publicarentur ad instantiam possessoris beneficij, ad finem reuelationis bonorum ad tale beneficium pertinentium, si aliquis sciat illum possessorem esse intrusum, non incurret excommunicationem ex eo quod non reuelauerit, nec tenebitur ei reddere, vel reuelare: & ita concludit Nauarrus per hæc verba: At qui caret titulo canonico beneficij Ecclesiastici, non debentur fructus eius Tum argumento cap. 1. de regul. iur. lib. 6. & cap. grauis, de restit. spoliatorum, cum ibi adnotatis. Ergo neque qui detinet eos, reddere tenetur illi, neque qui nouit illos ab alio teneri, reuelare ei. Tum quod D. Anton. quem sequitur Siluester,

L 4 ait,

ait, quod qui scit possessorem Ecclesiæ, vel Dignitatis, non esse verum Prælatum, eo quod aliquem defectum tituli patiat, licet subiiciatur illi Ecclesiæ, vel Dignitati, tamen in foro conscientia non tenetur ei obedire, &c. Hæc Nauarrus, & ante eum optimè idem tenuit Silvester *in summa, verbo, Beneficium, 3. in principio, vers. hæc omnia*, vbi cum Archidiacono ita ait: subiectus Ecclesiæ, vel Dignitati, si scit possessorem eius, non esse verum Prælatum, in foro conscientia non tenetur ei obedire, nec soluere ei, quod debet Ecclesiæ vel Dignitati, nec soluendo liberatur: de sententia excommunicationis, cap. inquisitionis &c. Ex quibus auctoritatibus & doctrinis, dicendum erit, non teneri subditum in foro conscientia, vel interno reuelare in vim literarum monitorialium expeditarum per Prælatum, quem certò scit esse intrusum: vt patet ex his quæ diximus *suprà, quæst. 34. per tot. im.*

8 Tertio infertur ex eadem ratione, quod si subditus fuerit excommunicatus per Prælatum, quem cognoscit, & scit verè & realiter esse intrusum, tamen excommunicatus si recluso scandalo celebrauerit, non ex eo incurreret irregularitatem, vt aduertit Baidus *in l. 2. num. 90. vers. si d. nunquid ille, C. de iur. iuribus & aqua*, quem refert & sequitur Iafon *in l. si vrbana, sub num. 7. ad finem, vers. faciunt quæ notabiliter tradit Baldus, ff. de conditione indebiti.*

9 Quæ omnia locum etiam habent, nedum quando subditus pro certo scit Prælatum esse intrusum, sed etiam quando id firmiter credit ex ratione probabili, & auctoritate legitima; vt optimè aduertit Nauarrus *in d. conf. 34. n. 3. & 4.* ex ea ratione, quia quoad hoc paria esse videntur, scire aliquem ius non habere in beneficio quod possidet, ac probabiliter credere ex legitima auctoritate, vel ratione probabili, esse intrusum, & non habere titulum canonicum ad effectum comminandi censuras, argum. *tex. in l. illud, ff. de petitione hereditatis*, cum aliis, hosque variis argumentis & rationibus comprobatur Nauarrus *vbi proxime*, apud quem videre poteris.

10 Norandum est etiam circa prædicta, quod subditus tenetur potius excommunicationem pati, quam contra conscientiam obedire Prælato intruso, & non tolerato, argumento textus *in d. cap. inquisit.* vbi Glossa *verbo, humiliter sustinere, de sententia excommunicationis*: quæ ad intentum allegat textum *in cap. literas 13. S. porro, de restitut. spoliator.* & cum Victoria optimè tradit Sanchez *de matrimonio lib. 2. disp. 39.*

num. 9. Enimverò potius debet aliquis omnia mala pati, & experiri, quam contra conscientiam peccatum perpetrare: *cap. itane, 32. q. 5. cap. factus, 5. in fine, de his quæ vi metusve causa fiunt*, vbi latè Barbof. *in eius collect. à num. 4. vsque in finem*, differit hunc articulum; ergo nullatenus talis subditus debet obedire in foro conscientia Prælato, quem certò scit, vel probabiliter credit esse intrusum.

Declaranda tamen sunt hucusque dicta, vt non procedant, si subditus pro certo, vel ex probabili ac rationabili, & prudenti fundamento certus non esset, talem Prælatum esse intrusum, sed immo dubitaret, aut crederet intrusionem ex leui ratione, aut fundamento; quia tunc in conscientia teneretur obedire, cum in dubio iudicandum sit pro possessore; argumento textus *in d. l. illud*, & aduertit Nauarrus *in d. conf. 34. num. 6. vers. tertio principaliter dico*, &c. Certum est enim, non rectè operari, qui cum dubio operatur: vt patet ex his quæ congerit Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 6.* Gutierrez *in eodem tract. cap. 49. n. 33.* Coninch. *de sacram. & censur. tom. 2. disp. 34. dub. 10. num. 89.* Bonacina *tom. 1. in tract. de matrim. q. 4. punct. 4. prop. 1. num. 2.*

Ex quibus circa hunc articulum concludendum est, non teneri subditum, in terminis fori interni, obedire Prælato intruso, quem certo scit esse talem, si aliquid ei iubeat etiam si id efficiat cum pœnis, & censuris.

Deueniendo iam ad secundam partem distinctionis, an scilicet idem iudicium formandum sit in foro exteriori, & contentioso? In quo subdistingendum est etiam: nam aut versamur circa eum intrusum, qui per legitimum Superiorem est institutus, confirmatus, vel prouisus tali prouisione quæ habeat vim, & effectum confirmationis; Et tunc subditi tenebuntur obedire tali Prælato intruso, eique debitam reuerentiam prestare, non obitante exceptione intrusionis, donec per sententiam fuerit à Prælatura remotus; vt tradunt communiter Doctores *in c. in literis 5. de restit. spoliator.* nam ex solo titulo in foro externo, administratio ei attribuitur, *cap. transmissam, ibi, Confirmationem accepisti, de elect.* cum aliis traditis à Barbofa *in part. p. 1. tit. 1. cap. 4. num. 7. & 8.* & ita concludunt Innocen. *in cap. cum olim, in principio, de causa possessionis & proprietatis*, Archid. Domin. & Francus *in cap. cum qui, de præbendis, in 6.* Quod Prælato intruso, & tolerato, obedientia debeat, interim dum de-

eius

eius mala fide, & intrusione non fuerit in iudicio conuictus, quam sententiam defendit etiam Gligas *in Epitome de intruso, num. 99. vers. an autem, & vers. primo casu, &c.* Ergo tali Prælato obediendum est, etiam si contra eum agatur ad priuationem propter intrusionem; nam lite pendente obedientia non debet illi denegari: vt expressè ira concludit Glossa, varia iura allegans, *in summa, verbo, quod autem, & in cap. unico, verbo, sententia, 8. q. 4.* Et conducunt quæ diximus *suprà, q. 33. à num. 7. & sequen. & probant Abbas in cap. ex parte, de accusationibus, & Decius in cap. 1. in 5. notabili, n. 14. de appellationibus.*

15 Quod quidem locum habet, etiam si sententia fuerit lata contra talem, declarans ipsum intrusum, si ab ea fuerit appellatum, & prosequuta appellatio; ea namque pendente, tali Prælato parendum est; vt probat Glossa, & ibidem communiter Scribentes *in cap. sape 44. verbo, rata manet sententia, vers. sed pone, de appellationibus*, & cum Lancelloto *de attentatis appellatione pendente, p. 2. cap. 12. limit. 26. num. 6.* tradit Scaccia *in tract. de appellat. q. 3. num. 72. & 73.* vbi resoluit, quod Episcopus qui appellauit à sententia depositionis, potest pendente appellatione officium suum liberè exercere, & sua iurisdictione uti.

16 Immo adhuc defendi posset, vt prædicta resolutio extendatur, & locum habeat, etiam si intrusio esset notoria, iuxta Glossam *in cap. nullus, verbo, audiat, 32. distinct.* & de materia huius extensionis latè agit Nicolaus Garcia, plures referens, *in tract. de beneficiis, 7. p. cap. 14. à n. 36. cum sequen. Spino in speculo testamentorum, gloss. 3. principali, num. 43. & 44.* diffusè Gutierrez, alios allegans, *lib. 2. Canoniar. quæst. cap. 7. num. 85.* copiosè Azor *p. 1. instit. moral. lib. 7. cap. 7. q. 16.* Bonacina *tom. 1. de sacramentis, disp. 4. q. vltima, punct. 12. num. 1. vers. vtrum verò*, & alij Doctores de eodem agentes, quamuis in hoc articulo non omnes concordent, cum hinc, & inde variè sentiant; Felinus tamen *in cap. cum non liceat, de præscriptionibus, & ibidem Paris. num. 5. & 6.* tenent, quod etiam si talis intrusus esset notorius; si tamen toleratus, & non depositus, non debeat ei subtrahi obedientia, quod intelligere poteris, iuxta ea quæ diximus *suprà, q. 27.*

17 In secundo autem casu subdistinctionis, videlicet quando quis non fuerit institutus, prouisus, & confirmatus à Superiore, sed propria auctoritate, vel potentum fauore, & auxilio se intrusit in Prælatura, in tali casu nullatenus obedientia præstanda

est tali Prælato intruso, vt patet ex text. *in cap. si per ordinationem, 63. distinct. & in cap. sane, vbi Glossa verbo, principes, 16. q. 7.* & tradit Archid. *in cap. quid culpat, 23. q. 1. num. 1.*

Quod quidem voluerunt ampliare Hostiensis post Innocen. *in cap. 1. verbo, schismaticos, vers. dicuntur etiam, de schismat.* vt licitum sit subditis coniurare, de non obediendo tali intruso; ex eo quia si aliqui boni & pij viri iurarent, de non obediendo hæretico, schismatico, vel intruso, vt ad inuicem in vnum coadunati se confouerent ad ipsum repellendum, tanquam improbum, & iniustum Ministrum seu Prælatum, ac inimicum Dei, & suæ Ecclesiæ, talis coniuratio tanquam tendens in maiorem cultum, & reuerentiam, non est repellenda, sed immo laudanda; argumento textus *in cap. sane Thessalonicensis Episcopi, 16. q. 7. cap. si quis Papa, 79. distinct. cap. si ad peccatum, 22. q. 4.* ex quo docuerunt Hostiensis *in cap. exhibita, num. 3. in verbo, conspirationem, de iudiciis*, Ioannes Andreas, & Archid. *ibidem num. 2.* & Card. Alexander *in cap. si qui Clericorum, 11. q. 1. sub n. 5.* quod possunt Clerici intra se statuere, & coniurare, vt non admittant Prælatum excommunicatum, schismaticum, intrusum, vel alio notorio delicto laborantem, vel quod non permittent Prælatum dilapidantem bona Ecclesiæ; quia cum id efficiant propter bonum commune, & seruitium Dei, non debet esse reprehensibile, & videtur innuere Hostiensis post Innocentium *in cap. 1. verbo, schismaticos, vers. dicuntur etiam, de schismaticis.*

Sed contra hanc doctrinam opponi potest, & videtur ob stare, quod coniurationes sunt prohibitæ, non solum de iure Ciuili, vt *in l. 1. C. de monopol.* sed etiam de iure Canonico, vt *in cap. coniurationum, cum quatuor sequentibus, 11. q. 1.* & ideo Clerici coniurantes suspendendi sunt, & plectendi poena depositionis, vt *in dictis iuribus* statuitur, & *in cap. seditionarios, 46. distinct.* Ergo nullo modo tales coniurationes erunt licitæ.

Sed facile respõderetur, quod hæc iura locum habent, & loquuntur de illicitis & iniustis coniurationibus, non vero de licitis & honestis, quæ cum sana intentione, vel propter bonum commune, & seruitium Dei fiunt, pro vt in præsentis casu, ne Prælaturam exercent, & ad eam admittatur, qui morbo intrusionis notoria laboraret.

Constat tamen aduertunt Hostiensis *in d. cap. exhibita, de iudiciis*, Archid. & Præpositus *in d. c. si qui Clericorum, 11. q. 1.* quod subditi debent euitare has coniurationes, &

& ab eis cauere (provt par est Ecclesiasticis personis) etiam si alias essent licitæ, ne sub hoc pretextu aliqua illicita conspiratio, vel aliud inconueniens sequatur.

Ex quibus concludendum est, non tene-ri subditum in foro interiori obedire Præ-lato intruso, si certò sciat talem esse; secùs autem in foro exteriori iuxta ea quæ diximus *suprà*, n. 1. 1. & 12. cum sequen.

QVÆSTIO XLIX.

Si vnus est intrusus in aliqua dignitate, & alius exclusus, quis ipsorum exercebit iura illius Dignitatis.

S V M M A R I V M.

- Pralato intruso & possessori pertinet exercitium Pralaturæ, non autem legitime prouiso qui non possidet.* n. 1. & 7. in fine.
- Causa si fuerit commissa alicui Pralato, ille cognoscat qui in possessione reperitur, licet aliàs legitimo titulo careat.* n. 1.
- Titulus legitimus præsumitur habere qui possidet.* n. 2.
- Papa committens causam alicui certo Pralato, si duo contendant super tali Pralatura, ille cognoscat; qui in possessione reperitur, licet sit intrusus, dummodo sit toleratus.* n. 2.
- Episcopus possessor contendens cum alio, qui præten- dit esse Episcopum illius Episcopatus, habet facultatem dispensandi, non vero aliter, licet iustitiam foueat.* n. 3.
- Pralatio datur possessori inter duos contendentes in actibus possessoris, quia præsumitur dominium ex possessione, & in dubio iudicandum est pro possessore.* n. 3. & 4. & 6.
- Episcopus expulsus à sua Diœcesi, potest extra eam suam exercere iurisdictionem in locis aliarum Diœcesum, & procedere contra expulsores, & fautores.* n. 5.
- Episcopus expulsus violenter à sua Diœcesi gaudet omnibus prærogatiuis, & indulgentiis, ac si præsens esset in sua Ecclesia, & quoad suos subditos ius dicere potest.* n. 5.
- Episcopus expulsus à sua Diœcesi, licet spoliatus remaneat, eo non obstante potest exercere iurisdictionem quoad suos subditos.* num. 5.
- Episcopus licet sit expulsus à sua Diœcesi, semper existit illius Pralatus, & in ipso remanet radicatum ius Episcopale, & ideo sine aliquo ministerio potest, sublato impedimento, redire ad suam Ecclesiam.* n. 6.
- Episcopus captus à Paganis, Schismaticis, vel*

Hæreticis restitui debet ad suam Ecclesiam, cessante impedimento, & eo durante exercitium iurisdictionis residet penes Capitulum Cathedralis. n. 7.



In hac quæstione dicendum videtur quod exercitium Dignitatis pertinet ad intrusum possessorem toleratum, cum titulo à Superiore collatum, ex his quæ lato calamo congerit Sanchez, alios allegans, tom. 1. de matrimonio, lib. 3. disp. 22. à n. 48. cum sequen. non vero ad illum qui iniuste fuit spoliatus. Quod probatur ex eo, nam si causa fuit commissa v. g. Episcopo Barbastren. & duo contendant super tali Episcopatu, quorum vnus sit intrusus toleratus & possidens; alter verò canonicè electus qui sine possessione reperitur, tunc erit Iudex qui possidet; quia intelligitur causa commissa possidenti, cum præsumptio tituli canonici pro eo assistat, vt diximus *suprà* q. 11. n. 3. vbi alios allegauimus; quibus iunge Lapum *allegat.* 89. num. 13. *vers. vnde si Papa*, qui ita ait: Vnde si Papa committat causam Plebano S. Stephani, & vnus sit verus Prælatus, qui tamen non possidet, & alius est intrusus, sed tamen communi opinione reputatur Plebanus, cognoscat de causa intrusus & putatiuus, & non veri Plebanisita notat Ioan. Andr. post Vincent. in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, *vers. loto & c.* Hæc Lapus, qui *ibidem* prosequitur hanc resolutionem variis argumentis, & rationibus: idemque tuentur Panormitanus in cap. olim inter n. 17. *vers. ad hoc quod notat, de restitutione spoliatorum*, ex auctoritate Innocentij *ibidem*, & in cap. in litteris, in Glossa 2. eodem titulo, Archid. & Cardinalis Alexander in cap. si quisquam, 11. q. 1. ergo possessor exercere debet, licet alias sit fretus minus legitimo titulo, & interim excluder alium Titularem non possidentem.

Quod quidem videtur etiam de mente Cardinalis Zabar. in d. cap. per venerabilem, n. 7. Anchar. *ibidem* n. 18. in 17. notabili, & Anton. n. 50. *vers. nota 7.* & Præpositi n. 77. *vers. sed pone, quod quidam*, vbi aduertit, per d. t. ex. in d. cap. per venerabilem, & per ea quæ notantur in cap. consultationis, 17. de iure patronatus, ac per alia iura per eum *ibidem* adducta, quod si quis sit possessor Episcopatus; alius verò contendat se esse Episcopum eiusdem, quod ille qui possidet, habet potestatem dispensandi, non vero alius contendens exclusus à possessione, etiam si iustitiam foueat: licet dicat Præpo

Præpositus, quod in contrarium faciunt quæ notant Bartolus & Baldus in l. si urbana, ff. de conditione indebiti; Faciunt tamen in corroborationem quæ aduertit Lapus in d. *allegat.* 89. n. 10. cum sequen. vbi varia argumenta, & exempla refert, confirmantia prædictam resolutionem, scilicet quod ratione possessionis datur prælatio contra verum proprietarium; quæ fundatur in eo, quod ex possessione præsumitur dominium, vt latè comprobatur Gutierrez *præf. quæst. lib. 3. q. 42. num. 35.* & in dubio semper pro possessore est iudicandum, vt diximus *suprà* in quæst. antecedenti, n. 11. & sequen. & conducunt ad intentum, quæ copiosè disputat Barb. in collect. ad textum in d. cap. consultationibus, de iure patronatus, n. 3. & sequen. & quæ diximus *suprà* q. 29. vbi latè egimus de effectibus possessionis à n. 5. & sequen.

Prædictam tamen conclusionem voluit limitare Abbas *vbi supra*, vt locum non habeat in casu Clementine vnica, de foro competenti, vbi deciditur, quod Episcopus expulsus à sua Sede potest extra eam in locis aliarum Diœcesum exercere suam iurisdictionem, & procedere contra expulsores, consiliarios, & fautores, & quoad suos subditos ius dicere, gauderèque omnibus prærogatiuis, & indulgentiis, ac si præsens esset in sua Ecclesia, vel Diœcesi: & aduertit etiam Gonzalez ad regul. 8. Cancellariae *glos. 43. n. 200.* Quod quidem statutum fuit in fauorem Episcopum expulsi, eum de iure, contrarium dicendum videretur: vt aduertit *Glos. in d. Clement. vnica, verbo, indulgendum*, per text. in d. cap. quisquam, 11. q. 1. Et inde auctoritate prædictæ Glossæ, & dictorum iurium, docet Imola *ibidem*, num. 24. quod ex eo quod Episcopus expulsus reperitur à Ciuitate, vel Diœcesi, spoliatus remanere videtur sua quasi possessione iurisdictionis, & ex eo inferrebat dicendum, non posse exercere, licet aliàs priuatus non remaneret proprietate, & ex consequenti in prædicto casu resolutionem superius adductam limitandam esse.

Hæc tamen fallentia, seu limitatio, meo paruo videri, non adaptatur ad propositam quæstionem, & ad conclusionem *suprà* resolutam; quæ quidem loquitur, & locum sibi vendicat, quando dubitatur quis habeat titulum ad effectum exercendi iura Dignitatis, & tunc possessor, qui aliquo titulo colorato, licet non legitimo, à Superiore tamen collato possidet, erit præferendus, ex rationibus *suprà* ponderatis: nam in dubio pro possessore iudicandum est.

At vero limitatio loquitur de expulso, qui non negatur esse Prælatus, sed tantummodo remotus est per expulsionem, & tunc in eo sine dubio semper remanet ius radicatum, & exinde potest exercere, & secluso impedimento propria auctoritate, sine aliquo iuris, vel hominis ministerio se reducere in suum Episcopatum. Idemque videmus à iure statutum in Episcopo capto à Paganis, Schismaticis, seu Hæreticis, qui quoties liberatus extiterit, restitui debet, licet aliàs durante impedimento exercitium iurisdictionis residet penes Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vt deciditur in cap. si Episcopus, de supplenda negligentia Prælatorum in 6. & latè probat Panuin. de potest. Capituli, *prælud. 7. n. 11. & q. 1. n. 4.* sed ex eo non dubitatur de bono iure suo & titulo, sicut in quæstione proposita, & ideo ad oculos patet, quod longè distat à casu proposito dubij limitatio, seu fallentia, & exinde non videtur adaptari ad dubium præsens, & ita idem aduertit etiam Cardinalis in d. Clement. vnica, de foro competenti, super dictam glossam *ibidem*, verbo, indulgendum, q. 15. qui contra ipsam Glossam reprobat fallentiam propositam.

Ex quibus concludendum est ad quæstionem, quod exercitium iurisdictionis pertinebit ad Intrusum toleratum in Dignitate, si sit possessor cum titulo, à Superiore collato, licet aliàs minus legitimos non verò ad illum: qui non possidet, quamuis iniuste fuisset spoliatus.

QVÆSTIO L.

Intrusus in beneficio an teneatur recitare Horas Canonicas.

S V M M A R I V M.

- Intrusus, sacro Ordine insignitus, vel habens aliquod beneficium, præter illud in quo se intrusit, tenetur recitare Horas Canonicas, etiam post depositionem, vel actualem degradationem.* n. 1.
- Clericus in sacris constitutus, vel habens beneficium Ecclesiasticum, tenetur recitare Horas Canonicas.* *ibid.*
- Intrusus in beneficio non tenetur recitare Horas Canonicas ratione beneficii, in quo se intrusit.* n. 2.
- Sed fallit si fructus ex illo percipiat.* num. 7. & sequen.
- Officium diuinum recitandum est propter beneficium.* n. 2.

Intrusus

Intrusus in beneficio proprie non dicitur illud habere. n. 2.

Obligatio recitandi horas Canonicas ratione beneficii Ecclesiastici cessat, statim atque beneficium cessat. n. 2.

Resignans beneficium liberatur ab onere recitandi horas Canonicas statim atque renunciatio fuerit admissa. n. 3. & 4.

Resignans beneficium cum effectu perdit omne ius, quod in illo habet, & ideo ratione illius non tenebitur recitare horas Canonicas. num. 4.

Beneficiarius an teneatur recitare horas Canonicas à die acceptæ collationis, an vero adeptæ possessionis, est controuersum inter Doctores. n. 5. & 21. cum sequen.

Horarum Canonicarum obligatio oritur ex consequitione tituli adepti in vim collationis. n. 6.

Intrusus non habet titulum beneficii, in quo se intrusit. n. 6.

Intrusus percipiens fructus beneficii in quo se intrusit, tenetur recitare horas Canonicas. n. 7. & sequen.

Obligatio recitandi horas Canonicas est annexa percipienti fructus beneficii. num. 7. & 10.

Beneficiarius si non possit, nec per eum stet, quominus percipiat fructus ex beneficio, non tenebitur recitare horas Canonicas. num. 7.

Horarum Canonicarum recitatio est quoddam pensum, quod attribuitur Ecclesie, propter sustentationem, quam ipsa præstat beneficiario. n. 8.

Coadiutores beneficiorum cum futura successione gaudent eisdem privilegiis, & honoribus, quibus utuntur coadiuisti; sed quia non percipiunt fructus, non tenentur ratione Coadiutorie recitare horas Canonicas. n. 9.

Beneficium Ecclesiasticum qui obtinet, etiam si sit tenue, tenetur recitare horas Canonicas, quia ex sola fructuum perceptione, etiam per exigua, cum titulo beneficii inducitur illud onus. n. 10.

Sed contra. n. 11.

Congrua sustentatio ex beneficio est necessaria, ut Beneficiarius obligatus remaneat ad recitationem Horarum Canonicarum. n. 11.

Perceptio fructuum ex beneficio requiritur, ut Beneficiarius, ratione illius, obligatus existat ad recitandas horas Canonicas. n. 11. & 12.

Intrusus, vel alius quispiam iniustus possessor beneficii, si ex eo fructus percipiat, tenetur recitare horas Canonicas, & soluere pensionem, & charitatum subsidium, super illud impositum. n. 12.

Intrusus in beneficio non facit fructus suos,

sed immo tenetur eos restituere, quia non debet ex sua malitia commodum reportare. n. 13.

Intrusus in beneficio non debet esse melioris conditionis, quam vir rectus. n. 13.

Excommunicatus, suspensus, & interdictus, etiam si pro eo tempore fructus ex beneficio non percipiant, tenebuntur recitare horas Canonicas. n. 14.

Excommunicatus non potest percipere fructus beneficii, quod possidet, quamdiu in excommunicatione perseuerat, tenebitur tamen recitare horas Canonicas. n. 15.

Excommunicatio non liberat debitorem ab onere soluendi debitum. n. 16.

Clericus excommunicatus durante tempore excommunicationis non remanet liber a solutione subsidij charitatiui, ex beneficio, quod possidet, licet ex eo nullos fructus percipiat. n. 17.

Monachus in sacris Ordinibus non constitutus, nec beneficium habens, si habitum dimittat, vel eo relicto extra monasteria degat, tenebitur recitare horas Canonicas. num. 18.

Resignans beneficium Ecclesiasticum amittit omne ius, quod in eo habet, statim atque resignatio fuerit admissa per Papam, vel Ordinarium. n. 19.

Resignans beneficium non tenetur recitare horas Canonicas à die admissæ resignationis, quia ab eo tempore, illud amisit, nec aliquos fructus percipere potuit. n. 20.

Causa cessante, etiam cessare debet effectus, ex illa resultans. n. 20.

Beneficiarius tenetur recitare horas Canonicas à die adeptæ possessionis beneficii. n. 21.

Beneficiarius non dicitur perfecte habere beneficium, donec adeptus fuerit consummatam illius possessionem. n. 22.

Collatio beneficii licet attribuat dominium radicale, non tamen utile, quousque possessio non fuerit adeptæ. n. 22.

Beneficiarius non tenetur recitare horas Canonicas, donec moraliter non sit certus, quod possit fructus percipere. n. 23.

Obligatio recitationis Horarum Canonicarum habet respectum ad collectionem fructuum beneficii, & ipse qui illos percipit, erit adstrictus ad recitationem. n. 24.



Ro intellectu dicendorum supponendum est, non verfare præsentem quaestionem respectu illius intrusi, qui aliàs iam tenebatur recitare horas Canonicas, vel ratione alterius beneficii, quod iuste possidet, aut ratione Ordinis sacri quo est insignitus, quoniam in tali casu, seclusa etiam

etiam intrusione tenetur illas recitare, etià post depositionem, & actualem degradationem, vt tradunt communiter Doctores in cap. dolentes 9. per eum textum, de celebratione Missarum, Cardin. Alexand. Archid. & ferè omnes in cap. Presbyterorum 28. dist. Parisius de resignat. lib. 1. q. 9. n. 15. Bonacina tom. 1. in tract. de Horis Canon. disp. 1. quaest. 2. punct. 4. num. 1. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 5. q. 1. & 6. Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 9. q. 1. num. 280. Molfes. in sum. tract. 5. cap. 4. num. 45. Suarez de censur. tom. 5. disput. 12. num. 15. Malder. de virtutibus, tract. 10. cap. 2. dub. 15. vers. 4. & alij penes Dianam p. 2. resol. moral. tract. 12. de Horis Canon. resol. 21. & ideo dubium erit tantum quoad intrusum respectu beneficii quod obtinet per intrusionem.

2 Et prima facie dicendum videtur, illum non teneri ad recitationem Horarum Canonicarum; nam quis ad illas est adstrictus propter beneficium Ecclesiasticum, quod obtinet; argumento textus in cap. cum secundum 16. de præbendis, sed intrusus non dicitur habere beneficium, quia in ipso nul- lum ius habet, vt patet ex eius definitione adducta supra, q. 1. num. 2. Ergo non tenebitur recitare horas Canonicas; nam cessante beneficio, cessat obligatio tanquam illius effectus; si pater. ff. de hæredibus instituendis, l. generaliter, C. de Episcopis, & Clericis, cap. cum cessante, de appellat. cum vulgatis.

3 Secundo probatur, nam resignans beneficium post renunciationem admissam, nõ remanet obligatus, si ex alio capite non erat adstrictus, vt resoluunt communiter Doctores, cum Cardinali, quem refert & sequitur Nauar. in tract. de Horis Canonicis, cap. 7. num. 12. & 30. & in repetitione capituli, Acceptæ, oppositione 5. num. 21. de restitutione spoliatorum, & latissime tradit Flamin. Paris. de resignat. beneficiorum, lib. 1. q. 9. num. 1. vbi rationem adducit; quia post resignationem consummatam nullum ius resignans retinet in beneficio, & ideo ratione illius non tenebitur persolvere horas Canonicas, cap. quod à te, cap. diuersis fallaciis, de Clericis coniugatis, cum aliis à Parisio ibidem allegatis, & comprobatur Innocentius in cap. quod in dubiis, vbi communiter Doctores, de renunciatione, ergo cessat obligatio.

5 Tertiò suadetur, quia licet valde sit controuersum, an Beneficiarius teneatur recitare horas Canonicas, statim atque beneficii collationem acceptauit, an verò post adeptam possessionem? Alij namque voluerunt, esse adstrictum immediatè post

collationem, vt latè per Garciam de beneficiis, 3. p. cap. 1. num. 92. & sequen. vbi plures allegat, idem comprobantes: Alij verò docuerunt, obligationem suspendi vsque ad adeptam pacificam possessionem, vt cum Lessio, Suarez, Molfes, Malderio, & aliis tradit Diana, qui hanc secundam opinionem tuetur, tom. 2. resol. moral. tract. 12. de Horis Canon. resol. 21.

6 Sed quidquid sit de hoc articulo colligitur ex ambabus opinionibus, quod ratione tituli consequenti in beneficio, qui resultat saltem ex collatione, oritur obligatio; sed intrusus non habet titulum legitimum, aut saltem coloratum, aliàs non esset intrusus, ergo non erit obligatus.

7 His tamen non obstantibus, dicendum est, intrusum percipientem fructus ex Prælatura, Dignitate, Præbenda, vel Beneficio, teneri ad recitationem Horarum Canonicarum; nam est quoddam onus annexum percipienti fructus ex quo resultat obligatio, in tantum vt adstrictus non reperiat, qui illos non percipit per se, vel per alium, nec per eum stat quominus eos percipiat.

8 Enimverò recitatio Horarum Canonicarum est certum pensum, quod attribuitur Ecclesie, propter sustentationem, quam ipsa Beneficiato præstat: vt cum Paludano in 4. distinct. 15. q. 5. colum. 3. & Nauarro in tract. de hor. canon. cap. 7. n. 28. & aliis docet Parisius in d. q. 9. & eis relatis aduertit latè Garcia de benef. in d. 3. p. cap. 1. à num. 78. & sequen. præcipue num. 86. & 102. vbi copiosè videre poteris.

9 Secundo probatur, nam licet Coadiutores beneficiorum cum futura successione gaudeant eisdem privilegiis, honoribus, & præminentis, quibus gaudent principales, in quorum locum subrogantur, vt dixi in meo pastoral. Regul. p. 1. claus. 5. num. 16. & 17. & tradit Barb. alios allegans in tract. de Canonicis & Dignitatibus, cap. 29. num. 27. & 53. Attamen, quia non percipiunt fructus beneficiorum, ad quæ fuerunt Coadiutores destinati, sed pertinent ad Coadiutos; isti, & non illi, tenentur horas Canonicas recitare: vt cum Azor. Suarez, Bonacina, Campeg, Llaras, Molfes. & aliis pluribus docet Barb. in d. cap. 29. num. 13. Ex eo, quia Coadiuti sunt fructuum perceptores; ergo similiter ex eadem ratione, intrusus qui percipit fructus beneficii erit adstrictus ad recitationem Horarum Canonicarum, sicut Coadiutus; non vero titularis qui est exclusus ab illis, sicut Coadiutor: ex latè congestis per Garciam in d. 3. p. cap. 1. à num. 44. cum pluribus sequen.

Et quidem in tantum est verum, quod 10
M obliga

obligatio regulari debeat ex perceptione fructuum, vt sit valde controuersum, an habens beneficium perexiguum, & tenue, teneatur recitare Horas Canonicas? & infiniti Doctores tenent, ipsum obligatum existere, etiam si sit tenue; quia ex sola fructuum perceptione, quamuis parua, & exigua, cum titulo beneficii, inducitur illud onus; vt cum Gregorio de Valentia, Suarez, Reginaldo, & aliis pluribus aduertit Diana tom. 2. resol. moral. tract. 12. resol. 9.

11 vbi adducit rationes & fundamenta huius sententiae; licet plures contrariam tueantur, vt sunt Mosseus, Lessius, Ledesma, Sotus, Maldon. & alij penes ipsum Dianam, tenentes requiri ad inducendam praedictam obligationem, vt congruam sustentationem ex beneficio consequatur; At tamen quid sit de hac opinione, colligitur ex vtraque, quod ex fructuum perceptione, exigua, vel magna, oritur onus recitandi Horas Canonicas; ergo intrusus percipiens illos, tenebitur ad tale onus subeundum: quam sententiam tam in consulendo, quam in practico, veriore, tutiore, & sequendam iudico.

12 Nec argumenta contraria vrgent: nam ad primum (de quo supra num. 2.) respondetur: quod quamuis intrusus nullum ius habeat in beneficio; At tamen ad inducendam praedictam obligationem solum consideratur perceptio fructuum, tanquam principale obiectum, vt quis ad Horas Canonicas recitandas adstrictus reperitur: nam (vt dictum est) etiam si quis habeat Canonicum titulum beneficii, si tamen fructus non percipiat, liber remanebit a tali onere, iuxta ea quae diximus supra, g. 11. vbi late resolutum reliquimus, intrusum seu alium quemcumque iniustum possessorem beneficii, si fructus percipiat, teneri soluere charitativum subsidium, & pensionem in tali beneficio impositum, quia est onus quod sequitur fructuum perceptionem, vt variis fundamentis ibidem probauimus: & ideo ad inducendam dictam obligationem, non consideratur primario titulus, quo intrusus est fructus, sed utilitas qua reportat ex perceptione fructuum. cui tale onus est annexum; vt patet ex dictis, & ex his quae lato calamo notant Azor p. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 4. g. 4. & sequen. Thomas Sanchez lib. 2. consil. moral. cap. 2. dub. 71. & sequen. & alij supra allegatis; & ideo non obstat primum argumentum.

13 Nec replicari potest, quod cum Intrusus non faciat fructus suos, sed immo ipsos restituere teneatur, etiam sequatur, & ex doctrinis a nobis superius allegatis, quod non

tenebitur ad recitationem Horarum, quandoquidem postmodum necessario illos restituere teneatur. Quia responderetur, quod cum intrusio contingat ex culpa ipsius intrusi, nam se iniuste in beneficio intrusit, non debet ei sua malitia patrocinari, & liberationem a tali onere attribuere, cum nullus ex sua improbitate, & dolo, commodum reportare valeat: itaque si fullo, §. si nemo, ff. de furtis, cap. intelleximus, de iudiciis, cap. tua, de clericis non residentibus, cap. 1. de collusionibus detegenda, cum aliis pluribus, & notant Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 18. n. 5. Tiraquel. de retractu, §. 1. glossa 9. num. 65. Card. Tuschus tom. 4. litera F. optimè ad intentum Nicolaus Garcia cum Azor Madoño, Suarez & aliis ab eo allegatis in d. 3. p. cap. 1. num. 90. Alias enim si talis Intrusus liber remaneret, esset melioris conditionis quam boni & recti viri: quod quidem dici non debet.

14 Hocque comprobatur a simili de Clerico qui sua culpa, & voluntate in irregularitatem incidit, vel ob delictum proprium excommunicationem, suspensionem, & interdictum incurrit, vel sua sponte non inseruit, aut non resedit in Ecclesia, vel ob aliud crimen fructibus beneficii priuatus existat, obligatio recitandi semper penes ipsum remanebit, etiam si nullos fructus percipiat, ex ratione superius adducta, quod sua malitia, & proteruita, non debet ei proficere: vt in puncto docet Azor in d. lib. 10. instit. moral. cap. 4. g. 6. §. vna est omnium, vers. & idem iuris est, quem sequitur Trullenchi. 1. decal. cap. 7. dub. 12. §. 3. num. 21. quidquid dicat Sanchez in d. lib. 2. consil. moral. cap. 2. dub. 74. asserens, probabiliorem esse contrariam: nam prima Azorij, Trullenchi, & aliorum, est verior, & tenenda; iuxta ea quae tradit Diana tom. 9. resol. moral. tract. 9. resol. 72. vers. Nota hic obiter.

15 Certum est enim, Clericum declaratum excommunicatum, non posse percipere fructus beneficii, quandiu in excommunicatione perseverauerit, vt patet ex text. in cap. Pastoralis §. 3. §. nos itaque, in fine, & ibidem communiter Doctores, cum Glossa verbo, subtrahuntur, de appellationibus, & plura cumulans docent Gurtierrez lib. 1. Canon. quest. cap. 1. num. 90. & sequen. Suarez de censur. disp. 13. sectione 2. Vgolinus eodem tract. tabul. 2. cap. 12. Sayrus & Mari. Alter in eodem tract. lib. 2. cap. 5. n. 24. & 30. & iste tom. 1. lib. 2. disp. 6. cap. 8. & alij plures. Et nihilominus, quia ex culpa sua excommunicatus perseverat, non liberatur ab onere recitandi Horas Canonicas; vt comprobant

bant Azor. & alij supra allegati: ex ea mirum ratione, quia excommunicationem liberat debitorem ab onere soluendi debitum: argumento textus in cap. intelleximus, de iudiciis, & patet ex Glossa in cap. Presbyterum, 16. verbo, priuatus, 28. distinct. & docent Ioan. de Ligna. de Horis Canon. quest. 3. Nauarr. in eodem tract. cap. 7. num. 17. ergo debitum soluendi Horas Canonicas remanebit in ipso radicatum.

17 Hocque firmiter clarius ex doctrina Bellenchini in tract. de charitativo subsidio, quest. 33. quem etiam reperies in to. 15. Tractatum, pag. mihi 177. in impressis Venetiis de anno 1584. vbi probat ex auctoritate Bart. in l. inter quos, §. damni, ff. de damno infecto, quod Clericus excommunicatus non remanet liber a solutione charitativi subsidij, ex fructibus beneficii, quod possidet; quauis durante tempore excommunicationis eos non percipiat, ex ratione superius adducta, nempe quia ex culpa sua hoc damnum experitur; ergo pariformiter ex eodem fundamento, eademque ratione tenebitur Intrusus soluere onus Horarum canonicarum.

18 Et Confirmatur ex quadam singulari doctrina Nauarri in d. tract. de oratione, & Horis canonicis, cap. 7. num. 20. vbi resoluit, quod Monachus in sacris Ordinibus non constitutus, nec beneficium habens, si habitum dimittat, vel eo retento, extra Monasterium degat, a quo licet alimenta non recipiat, eo non obstante resoluit Nauarrus, talem Monachum teneri ad recitationem Horarum Canonicarum, ex ea ratione, quia cum ipsius culpa Monasterium, non aliat eum, exinde oritur, quod obligatio semper subsistit, quia ipsius culpa non debet ei patrocinari ad consequendam liberationem; Ex quibus clarè colligitur, propositam solutionem ad primum argumentum primae sententiae, non infringere quod replicatur supra, num. 13.

19 Nec vrget secundum (de quo supra, n. 1.) Quia responderetur, quod eum per resignationem admissam per Papam, resignans admittat omne ius, & possessionem quam habet ex beneficio, vt late comprobatur Parisius vbi supra, & multoties declarauit Rota, vt habetur in meis recollectis Peñae, tom. 1. decis. 401. num. 2. & tom. 2. decis. 1159. num. 2. vbi mea annotatio alias plures allegat, quod quidem locum habet non solum in resignationibus admissis per Papam, sed etiam in illis liberè factis in manibus Ordinariorum, vt per Seraphinum decis. 1320. n. 1. ex auctoritate tex. in cap. transmissam vers. verum quoniam, de renunciatio.

Tract. de Intrusione.

ne, cap. susceptum, de rescriptis, in 6.

20 Sequitur exinde, quod cum resignans nec titulum beneficii habeat post resignationem, nec aliquos fructus ex eo percipere valeat, obligationem cessare; nam cessante causa cessare etiam debet ipsius effectus, cap. cum cessante, de appellationibus in 6. cum aliis adductis supra, num. 2. in fine; at verò in Intruso non ita se habet, sed immo diuersissimum est; nam licet titulum infectum habeat; illum tamen talem qualem retinet, & insuper percipit fructus ex quibus oritur obligatio, & ideo ad oculum patet, quam longa sit differentia inter vnum & alium casum, ne argui possit de resignante beneficio, ad Intrusum, quoad effectum oneris recitandi Horas Canonicas, praeter ea quae diximus supra in responsione ad primum argumentum de culpa ipsius intrusi.

21 Tandem non obstat tertium (de quo supra, n. 5.) ei namque satisficit ex dictis & ex his quae tradunt Parisius de resignationibus, lib. 1. g. 9. n. 15. & 16. Lessius de iustitia & iure, lib. 2. cap. 34. dubio 30. n. 167. & alij penes Dianam in d. 2. p. tract. 12. resol. 21. ex quorum dictis patet, quod Beneficiarius tenetur recitare Horas Canonicas a tempore adeptae possessionis, quidquid dicant Nauarrus & Garcia in d. num. 92. nam eis satisficit doctissimus P. Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 19. n. 7. vbi appellat dictam sententiam probabilem: & in fine 22 illam comprobatur, Primò; quia in iure non censetur quis consummatè habere beneficium, donec perfectam illius possessionem habuerit; Secundò, quia licet quis habeat per collationem beneficii, dominium ipsius radicale; non tamen habet vtile, & ex consequenti quousque illud adipiscatur completè, non potest obligari ad laborandum in Vineam Domini; nec erit satis, quod postea sit accepturus fructus illius temporis, quia hoc non est vniuersale, vt quotidie practicitur in Canonicatibus, & aliis beneficiis, in quibus donec possessio fuerit habita, non possunt percipere Praebendam fructus; immo si illo medio tempore decedant, vel accrescant aliis, aut ad fabricam, seu ad alium certum locum destinantur.

23 Tum & etiam ait Suarez quia haec spes perceptionis fructuum ex sola collatione est incerta, quantumvis probabilis, propter impedimenta, quae quotidie suboriuntur, ex quibus ita concludit: Ergo non debet quis obligari ad persoluendum Officij canonici debitum, priusquam perfectè sit assequutus beneficium, & possessionem eius: tunc enim moraliter potest esse certus

ex fructibus, & non aliter. Ita Suarez, & ad intentum optimè distinguit Ledesma tom. 2. *Summa, tract. 9. cap. 4. del procepio de la oracion, difficult. 3.* apud quos, & alios supra allegatos, plura videre poteris ad hunc articulum conducentia, & intrusus certò percipit fructus, & exinde disparitas manifesta apparet.

24 Colligitur ergo ex omnibus supra adductis, quod obligatio recitationis Horarum Canonicarum, habet semper respectum ad collectorem fructuum, ut inducta censetur: Enimuerò, siue inspiciamus tempus collationis beneficij, siue ad præ ipsius possessionis, in utroque casu est verum dicere, quod per ambos actus simul constituitur quis completè in esse veri Beneficiarij, & domini iurium, & non aliter: ex quo, usque ad effectum possessionis non videtur resultare commodum & utilitas fructuum; & ex inde non potest argui de illo casu ad nostrum, in quo expresse loquimur de intruso, vero percipiente fructuum; & ideo argumentum non adaptatur, cum ex solo titulo collationis beneficij non oriatur obligatio, sed ex eo, quatenus est ordinatus ad fructuum perceptionem cum effectu: unde cum Intrusus habeat titulum, licet non legitimum, saltem illum habet roleratum, & insimul commodum fructuum, sequitur exinde illud onus resultare tanquam annexum & connexum ipsimet perceptionis; & hoc propter utilitatem quam consequitur intrusus: ut patet ex fundamentis supra ponderatis à n. 7. & sequen.

Ex quibus concludendum est, Intrusum in beneficio, percipientem fructus, teneri ad recitationem Horarum Canonicarum, ex eo quod ipse fructus colligat, & disponat de illis.

QVÆSTIO LI.

Intrusus in beneficio, si eo spoliatus, & agat possessorio Recuperandæ, an sit restituendus, & petenti restitutionem beneficij, an obstet exceptio intrusionis.

S V M M A R I V M.

Intrusus spoliatus beneficio quod possidebat restitui debet, si notorie non constet de intrusione. n. 1.

Spoliatus non tenetur iustificare titulum in

spolio, etiam si sit res, qua sine titulo possideri non possit. n. 2.

Possessor non est amovendus à sua possessione sine causa cognitione, etiamsi nullum colorem habeat possidendi. n. 2.

Spoliatus in profanis ut restitui debeat, sufficit probare possessionem sine colore tituli. num. 3.

Et an hoc procedat aqua lance in beneficiis. n. 4. & sequen.

Intrusus in beneficio si fuerit spoliatus, non tenetur colorare possessionem ex aliquo titulo, ut restitui debeat. n. 4. & sequen.

Sed contra. n. 5. & sequen.

Vitiosus ingressus in beneficiis admitti non debet. n. 6.

Possessio in beneficiis sine aliquo legitimo titulo colorato acquiri non potest. n. 7. & 10.

Spoliatus possessione, etiam predo, ex iuris rigore restituendus est, n. 8. & 10.

Spoliatus beneficio restitui debet, si probaverit habere in eo titulum coloratum. n. 8.

Spoliatus beneficio sub prætextu quod erat intrusus, si agat possessorio recuperanda, ut restitui possit, duo copulatim probare debet; videlicet primò, se possedisse; secundo id esse ex aliquo titulo colorato. n. 9. & 10.

Et quomodo probetur. n. 17.

Spoliatus beneficio dicitur ille, qui semel ipsum possedit, & ab eo fuit remotus. n. 9.

Destitutus beneficio non dicitur, qui nunquam fuit institutus. n. 9.

Possessio sola sufficit in profanis, ut restitui debeat spoliatus ab illa, secus in beneficiis, in quibus exactior probatio requiritur, ne detur vitiosus ingressus. n. 10. & 11.

Titulum colorare debet in beneficiis, qui agit interdicto recuperanda, ex eo quod fuit spoliatus. n. 11.

Et quomodo titulus probetur. n. 17.

Spoliatus beneficio si allegetur intrusus, ut restitui possit, tenetur colorare titulum ex possessione, seu aliter eam iustificare, etiam ad instantiam partis. n. 12.

Et quomodo id fiat. n. 17.

Ordinarius ex officio potest inquirere de iustificatione possessionis illius, qui restitutionem implorat, etiam parte non postulante colorationem tituli. n. 13.

Quod est verum, licet petenti restitutionem ius commune non assistat, vel resistat. n. 14.

Spoliatus beneficio restitui debet, si titulum coloraverit, etiam si ius resistat, licet ipsum completè non probaverit. n. 14.

Quod limita in spolio attentato. n. 15.

Spolium attentatum lite pendente ante omnia restituendum est, etiam non docto de colore tituli, respectu possessionis. n. 15. & 16.

Spolium si probetur factum lite pendente, non est

est opus aliquid probare ut locus sit restitutioni. n. 15. & 16.

Possessio ex titulo coloranda est in beneficiis, ad consequendam restitutionem in spolio. n. 17.

Titulus in beneficiis ex variis modis colorari potest ad consequendam restitutionem in spolio; qui referuntur. n. 18.

Possessio diuturna ex curriculo decem annorum pro tali computatur. n. 18.

Restitutio in beneficiis danda est spoliato, quoties possessio ex aliquo titulo coloratur. num. 19.

Tituli exacta probatio non est necessaria ad consequendam restitutionem in spolio, sed sat est, quod possessio antiqua ex aliquo extrinseco colore iustificata appareat. n. 20.

Exceptio notorie intrusionis in beneficio impedit restitutionem in spolio. num. 21. & sequen.

Tituli notorius defectus impedit restitutionem in spolio. n. 21. & sequen.

Mulier si notorie sit adultera, & maritus continens, repellitur, si petat restitutionem mariti. n. 21.

Exceptio adulterij notorie commisi per virum, aut mulierem, impedit restitutionem, ne innocens cogi possit ad cohabitandum. n. 21.

Decimarum restitutionem petens ex eo, quod sit spoliatus, si prædia sint extra Parochiam, non auditur ex nuda possessione, si alias ipsam ex aliquo titulo non coloraverit, quia obstat ei exceptio proprietatis. n. 22.

Decimæ prædiales de iure communi debentur Ecclesie, intra cuius parochiam sita sunt prædia. n. 22.

Filius illegitimus succedens in Ecclesia Patris, si notorie constet de illegitimitate, excludi, & exspoliari debet, nec propter spolium locum habet restitutio. n. 23.

Probatio aliqua non est necessaria in notoriis, nec spolium intrat, si notorie constet de non iure. n. 24.

Intrusus notorius restitui non debet, si fuerit spoliatus possessione beneficij, in quo se intrusit. n. 24.

Quod est verum, etiam si notorietas sit iuris, vel facti. n. 25.

Declara ut n. 27. & 28.

Restitutio in spolio locum non habet, si per notoriam exceptionem iuris, vel facti, constet de non iure spoliati; & enumerantur diuersæ exceptiones notorie. n. 25.

Quod declara ut n. 27. & 28.

Intrusiones notorie quæ impediunt restitutionem in spolio, quænam sint. n. 25.

Exceptio notorie intrusionis impedit restitutionem spolij, non solum si agatur ex simplici possessorio recuperanda, sed etiam per

Tract. de Intrusione.

viam attentatorum lite pendente in possessore. n. 26.

Declarat n. 27. & 28.

Remedium attentatorum est magis privilegatum, quàm simplex possessorium recuperanda. n. 26.

Exceptio notoria intrusionis in beneficiis quando non debeat admitti, ad effectum ut spoliatus restitui debeat. n. 27.

Exceptio notorie intrusionis, ut impediatur restitutionem in spolio, probanda est in contrarium. n. 28.



VIVS quæstionis resolutio, ut defumi valeat, distinguendum est, an obiciatur intrusio de qua notorie non constat; aut verò obiciatur ea, quæ palam & notorie probatur.

Et in primo casu dicendum est, quod quando notorie non constat, sed legitime dubitatur an sit Intrusus, vel non; si iste talis fuerit spoliatus beneficio, & ipsius restitutionem petat, tunc intrusionis exceptio non impedit quominus restitui debeat; ut expresse deciditur in cap. in literis 5. de restitutione spoliatorum, quia spoliatus non tenetur in spolio titulum iustificare, etiam si sit res, quæ sine illo possideri non possit; nam possessor non est amovendus à sua possessione, quin prius procedat causæ cognitio, etiam si nullum habeat colorem possidendi, ut cum Odrado conf. 222. n. 3. arze finem, vers. nunquam autem: Puteo decis. 457. lib. 2. Achille decis. 5. de restitu. spoliator. declaravit Rota apud Gregorium X V. decis. 105. n. 20. & 21. & hoc procedit de plano.

Dubium tamen est non leue, an sufficiat in beneficiis probare solam possessionem, pro ut sufficit in profanis, an vero opus sit, etiam probare titulum, ex quo iustificata remaneat possessio, quæ fuit spoliatus, ut intrusus non notorius restitui debeat, in quo articulo variant Doctores, ut lato calamo, & plura referens, diuersosque Doctores allegans tradit Menoch. de recuperanda possessione, remed. 15. à num. 450. cum pluribus seqq. præcipuè à n. 458.

Enimuerò Abbas in d. cap. in literis, re- ducit materiam ad quatuor sententias, & tandem concludit cum opinione Innocentij & Cardinal. in cap. ex parte, de restitu. spoliator. quos sequitur Geminianus conf. 57. & conf. 148. videlicet, sufficere probare nudam possessionem, nec opus esse illam colorare, ad instantiam rei, vel iudicis, ex dispositione textus in dict. cap. in literis, & aliorum iurium penes ipsos, de quo vide

Ægidium Bellameram *conclus.* 17. quæ incipit, *Secundum Dominum, sub tit. de restit. spolij quoad colorem tituli.*

5 Sed contraria opinio verior est, & tenenda, quam multoties canonizavit Rota, vt patebit ex decisionibus statim citandis, vt probant *Gloss. in Clement. unica, verbo, Solo, de causa possessionis, & proprietatis*, Menoch. plures referens *de recuperanda possessione, remed.* 15. à *num.* 448. quibus iunge Mascardum *de probation. conclus.* 1322. & alios penes Barbof. *in collect. ad d. Clement. unicam, ad glossam in d. verbo, Solo, Lapum allegat.* 23. *num.* 4. vbi Additio Quintiliani Mandosij *litera G.* adducit varias decisiones antiquorum Dominorum de Rota, & Riccium *in collect. decis. p. 4. Collectaneo* 872. *vers. infero ad aliam*, quod idem reperitur etiam decisum coram Peña *in meis recollectis tom. 1. decis.* 854. *num.* 2. & *tom. 2. decis.* 910. *n.* 3. & 5. Scraphin. *decis.* 301. *n.* 2. & 3. Mantica *decis.* 356. *num.* 6. & in aliis pluribus; & latè comprobat Cosmas Guimier *in Pragmatica Sanctione tom. 2. §. Ordinarij autem, in verbo, inquirant, vbi à n. 40. in vers. sed alia est opinio communior, fol. mihi* 75. *column.* 2. *ibidem, & sequentibus numeris* prædictam opinionem comprobat septem rationibus, & accuratè respondet omnibus fundamentis contrariæ sententiæ, pro Abbate ponderatis, apud quem videre poteris, ne in hoc immoremur, nam esset nimis longum.

6 Et ratio est, ne in beneficiis detur vitiosus ingressus, contra dispositionem textus *in cap. 1. de regulis iuris in 6. cap. licet Episcopus, de prebendis, eodem libro, & in cap. 1. de eo qui mittitur in possessionem in 6.* vbi *Gloss. verbo, vitiosus*, & notant Boërius *decis.* 89. & Menochius *vbi supra, remed.* 1. vbi lato calamo id aduertit *n.* 131. & *sequen.*

7 Nec contra prædicta obstat text. *in d. cap. in literis, de restit. spoliat.* cui accuratè satisfaciunt Barb. *in collect. ad tex. in d. Clement. 1. de causa possessionis & proprietatis, num.* 7. vbi dicit, quod ille textus solum probat, non esse agendum de canonica institutione, an scilicet sit legitima, vel non; ex eo tamen non negat, sed immò supponit (vt patet ex ipsius contextura) agendum esse de colorata possessione, sine qua in beneficialibus acquiri non potest possessio.

8 Et similitudo prædonis, quam textus adducit, non officit: nam ait Barb. illud esse argumentum quasi à fortiori, vt sensus sit: si Prædo, qui nullum titulum probat, restituendus est, iuxta iuris rigorem, multo fortius restituendus debet is coloratus possessor, qui restitutionem implorat. nam etiam titulum

Canonicum non probet, probat saltem coloratum, qui sufficit ad nostrum intentum, ne contradicat, & se opponat prædictæ conclusioni, & ita Barbof. ex Panormitano iatelligit, & explanat illum textum.

Ex quibus patet, quod spoliatus beneficio, si agat possessorio recuperandæ, & ille qui fuit conuentus excipiat, dicendo, illum esse intrusum, vt restitutio locum habeat, duo copulatiuè probare tenetur; videlicet Primò, se possedisse quando fuit spoliatus, vt cum Ioan. Andrea, & Innocentio *in d. cap. sepe, colum.* 2. *sub num.* 2. *vers. immo plus, de restit. spol.* latè tradit Lopus *allegat.* 51. *num.* 6. Anchar. *conf.* 42. *num.* 2. Alex. *conf.* 6. *column.* 3. *num.* 5. *lib.* 3. Corne. *conf.* 35. *num.* 5. *volum.* 2. Decius *conf.* 252. *num.* 1. qui de communi testatur; & tunc ille diceretur spoliatus suo beneficio, qui semel illud possedit ex aliquo colore, & ab ipso fuit remotus, vt patet ex text. *in l. 1. §. dicitur, de vi, & vi armata, & in cap. fin. §. patet ergo, vers. sed obiicitur, 3. q. 1.* per hæc verba, *Vbi non fuit legitima institutio, ibi non potest esse restitutio. Non enim probatur desitutus, qui prius non fuit institutus, &c.* & latè comprobant Menoch. *de recuperanda possessione, in praludio, num.* 1. *Surdus conf.* 160. *num.* 39. & *conf.* 121. *num.* 17. Corneus *conf.* 8. *lib.* 1. *n.* 2.

Alterum autem ad quod tenetur, est, vt 10 debeat probare, & sit adstrictus colorare talem possessionem aliquo titulo, saltem colorato; licet enim in profanis sufficiat sola probatio possessionis, in qua etiam prædo spoliatus restitui debet, vt expressè deciditur *in d. cap. in literis, de restit. spoliat.* & tradunt Menoch. *de recuperanda: remed.* 1. *num.* 20. *in fine, & num.* 109. *cum sequen.* latè Gutierrez *de iuramento confirmatorio, p. 3. cap. 19. num.* 1. & *sequen. præcipuè n.* 17. doctissimus D. Ioan. de Solorzano *de Indiar. gubernatione tom. 2. lib. 2. cap. 28. num.* 53. & *sequen.* & alij plures penes ipsos. Attamen 11 in beneficialibus nõ sufficit: nam exactior, & vberior probatio requiritur, ne detur vitiosus ingressus, vt diximus *suprà, num.* 6. & optimè probat Solorzano *vbi proximè, in d. cap. 28. à num.* 36. præcipuè *num.* 40. vbi cum Chacherano *decis.* 54. probat, *num.* 48. quod in beneficialibus si quis agat interdicto Retinendæ, debet probare possessionem, & colorare titulum.

Ex quibus notandum est, quod taliter 12 spoliatus, si allegeretur intrusus in beneficio, teneatur colorare possessionem ex titulo, seu aliter iustificare, etiam ad instantiam partis, vt resoluunt Doctores *suprà citati num.* 5. & in specie docet Cosmas Guimier *in pragmat. sanctione, tom. 2. sub titulo de pacificis*

cis possessoribus, §. ordinarij, num. 17. *vers. secunda quod petens, pag. mihi* 80. *in secunda editione.*

13 Et hoc etiam locum habet, vt possit Ordinarius ex officio suo inquirere de iustificatione possessionis illius, qui restitutionem implorat, etiam parte non postulante colorationem tituli; ex his quæ deciduntur *in cap. Ordinarij 3. de officio Ordinarij in 6. & notant Pragmatica Sanctio vbi proximè, vers. tertia parte non postulante*, Paulus Fufcus *singul.* 88. *lit. c.* Mascardus *de probat. conclus.* 1373. Couar. *in regula, possessor, 2. p. §. 10. num.* 9. *vers. hinc & illa, & alij plures penes nostrum Cenedo in collect. ad sextum, collect.* 18. *num.* 2.

14 Et prædicta conclusio ampliatur, vt idem dici debeat siue ius commune assistat petenti restitutionem, vel ei resistat, quia in utroque casu tenetur colorare titulum, quamuis ipsum completè non probet, v.g. quia possidebat duo beneficia incompatibilia, vel quia respectu illius beneficij de quo fuit spoliatus, patiebatur defectum ætatis, & in aliis similibus casibus, qui opponerentur, quia tunc non est opus titulum probare, sed sufficit possessionem colorare, ad effectum, vt locus detur restitutioni, vt ex eo Abbate tradit Pragmat. Sanctio, *vbi proximè, vers. & prædicta sunt vera, & ibidem latè agit de hoc articulo, & de doctrina Abbaris: de qua illa etiam Lottherius de re beneficiarij, lib. 2. q. 46. num.* 35. & 36. *cum sequen.*

15 Hæc tamen licet ita se habeant, limitanda veniunt, vt non procedant in spolio attentato: si enim quis lite pendente super beneficio spoliaretur, & agat remedio attentatorum, & per Reum excipiat, quod ille qui prætendebat esse spoliatum, erat intrusus in beneficio, vel quod haberet aliam similem causam, non erit adstrictus taliter spoliatus suam possessionem aliquo titulo colorare, ad effectum reuocandi illud attentatum, sed ante omnia restitui debet, vt declarauit Rota *decis.* 2. quæ incipit, *Fuit dubitatum, sub tit. de restit. spoliat. in nouis*, quæ latè agit de hoc articulo, eamque refert, & sequitur Cassadorus *decis.* 3. *eodem tit. de restit. spoliat.* quæ incipit, *Petens restitutionem beneficij, pag. mihi* 331. *in impressis Lugduni, de anno* 1579. vbi attestatur, ita suo tempore esse in obseruantia Palatij, Cassadorum allegat, & sequitur Antonius Gabriel *lib. 5. communium opinionum, conclus.* 1. *limit.* 19. *vers. limita primam opinionem, eademque comprobat Bellamera decis.* 49. quæ incipit: *Agens possessorio, num.* 2. *vers. sed secum dicunt Domini, fol.*

mihi 21. & *conclus.* 101. *incipiente, Si constat de non iure, pag. mihi* 40.

Et quod sine colore sufficiat lite pendente spolium ratur probare ad effectum restitutionis, admittunt Vestrius *in praxi, sub titulo, vt lite pendente, lib.* 8. & Hercul. *de attentat. cap.* 26. *num.* 4. *cum pluribus sequen.* Lancellorus *de attent. lite pendente, secunda parte, cap. 4. limit.* 1. *num.* 28. Et prædicta conclusio extenditur etiam secundò, vt in tali casu sufficiat ostendere titulum prima facie coloratum, licet postmodum aliter appareat, vt tradunt Geminianus *conf.* 148. Paulus Castrenf. *conf.* 254. *in 3. artic. volum.* 1. Cassadorus *decis.* 1. *sub tit. de restit. spoliat. num.* 10. *vers. & em sufficit titulus coloratus, licet aliàs nullus, &c.* Idemque probat Antonius Gabriel *in d. limit.* 19. *vers. secundo limita, n.* 124.

Ex quibus patet, quod ad consequendam restitutionem super spolio beneficiali, requiritur colorari possessionem ex titulo. Et vt clariùs procedatur, antequam ad explanationem secundi casus deueniamus (de quo *suprà, n.* 2.) necesse erit declarare, quo pacto ad hunc effectum talis color probandus sit, quem quidem multis, & diuersis modis poterit spoliatus efficere, vt 18 ex sequentibus patebit, videlicet ex institutione Superioris, ex traditione Clauium, ex confessione spoliantis, ex diuturna possessione, quæ ex curriculo decem annorum pro tali computatur: similiter ex possessione triginta annorum, licet Bullæ non habeantur; & insuper ex testimonio de auditu à spoliante, sicut ex narratiua facta in literis: & præterea ex institutione, & confirmatione, aut ex gratia expectatiua, seu aliis eiusdem generis, quos quidem modos longa manu, plures Rotæ decisiones ipsos declarantes, & varios Doctores eisdem admittentes refert Parisius *de resignat. benef. tom. 2. lib.* 13. *q. 5. à num.* 102. *vsque ad* 123. penes quem copiosè videre poteris, & penes Pontanum *in tract. de spolio, cap.* 15. *num.* 144. *cum sequen.* vbi recenset alios modos, per quos possessio colorari valet, & prædictum tractatum Pontani reperies etiam *tom.* 14. *tractatum in nouiori impressione, pag.* 270.

Concludendum est igitur ex omnibus 19 *suprà ponderatis*, quod quories controuertitur de spolio possessionis in beneficialibus, sat erit, si probetur quasi possessio colorata, ex qua danda est restitutio ad primum statum, vt cum Cassadoro *decis.* 11. *num.* 9. *de rescriptis*, Mohed. *decis.* 153. & Gigante *de pensionibus, q.* 47. *n.* 10. probat Parisius *in d. q. 5. n.* 122.

20 Et ratio est, quia ad effectum restitutionis in spolio non requiritur exacta probatio veri tituli; nam factus est, ut appareat de quadam forma extrinseca, sui facie legitima, & valida, & ita quod possessio antiqua ex aliquo extrinseco colore iustificata reperitur, ut cum Olasco *decis.* 116. *num.* 7. Menoch. *in dict. remed.* 15. *n.* 466. Socino *conf.* 13. *num.* 25. *lib.* 4. Bellamera *decis.* 455. & aliis pluribus docet Parisius *in d. lib.* 13. *quest.* 5. *num.* 102. Et ita quoad hunc articulum concludendum est, sufficere colorare possessionem ex titulo, nec opus esse ut ipse exacte probetur.

21 Deveniendū iam ad secundum casum, quando scilicet spoliato petenti beneficii restitutionem obiicitur notoria intrusio, vel notorius tituli defectus. Et tunc dicendum est, huiusmodi exceptionem obstare, & exinde nullo modo restitutionem fieri debere, sed immo potius à possessione fore repellendum, nam tale beneficium sine peccato obtineri non potest, quæ sententia probatur argumento textus *in cap. significasti* 4. *de restitutione spoliatorum*, ex quo patet, quod repellitur mulier petens restitutionem mariti, si notorie fuerit adultera; & maritus continens, vel è contra; nam exceptio notorij adulterij impedit restitutionem viri, aut vxoris, ut probant Couarruias *in d. Decretalium*, par. 2. *cap.* 7. *§.* 5. *n.* 12. *vers. non tamen sequitur, & vers. denegandam tamen esse restitutionem*, &c. & *n.* 21. *post medium, ver. hinc Iason*: & Farinplures alios referens *in praxi criminali*, lib. 5. *sub tit. de delictis carnis, quest.* 143. *§. notorium, & occultum, num.* 53. *in tom.* 4. *tit.* 16. Ergo similiter notorius Intrusus si fuerit spoliatus restitui non debet.

22 Secundo roboratur *ex cap. ad decimas, de restitutione spoliator. in sexto*; Ex quo colligitur, quod petens restitutionem decimarum, quas dicit se possedisse intra Parochiam alterius, non auditur, quia ei obstat notorius defectus proprietatis, cum sit notum, decimas prædiales de iure communi ad illam Ecclesiam pertinere, intra cuius parochiam sita sunt prædia, ut patet ex text. *in cap. finali, de parochijs*, & tradunt Gurtierrez *lib.* 1. *pract.* 9. *num.* 1. Suarez *de relig.* *lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. Moneta *in tract. de decimis, cap.* 7. *num.* 24. Et communiter Doctores, sæpissimèque declaravit Rota, ut habetur *in recentioribus*, p. 1. *decis.* 371. *n.* 4. Ergo pariformiter in nostro casu si spoliatur notorius intrusus, restitui non debet, obstante notorietate intrusionis.

23 Tertiò probatur *ex cap. quoniam* 10. *de filijs Presbyterorum*, ibi, *penitus excluda-*

tis, &c. ubi filius illegitimus, succedens in Ecclesia Patris, si notorie constat de illegitimitate, excludendus, & spoliandus est, nec restitutio locum habet: ergo, &c.

Ratio prædictæ conclusionis ea est, quia 24 in notoriis non requiritur aliqua probatio, ut tradunt Surdus *decis.* 259. *n.* 14. & *decis.* 326. *num.* 82. Mendez à Castro *in praxi Lusitana lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 33. latè Farinacius *in praxi criminali, tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 80. & sequent. ubi alios plures allegat, & in terminis spolij Menochius *in dict. remed.* 15. *num.* 268. *in fine, & num.* 264. Et exinde inferitur, quod si de intrusione notorie constitit, non erit restituendus talis notorius intrusus, si spoliatus fuerit possessione beneficii, in quo se intrusit, quia ipse spoliatus proprie dici non potest, obstante notoria intrusione, quæ impedit ne possideat; & regula sit certa; quod spoliatus non dicitur, qui possidere non potuit, ut cum aliis probat Parisius *de resignat. libro* 13. *questione* 5. *numer.* 90. unde sequitur, talem non esse restituendum: quam conclusionem communiter defendunt Doctores, ut per Innocentium *in cap. constitutus, de filijs Presbyterorum*, Cassadorum *decis.* 3. *n.* 4. & sequent. *de restitutione spoliator.* ubi testatur de communi, Capellam Tolofanam *decis.* 15. Oldradum *conf.* 214. & *conf.* 274. Antonium Gabrielem, plures referentem, *communium conclusionum lib.* 5. *conclus.* 1. *n.* 94. *in duodecima limitatione*, & in terminis cum Ripa, Ferreto, & aliis Menoch. *in d. remed.* 15. *num.* 464.

Et prædicta locum habent, & procedunt, 25 nedum quando constat de intrusione per notorietatem facti, verum & etiam per notorietatem iuris, ut putà si id fiat per probationes, contra quas nihil opponi potest, veluti per confessionem, per instrumentum, per testes contestes, per acta concludentia in iudicio, per sententiam; vel tandem si quis obtinens beneficium curatum, recipiat secundum etiam curatum, & illic primo non renuntiauerit verbis, aut factis: in prædictis enim casibus, si ex aliquo ex eis legitime constaret de intrusione, optimè diceretur notorie constare, ad effectum, ut si talis Intrusus spoliatus reperitur, restitui non debeat, ut accurate, & lato calamo comprobatur Alphòsus Hojedà plures Doctores, & varia iura allegans *in tractatu de incompatibilitate beneficiorum, cap.* 13. *n.* 72. *vsque ad* 79. *inclusivè*, eumque reperies etiam *in tom.* 15. *tractatum*, p. 1. *in ultima impressione de anno* 1584. *pag.* 121. apud quem plura ad intentum videre poteris,

QVÆSTIO LII.

Intrusus execrabilis, si spoliatur, & agat possessorio Recupera-
randæ, an sit restituendus.

S V M M A R I V M.

Intrusus execrabilis in beneficio si spoliatus fuerit, & agat possessorio recuperanda, restitui non debet. n. 1. & sequen.

Sed contraria sententia est verior, & tenenda. n. 5. & sequen.

Detinens duo beneficia curata ultra tempus à iure statutum, si altero eorum spoliatur, restitui non debet. n. 2.

Sententia hominis, priuans possessione, impedit ut talis priuatus non possit petere restitutionem, tanquam spoliatus: quod extendit etiam ad sententiam Iuris priuatoriam. num. 3.

Intellige ut n. 10. & sequen.

Exceptio renunciationis obstat agenti possessorio, ut restitutio locum non habeat. n. 4.

Exceptio execrabilitatis non impedit restitutionem in spolio. n. 5.

Intrusus execrabilis ex eo, quod duo beneficia incompatibilia obtineat, si fuerit possessione spoliatus, restitui debet, antequam ad ulteriora procedatur. n. 6.

Obtinens duo beneficia incompatibilia, quorum possessionem insimul retinet, licet primo priuari debeat, & is ad quem pertinet collatio, possit illud conferre; non tamen inaudito possessore mittere in possessionem cum, cui contulit. n. 7.

Possessor, etiam execrabilis, non potest inauditus à possessione remoueri. n. 7.

Beneficia que ipso iure vacant, potest ille conferre, ad quem pertinet collatio, non tamen tradere possessionem inaudito possessore. n. 8.

Nemo amoueri debet à possessione sine citatione, & actu iudiciali, cum adhuc sit prado, possit ei ius competere. n. 8.

Iudex non potest spoliare beneficiatum, contra quem ex delicto, vel alia causa inducitur priuatio ipso iure, quin prius citetur, iuris ordine seruato. n. 9.

Sententia hominis priuans possessione beneficii, impedit restitutionem in spolio; quod idem dicendum est in sententia Iuris priuatoria, ante quam ipsius incursionis declaratio fiat. n. 10.

Sententia condemnatoria & priuatoria, à iure imposita, differt à sententia priuatoria hominis: nam prima adducit probationes post se; secunda verò ante: & ideo in illa, donec declare

teris, & penes Felinum *in cap. si constitit, ubi Abbas & Aret. de accusat. & in cap. ad petitionem, eodem titulo*, ubi à n. 15. *cum sequen.* varias declarationes, & ampliationes deducit ipse Felinus, quæ conducunt ad proximè dicta, quas consultò omitto, cum breuitati consulam.

26 Notandum est etiam; exceptionem notoriæ intrusionis, seu defectus tituli, impedire restitutionem, petenti ipsam in beneficio, de quo spoliatus conqueritur, non solum si agatur ex simplici possessorio Recupera-
randæ, sed etiam si ageretur per viam attentatorum lire pendente in possessione: ex ea ratione, quia remedium attentatorum est magis priuilegiatum, quam simplex possessorium Recupera-
ndæ, & exinde à fortiori locum habere debet, ut accurate, & lato calamo, pluribus rationibus & fundamentis ampliando, limitando, & declarando comprobatur & tradit Lancellotus *de attentatis p.* 3. *cap.* 2. *q.* 1. *per totam*, penes quem latissimè videre poteris, quæ conducunt circa hunc articulum, ne in eo prolixius immoremur.

27 Hucusque dicta declaranda veniunt, primò, ut non procedant, si contra talem notoriam intrusionem, quæ procedat, siue ex euidencia facti, aut iuris, vel ex aliquo ex modis supra enarratis n. 25. replicetur, & opponatur aliquid rationale, & admiffione dignum, veluti si probetur per petentem restitutionem, cui fuit opposita exceptio notoriæ intrusionis, quod sine peccato illam Ecclesiam obtinebat; vel quid simile: nam tunc restitutio admitti posset, saltem ut de eo articulo, & iustificatione valeat Iudex formare conceptum, an sit, vel non, iustificatum, aut releuans, quod ipse proponit; ut explicant plures ex Doctoribus supra allegatis, & præcipuè Antoninus *in dict. cap. constitutus, num.* 9. *de filijs Presbyterorum.*

28 Secundo declaratur, & intelligi debet prædicta doctrina, dummodò excipiens de notoria intrusione, in continenti veniat paratus & probet notorietatem, per quam intendit impedire restitutionem, ut tradit Anton. *in cap. in literis, n.* 26. *vers. in quantum autem, &c. de restitutione spoliatorum, & faciunt ad intentum, quæ notantur in cap. significasti, de diuortijs, & ibi Abbas num.* 30. *vers. & ubi admittitur, &c.* Ex quibus ita concludendum videtur, &c.

* * *

- declaretur pœna, si possessor fuerit spoliatus. restitui debet; secus in istis. n. 11.
- Restitutio in spolio locum non habet, si notoriè constet de non iure spoliati. n. 12.
- Sententia per quam priuatur aliquis iure, quod in beneficio obtinet, fertur in inuitum. num. 13.
- Renunciatio alicuius iuris, est actus voluntarius, & illa facta, non potest peti restitutio. num. 13.
- Renuntians amittit possessionem, & omne ius quod habet in re renunciata; & ideo si petat restitutionem, audiri non debet. n. 14.
- Sententia iuris, vel hominis priuatoria beneficij, non auferit possessionem ante executionem. n. 15.
- Sententia Iudicis, est actus iuris Ciuilis; possessio uero facti: & ideo hæc non perditur per illam, ante ipsius executionem. n. 15.
- Renunciatio beneficij operatur, ut renuntians habeat illud pro derelicto, & ideo possessionem amissam, & consequenter exceptio renunciationis obstat in spolio. n. 16.
- Exceptio execrabilitatis obstat petenti restitutionem in spolio, si illa statim fuerit probata, vel per partis confessionem, aut aliter sit notoria. v. 17.

- I**NTRVSVM execrabilem non esse restituendum, si fuisset spoliatus, & ad eum effectum ageret possessorio Recuperanda, declaratum fuit per Rotam in antiquis decis. 15. alijs 370. quæ incipit, Nota quod ubi aliquis tenuit duo beneficia, &c. sub titulo de restitutione spoliatorum, in qua fuit decisum, quod si aliquis obtinuit duo beneficia incompatibilia, & detinuit ultra tempus à iure statutum, & altero illorum sit spoliatus, vel dicat se spoliatum, quod non debeat restitui: quia cum de iure, in simul duo beneficia obtinere non possit, restitutio fieri non debet, neque articulus admitti; argumento textus in cap. ad decimas, de restitutione spoliatorum, & probatur etiã ex his, quæ diximus supra, in quest. antecedenti, n. 21. & 22. cum seqq.
- 3 Quod quidem ulterius patet ex ea ratione: quia sicut sententia hominis impedit restitutionem iuxta notata in cap. presentium, 7. q. 1. & in cap. dilectus 6. de causa possessionis & proprietatis: sic similiter, & à fortiori, sententia iuris obstat & ita aduertit Innocentius in cap. testimonium, de testibus, & in cap. 1. de testibus cogendis.
- 4 Et præterea prædicta sententia roboratur ex alia ratione; nam sicut exceptio renunciationis obstat agenti possessorio, ut notat Innocentius in cap. super hoc, de renun-

ciatione, de quo latè agit Azor. p. 2. institutionum moral. lib. 7. cap. 27. q. 7.) ita etiam sententia iuris, quæ habetur in extrauaganti, Execrabilis, de præben. & dignitatibus, & consequenter sequitur, quod utraque sententia super titulo & proprietate beneficij tollet, & abdicabit etiam possessionem: sicut & etiam ipsam tollit, & abdicat renuntiatio, ad effectum ut talis Intrusus execrabilis restitui non debeat, si spoliatus fuerit, siue à Iudice, siue à priuato, auctoritate Iudicis, ut cum Menochio de recuperanda possessione, remed. 1. num. 330. Mohedano decis. 15. Craueta conf. 322. num. 4. & alijs pluribus refert Parisius de resignationibus beneficiorum, lib. 3. q. 1. num. 60. & sequent. & insinuare videtur Rota in nouis, decis. 3. alijs 16. quæ incipit, Si contra agentem possessorio, &c. sub tit. de restit. spoliati. ubi tertia Additio vers. pone quod aliquis tenuit duo beneficia, &c. docet, quod habet locum, etiam si qui aliquale ius legitimum habet, spoliauerit talem intrusum: ut probant Oldradus conf. 214. Antonius Gabriel plures referens lib. 5. commun. conclus. de restitutione spoliator. conclus. 1. à n. 94. quos refert & sequitur Parisius ubi proxime, num. 63. in fine.

Contraria tamen sententia, videlicet, quod talis intrusus execrabilis (ut vocant Canonistæ,) si spoliatus fuerit restitui debeat, declarauit Rota in d. decis. 3. de restitutione spoliatorum, in nouis, ubi tertia Additio ibidem latè illud comprobat, idemque innuunt Oldradus conf. 227. incipientes De toto Themate: columna 2. vers. secundo obijcit: quem refert, & sequitur Aufrerius in addition. ad decis. 465. Capelle Tholosana, littera A. Cardin. consil. 132. incipit, Duo sunt videnda num. 7. Ludouicus Gomezus ad Regulam, de Triennali, q. 10. n. 14. vers. secundus casus exceptus, Abbas in cap. in literis, num. 24. de restitutione spoliatorum, latè Gigas in Epitome de Intruso, num. 60. vers. scias tamen; Et ad intentum optimè Lancellotus de attentatis, p. 3. cap. 24. q. 3. in ultima impressione de anno 1598. latè disputat hunc articulum, & à num. 6. cum sequen. tradit, Quod contra agentem spolio non admittitur exceptio Execrabilitatis, sed quod sufficiat. quomodocunq; contradicere, & ita à moderna Rota pluries fuisse admisum, & declaratum, ipse testatur referendo diuersas decisiones, hanc conclusionem decidentis: & tandem num. 10. concludit, quod exceptio Execrabilitatis non impedit restitutionem in spolio, & ita hanc sententiam ueriores & tenendam iudico.

Quæ probatur ex cap. referente 7. de præbendis:

benedis: ex quo patet, quod cum quidam Presbyter in Archidiaconatu certi Archidiaconi haberet duas Ecclesias, & ab Archidiacono ab una illarum fuisset spoliatus, iussit Archiepiscopus Remen. (coram quo tanquam Metropolitanano fuerat querela proposta) ut restitueretur ad illam: sed sic est, quod talis Presbyter erat intrusus execrabilis, quia duo incompatibilia in simul obtinebat, & eo non obstante restitutus reperitur, ergo intrusus execrabilis si spoliatur, restitui debet.

- 7 Secundò & meliùs roboratur ex cap. licet Episcopus 28. de præbendis in 6. Ex quo deducitur, quod si aliquis obtineat secundum beneficium incompatibile cum primo, & sit in possessione, tunc Episcopus, vel alius, ad quem collatio pertineat, poterit primum alteri conferre; non tamen ipsum in possessionem corporalem immittere, non vocato eo, qui illa duo incompatibilia obtinebat; quia sine causæ cognitione amoueri non debet, nec inauditus remoueri à possessione; ut tradunt Gonzalez per eum textum ad regulam 8. glof. 5. §. 1. num. 39. & 40. optimè Sanchez tom. 1. in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 26. num. 12. ubi resoluit, quod licet beneficia quæ ipso iure amittuntur, possint conferri non tamen possessio, non vocato beneficiato possessore, & plures allegans idem tenet Tiraquellus in l. si unquam, verbo, reuertantur. num. 337. C. de renouandis donationibus. Et ratio est, quia nemo sine citatione, & actu iudiciali amoueri debet à sua possessione, cum adhuc possit illi competere ius retinendi, etiam si sit prædò: ut cum Felino, Marfilio, & alijs docent Menochius de recuperanda, remed. 1. num. 111. & 112. Flaminius Paris. (qui hanc opinionem cum pluribus dicit esse uerorem, & communiorum) lib. 1. de resignationibus, q. 10. à numero 10. & sequen. ubi latissimè agit de hoc articulo.

- 9 Ex quibus sequitur, quod cum Iudex non debeat spoliare illum, contra quem de iure communi priuatio inducitur, nisi eo citato, & iuris ordine seruato; ut patet ex d. cap. licet Episcopus, & omnes Doctores fatentur, ita fortius non licebit priuatæ personæ, ac per consequens fatendum est, quod si talis particularis intrusum execrabilem spoliauerit, restitui debeat; & in terminis intrusi ita docet cum Franco in c. ex parte, num. 29. de appellationibus, & cum Hieronymo Gabriele conf. 31. num. 20. lib. 2. Barb. in collect. ad d. cap. licet Episcopus, num. 8. ubi testatur, ita fuisse declaratum à Rota in uina Bracharen. Archidiaconatus 31. Martij, 1628. coram Coccino Decano; Ex quibus conclu-

dendum est, quod si intrusus execrabilis fuerit spoliatus, & agat possessorio recuperanda, restitui debeat, & ita tenendum est.

Nec urgent fundamenta pro prima sententia adducta, & ad primum (de quo supra, num. 2. & 3.) respondetur cum Oldrado in d. conf. 227. vers. secundo obijcit, & post eum dicta Additio ad dictam decisionem 3. alijs 16. de restitutione spoliatorum, in nouis, & Corfetus in d. regul. spoliatus, limit. 16. quod sententia iuris priuatoria beneficij impedit restitutionem in spolio, sicut & sententia hominis: sed cum hac differentia, quod prius in sententia priuatoria iuris, declaranda est incurfus pœnæ priuationis, & antequam præcedat talis declaratio, restitutio locum habet; secus est in sententia hominis, in qua cum iam liquidò constet de priuatione beneficij, & de nõ iure obtinentis illud, exinde est spolium in hoc casu non intrare. Et ratio differentiæ est, quia talis sententia priuatoria à Iure imposita adducit probationes post se, per quas declaratur, pœnam fuisse incursum; & in eo articulo donec cognitio fuerit adhibita, & causa terminata, spoliatus, etiam execrabilis, restituendus est, propter rationes superius allatas, & propter ea quæ dicemus infra, num. 15. At uerò in sententia hominis, cum præcedant probationes, quæ non pendunt ex probandis, sed ex probatis iusta & notoria appareat, exinde oritur, quod restitutio spolij locum non habet, cum de non iure spoliati notoriè constet propter probata: quod quidem inducit notorietatem illius non iuris spoliati: & propter eam notorietatem impedita remanet restitutio, argumento textus in cap. significasti 4. de diuortijs, ibi: Quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus uir cogi non debet, &c. de quo latè Farinacius in praxi criminali tom. 4. sub tit. de delictis carnis, q. 143. num. 53. & in hunc sensum intelligendus est textus in summa in cap. Episcopus suis rebus, 3. quest. 1. secundum Oldradum, & alios supra citatos, ex quibus fatissit primo fundamento.

Nec similiter obstat secundum (de quo supra, num. 4.) quia illatio quæ fit de exceptione renunciationis beneficij, ad sententiam, vel dispositionem iuris priuatoriam, longè differunt: Hæc namque fertur in inuitum: l. inter stipulantem, §. 1. ff. de verb. obligationibus, cum alijs; at uerò renuntiatio fit uoluntariè, cap. quam periculosum, 7. quest. 1. & exinde renuntians nullum regressum, aut recursum habere potest; taliter quod si petat restitutionem, nullatenus attribui

attribui debeat, vt ex variis rationibus & argumentis probant Parisius *de resignationibus*, lib. 1. q. 13. à n. 1. cum pluribus sequen. & Mar. Anton. *variar. resol. lib. 1. resol. 104. num. 14.*

- 14 Ex quo sequitur, quod facta renuntiatione, statim renunciens amittit possessionem, & ius quod habet, ac per consequens nihil mirum, si ei restitutio non tribuatur; & patet ex his quæ longa manu congerit Parisius vbi proximè *in d. q. 13. à num. 34. cum sequen.* at verò in sententia super beneficio, siue sit iuris, siue hominis, non est verum, quod Beneficiarius ex sola sententia amittat possessionem, ante ipsius executionem; nam sententia est actus iuris Civilis, vel Canonici, possessio autem est facti; & quod est facti, infirmari non potest nisi cum ipso facto: argumento textus, *in l. denique. ff. ex quibus causis maiores, & l. 1. §. si vir. ff. de acquirenda possessione.*
- 16 Vnde illatio non sequitur, nam qui beneficium renuntiat, eo ipso illud habet pro derelicto, & ideo possessionem amittit, *l. si quis vi, §. differentia, de acquirenda possessione*, & consequenter exceptio renuntiationis obstat petenti restitutionem, *cap. accepta, de restitutione spoliatorum*, Menoch. *de recuperanda, remed. 1. n. 297.* quod quidem in priuato per sententiam non ita se habet; nam ipso inuito abdicatur ius, & exinde ante declarationem incurfionis pœnæ à iure impositæ, vel sētēriæ hominis in eū exequuntur, restitutus venit: vt optimè aduertit Oldrad. & Additio Rotæ *vbi supra*; non vero renunciens beneficium, cum ex proprio facto, & voluntate cesserit, & amiserit omne ius & possessionem, quam habebat: & ideo ad oculum patet differentia inter vtrumque casum.
- 17 Aduertendum tandem est pro Coronide huius quæstionis, cum Lancelloto *de attentatis, in d. 3. p. cap. 24. q. 13. n. 9.* quod prædicta declaranda sunt, taliter, vt si exceptio execrabilitatis fuerit admittenda & probata per confessionem partis, aut aliter sit notoria, & manifesta, tunc repellat agentem spolio, vt restitui non debeat; & ita fuisse decisis in Rota testatur ipse Lancellotus *in vna Ciuitatis Castell. coram Quiroga. 9. Decembris 1556.* & coram Putco *decis. 13.* quæ incipit, *Exceptio &c. sub tit. de restit. spoliator.* & coram Thoma de Thamis *decis. 70.* incipiente, *In possessorio &c.* Qua propter *ibidem* Lancellotus *num. 10.* concludit, quod petenti reuocationem attentatorum, non officit exceptio Execrabilitatis, nisi in dictis casibus proximè relatis, arguendo de spolio ad attentata.

Ex quibus ita concludendum est ad resolutionem propositæ quæstionis.

QVÆSTIO LIII.

Intrusus in beneficio reseruato, si spoliatur, an debeat restitui.

S V M M A R I V M.

Intrusus in beneficio reseruato si spoliatur, restitui non debet. n. 1. & 8.

Decretum irritans, appositum in Regula reseruatoria, inficit titulum, & possessionem Beneficiarij, qui se intrusit in beneficio reseruato; & ideo si spoliatur, non potest petere restitutionem. n. 2. & 8.

Intrusus in beneficio reseruato caret omni effectu, & possessione. n. 3. & 5.

Spoliatus dici non potest, qui caret possessione, & ideo restitutio ei dari non debet. n. 3.

Restitutio non datur ei, qui se intrusit in beneficio reseruato, si spolio agat, quia notoriè constat de non suo iure. n. 4. & 6.

Restitutio in beneficialibus non conceditur ei, qui spoliatus dicitur, si notoriè constat de non suo iure. n. 4.

Intrusus in beneficio reseruato non adipiscitur illius possessionem, nec dicitur possidere; & ideo si spoliatur, non debet restitui. n. 5.

Spoliatus dicitur ille, qui cum possideret, deiectus est à possessione. n. 5.

Spoliatus non dicitur, qui nunquam possidere potuit. n. 6.

Spoliatus restitui non debet, tam in causis spiritualibus, quàm in temporalibus; quoties possessioni ius restitit. n. 7.

Regula Reseruatoria licet expiret morte Pontificis, eo non obstante fit per viam legis, & habet vim legis. n. 7.

Restitutio in Spolio factò contra Intrusum in beneficio reseruato, an habeat locum in reseruazione generali, vel speciali? Et videtur tantum habere in illa, non vero in hac. n. 9.

Sed dic, quod in neutra earum concedi potest. n. 10. & 13. & 14.

Intrusus in beneficio reseruato, tam ex reseruazione generali, quàm speciali, si spoliatus fuerit, & petat restitui, admitti non debet. num. 10.

Decretum irritans, appositum in regula reseruatoria, comprehendit tam reseruaciones speciales, quàm generales. n. 11.

Decretum irritans appositum in Regula 8. Cancellariæ, inficit non solum titulum, sed etiam possessionem illorum, qui prouidentur

dentur ab alijs quàm à Papa, de beneficijs vacantibus in mensibus reseruatis. n. 12.

Prouisus de beneficio in mensibus reseruatis vacante, non potest se iuuare aliquo remedio possessorio, etiam summarissimo manutentionis, in quo nulla exceptiones admittuntur. n. 12.

Remedium summarissimum manutentionis nullas admittit exceptiones. n. 13.

Regula 8. Cancellariæ non solum inficit titulum, sed etiam possessionem illorum, qui obtinuerunt ab Ordinarijs beneficia reseruata, generali, vel speciali reseruazione. n. 14. & 15.

Decretum irritans, annullans prouisiones factas ab Ordinarijs de beneficijs reseruatis, locum habet tam in reseruacionibus specialibus, quàm generalibus; ex eo quia per illud notoriè constat de non iure prouisi ab Ordinario. n. 15. & 16.

Notoria reseruatio beneficij comprehendit non solum speciales, sed & generales reseruaciones. n. 16.

Reseruaciones omnes beneficiorum sunt hodie generales, ac per viam legis, & ex motu proprio factæ, & inficiunt possessionem eodem prorsus modo, ac si essent super certo corpore expresso. n. 16.

Intrusus in beneficio reseruato, tam ex speciali, quàm ex generali reseruazione, si fuerit spoliatus, & petat restitutionem, non debet audiri. n. 17.

NANC quæstionem in terminis exagitat & decidit Rota *decis. 3. alias 16.* quæ incipit, *Si contra agentem possessorio, &c. sub tit. de restit. spoliator. in nouis*, vbi fuit resolutum, quod si Intrusus in beneficio reseruato fuerit spoliatus, nullo modo restitui debeat: quam sententiam latissimè & in diuiduo disputat & resoluit Menoch. *de recuperanda possessione remed. 15. à num. 443.* vbi pro hac resolutione allegat 16. Doctores, & septem Rotæ decisiones, eam tenentes: à qua nullatenus recedendum est, quidquid dicat Franciscus Aretinus *in l. naturaliter, §. nihil commune, colum. penultima, in fine de acquirenda possessione, qui contra tot. Doctores, & Rotæ decisiones mordicis cōtrariam opinionem tuetur: cui accuratè, & doctè Menochius vbi proximè, respondet, & omnibus fundamentis ab ipso ponderatis à n. 447. vsque ad 453.* apud quem videre poteris, ne in hoc nimis immoremur.

2 Ratio prædictæ resolutionis est, quia decretum irritans appositum à Papa in reseruacionibus, est tantæ efficacitæ, vt inficiat nedum titulum, sed etiam possessionem: *Tract. de Intrusione.*

argum. rex. in cap. si eo tempore, de electione in 6. & probat Lotterius de re benef. lib. 2. q. 14. num. 99. & 100. Coccius decis. 51. n. 2. & 3. latissimè Gonzalez ad regul. 8. glos. 67. à num. 11. & infinitos Doctores & Rotæ decisiones referens Barbosa de claus. vsu-frequent. claus. 4. n. 18. & seqq.

Ex quo sequitur, quod ille intrusus in tali beneficio reseruato, caret omni effectu, & possessione, sine qua spoliatus non consideratur, & exinde neque restitutio locum habere potest, cum non entis nullæ sint qualitates, *l. 2. ff. de vsu-fructu, l. Pomponius, §. finali, ff. de acquirenda hereditate, l. si seruum, §. finali, ff. de actionibus empti, cum vulgatis*, & latè comprobat Menoch. *vbi proximè, n. 444. & 445.*

Secundo probatur, quia eo ipso quod de reseruacione patet, iam notoriè constat de non iure spoliati, & petentis restitutionem quod impedit ne in beneficialibus concedi valeat, iuxta textum *in cap. quam, & cap. constitutus 8. de filiis Presbyterorum*, & cum Rota & Nauarro *in cap. accepta, vers. conformatio, num. 9.* tradit Flaminius Paris. *de resignat. benef. lib. 1. q. 13. num. 35. & sequen. & conducunt quæ diximus supra, in quæst. antecedenti, n. 12. & 17.*

Vnde cum ille qui se intrusit in beneficio reseruato, possessionem nunquam fuerit adeptus, nec illud possidere potuerit, obstante dicto decreto appposito in dicta Regula reseruatoria, sequitur quod spoliatus dici non possit; nam ille pro tali habetur, qui cum possideret, deiectus est à possessione, *l. 1. §. deiecitur, ff. de vi, & vi armata, cap. finali, 3. q. 1.* Et insuper quia spoliatus non dicitur, qui possidere non potuit, vt norant Abbas *in cap. ex parte, in fine, de restit. spoliator.* & latè Menoch. *de recuperanda, in præfatione, num. 1. & 2.* & copiosè Azeuedo *lib. 4. tit. 13. ad l. 1. nouæ recopilacionis, sub tit. de la restitution de los despojos, num. 74.* vbi plura ad intentum cumulat; sed talis intrusus nec possedit, nec potuit possidere beneficium reseruatum, quia ab initio, & ex post facto inhabilis, & incapax est talis possessionis, propter decretum irritans contentum in Regula reseruatoria, ergo non fuit spoliatus, & exinde nec restitutio locum habere potest.

Præterea hæc sententia roboratur ex eâ ratione, quia spoliatus nullatenus restitui debet, tam in causis spiritualibus quàm in temporalibus, quoties possessioni ius restitit, vt aduertit Barbosa *in collect. ad text. in cap. ad decimas, de restitutione spoliator. in 6. num. 13. & 14.* & tradunt communiter DD. per eum textum, sed Regula reseruatoria

N licet

licet expiret morte Pontificis, eo non obstante fit per viam legis, & habet vim legis, & pro tali obseruanda est, vt cum pluribus tradit Gonzalez *ad regulam* 8. §. 5. *proæmij*, num. 1. & patet ex iis quæ dicemus *infra*, num. 15. & *sequen.* Ergo etiam si talis intrusus in beneficio referuato aliquem colorem possessionis haberet (quem nullo modo habet) nihil operari poterit, ad effectum, vt si spoliatur restitui possit; cum ius (hoc est prædicta Regula) ei resistat.

8 Ex quibus fatendum est, quod prædicta sententia omnino amplectenda sit, eamque tumentur Abbas *in cap. in literis, de restitut. spoliatorum*, Aufser. ad Capellam Tolosanam *decis.* 15. quæ incipit, *Item fuit quaesitum*, Rebuffus *in praxi, sub tit. de referuat. tam generali quam speciali*, num. 4. *vers.* Notandum est, & alij plures relati per Menochium *in d. remedio* 15. num. 443. & ita semper fuisse obrentum in Palatio testatur dicta *decis.* 3. aliàs 16. *de restitutione spoliatorum, in nouis: vers. & sic dicebant Domini.* vbi ex variis motiuis, subtiliter consideratis, latè intendit distinguere, & tandem num. 3. ita concludit: *Non obstantibus prædictis meis motiuis, videlicet quod agenti interdicto, etiam principaliter, vel etiam suspensio petitorio, semper obstitit, & admissa fuit Papalis referuatio, & impedita restitutio, &c.* Hæc Rota. Ex quibus liquida, & certa redditur supradicta resolutio.

9 Et vt dubitationi non sit locus, pro corone inquirendum est, vtum quælibet referuatio impediat prædictam restitutionem in quo dubio allegata *decis.* 3. aliàs 16. *de restitutione spoliatorum*, videtur *ibidem* insinuare, locum tantum habere in speciali, non verò in generali referuatione per hæc verba: *Dico de speciali; de generali rariò vidi, & de illa magis dubitarem, nisi esset notoria, & cum decreto facta, sicut in cap. licet, de præbendis, in 6. de qua si constaret, crederem idem: Secus autem de aliis generalibus referuationibus beneficiorum, puta Capellanorum, Collectorum, Subcollectorum, &c.* Nam cum de illis posset esse dubium, vtum essent & fuissent tales, & sic beneficia eorum referuata, dicerem, illam non obstare agenti interdicto: arg. not. per Innocentium *in d. cap. constitutus, & per Archidiaconum* 8. q. 1. cap. 1. *Super verbo facti, &c.* Ex qua doctrina videtur deduci, dictam conclusionem à nobis superius resolutam, locum tantum habere respectu referuationis specialis, non verò respectu illius, quæ generalis dicitur.

10 Sed profectò hanc limitationem non posse admitti videtur dicendum, sed tm.

mo potius quod æqua lance iudicari debeat quoad referuationes generales, ac speciales, circa articulum propositæ quaestionis, ita vt Intrusus in beneficio referuato, tam ex referuatione generali, quam speciali, si spoliatus reperiarur, & petat restitutionem, nullo modo audiri debeat.

11 Et moueor ex eo, quia illa ratio adducta pro restrictione quoad specialem referuationem, non conuincit: enim verò fundamentum principale, quod ab omnibus admittitur pro resolutione supra adducta, n. 1. & sequ. illud est, quod resultat ex decreto irritante appposito *in d. Regula referuatoria* (provt diximus supra cum pluribus, num. 2. & sequen.) sed tale decretum comprehendit tam referuationes generales, quam speciales, vt accuratè aduertit Gonzalez *ad regulam* 8. *gloss.* 67. vbi num. 29. quaerit, an decretum contentum *in d. Regula*, non solum inficiat titulum, sed etiam possessionem illorum, qui prouidentur de beneficiis vacantibus in mensibus referuatis ab aliis quam à Papa? & resoluit quod sic, taliter quod possessor nullatenus se iuuare possit aliquo remedio possessorio, etiam summarissimo manurentionis, in quo nullæ exceptiones admittuntur: quod adstruit auctoritate Cassadori *decis.* 1. *per totam, de restitutione spoliatorum*, Putei *decis.* 197. n. 3. libro 3. & Mandosij (cum multis) *in Regula* 1. *Cancellariae*, q. 3. *per totam.*

14 Pergit Gonzalez cum prædicta resolutione; & num. 36. ita ait: *Amplia tertio, siue referuatio esset generalis, siue specialis, &c.* quam conclusionem cum Mandosio *in proæm. Regul. Cancell. q. 2. num. 2. & in addit. ad allegat.* 127. *Lapi, sub lit. B. in fine*, sequuntur etiam Moneta *de commutation. vltim. voluntat. cap. 7. num. 239. vers.* Secundo procedit siue referuatio sit generalis, &c. & Barb. *in tract. de clausulis vsufrequent. claus.* 40. num. 22. Ergo siue referuatio sit generalis, siue specialis, extenditur ad vtraque in vim prædicti decreti apppositi *in d. Regula*, cum æqualiter inficiat titulum, & possessionem.

15 Huius resolutionis ratio desumi potest ex his, quæ insinuat Rota *in d. decis.* 3. aliàs 16. dum num. 3. ait: *Quod si notoriè constaret de decreto irritante, vt in cap. licet, de præbendis, in 6. Idem crederem de referuatione generali, ac de speciali, &c.* Ex qua doctrina ad nostrum intentum colligitur, quod Rota sentit idem quod Moneta, & cæteri supra allegati; ipse namque Gonzalez *vbi supra gloss.* 31. num. 7. postquam cum pluribus Rotæ decisionibus resoluit, quod referuatio Regulæ 8. *Cancellariae* non solum inficit, & annullat

annullat titulum, sed etiam possessionem, num. 8. ita concludit. Nam tunc decretum dicitur notorium, ex quo scilicet incontinenti probatur, & discolorat titulum, Puteus *decis.* 197. num. 2. lib. 3. Simoneta *de referuat. qu.* 40. &c. Ergo ex hac doctrina pariformiter infertur in præfenti, quod cum decretum sit appositum per Papam in ipsa Regula, ex eo notoriè constat de infractione possessionis, ac per consequens tanquam referuatio notoria afficiet non solum specialem, verum etiam generalem; & ex eo motiuo iuxta mentem ipsius Rotæ *in dict. decis.* 3. comprehensus erit vterque casus, maximè cum hodie omnes referuationes sint generales, ac per viam legis, & ex motu proprio factæ; & ex eo inficiunt possessionem eodem prorsus modo, sicuti si essent super certo corpore expresso; vt cum Lancellotto *de attent. p. 3. cap. 24. q. 9. num. 4. & 5.* docet Gonzalez *in d. gloss.* 67. num. 34. & 35.

17 Sequitur ergo, quod æqualis resolutio desumi debeat respectu generalis referuationis, ac desumitur de speciali, & concludendum, quod si intrusus in beneficio referuato, tam ex generali quam ex speciali referuatione fuerit spoliatus, & petat restitutionem, nullatenus audiri debeat, sed omnino veniat repellendus, vt patet ex omnibus hucusque dictis supra, in tota hac quaestione.

QVÆSTIO LIV.

Intrusus in beneficio, si lite pendente spoliatur, an sit restituendus.

S V M M A R I V M.

Subrogatio facta ab Ordinario lite pendente in beneficio, in locum vnus demortui, ex colligantibus, est nulla & inualida. numer. 1.

Lis super beneficio si coram Ordinario pendeat, & vnus ex colligantibus moriatur, non potest Ordinarius subrogare in locum demortui, & beneficium prouidere. numer. 2.

Spoliatus possessione, non seruato iuris ordine, restituendus est. *ibid.*

Spoliatus ab Ordinario in beneficio litigioso in locum demortui colligantis, an restituatur debeat? & videtur quod sic; n. 3. & 4.

Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 5. & sequent.

Possessor non vocatus, aut citatus, nec iuris or-

Tract. de Intrusione.

dine seruato, amoueri non debet à possessione, quamuis iniuste possideat. num. 3. & 4.

Intellige vt n. 11. & 12.

Collatio, & prouisio facta ab Ordinario de beneficio litigioso, nondum lite decisa, est irrita, & nulla. n. 4.

Subrogatio facta ab Ordinario in beneficio litigioso in locum demortui colligantis, est irrita & nulla. n. 4.

Possessio, etiam ex facto nullo, acquiri vel transferri potest. n. 4.

Intrusus possessor beneficij, qui lite pendente adeptus fuit possessionem, si ab ea spoliatus fuerit, restitui non debet. n. 5.

Possessio beneficij acquisita lite pendente, non est possessio, nec producit effectus vera possessionis. n. 5.

Decretum irritans, appositum in lege, vel Canone, inficit non solum ius, sed etiam possessionem. n. 6. 8. & 11.

Possessio beneficij contra dispositionem legis, vel Canonis, in quibus reperitur Decretum irritans, caret titulo, taliter quod si spoliatur, restitui non debeat. n. 6.

Decretum irritans appositum in aliqua iuris dispositione non debet esse minoris efficaciam, quam illud quod reperitur in dispositione hominis. n. 7.

Possessio beneficij litigiosi, tradita per Ordinarium lite pendente, nullo iuris adminiculo inuatur, ad effectum, vt si possessor spoliatur, restitui possit. n. 8.

Spoliatus possessione restitui debet, etiam si sit fur, vel prado, dummodo illa non sit attentata, quia in odium attentantis denegatur restitutio. n. 9.

Subrogatus ab Ordinario in locum demortui litigantis de beneficio, si spoliatus fuerit, restitui non debet, nec possessio quaesita ab alio colligante erit nulla, ex eo, quod talis subrogatus non fuit citatus. n. 10.

Intrusus lite pendente in beneficio litigioso, nullum ius in eo habet; & ideo si spoliatur, restitui non debet; quia notoriè constat de non suo iure. n. 10.

Iuste possidet, qui auctore Pratore possidet. num. 11.

Possessio in prophanis acquiri potest, etiam ex facto nullo; secus est in beneficialibus, in quibus vitiosus ingressus admitti non debet. n. 12.

Subrogatus ab Ordinario lite pendente in beneficio litigioso habet vitiosum ingressum, qui inficit possessionem ab ipso captam. n. 13.

Quod locum non habet; si subrogatio fuerit facta ab habente potestatem, quia tunc sine citatione non debet spoliari; & si fiat, restituendus est. n. 14.

- I** huius quaestio-
nis inuestigatio
clarior apparere
possit, supponamus
casum, ipsiusque
speciem in hunc
modum effingamus.
Petrus litigabat de
quodam beneficio,
contra Ioannem Reum,
qui in possessio-
re sententiam fauorabilem
reportauerat, sed lite
pendente mortuus fuit,
& statim Ordinarius
subrogauit Franciscum
in locum Ioannis demortui,
contra dispositionem
textus in cap. si hi
contra quos, vt lite
pendente, in 6. vbi
statuitur, quod si lis
super beneficio pendeat
coram Ordinario, &
vnus ex colligantibus
decedat non possit
ipse Ordinarius conferre
beneficium, vel subrogare
in locum defuncti; vt
cum pluribus tradunt
Flaminus Parisus de
resignationibus benef.
lib. 2. q. 3. à num. 105.
& Gonzalez ad regulam
8. glos. 6. num. 146.
eoque non obstante
virtute illius subrogationis
se intrusit in possessionem
ipsius beneficii, sed
Petrus non citato
Francisco subrogato
ab Ordinario, nec illo
audito, aut conuicto,
executoriales obrinuit,
quorum vigore cum
interuentione executoris
adeptus fuit possessionem,
spoliando Franciscum
ab illa quam reportauerat
virtute subrogationis,
ab Ordinario factæ;
ex quo ipse Franciscus
petebat statim restitui
ad possessionem, de qua
spoliatus reperiebatur,
maximè quia nulla ei
interposita fuerat
citatio, nec aliquis iuris
ordo seruatus, pro vt
de iure requiritur, iuxta
textum in cap. licet
Episcopus 28. de prae-
bendis, & dignitatibus
in 6. & iuxta ea, quæ
diximus supra, q. 51. n. 8.
& 10. & q. 52. n. 5. &
sequen.
- 3** Hæc hypothesis, seu
casus in eisdem ferè
terminis figuratus
reperitur per Rotam
decis. 17. alias 428.
quæ incipit, Nota,
numquid si mortuo Reo
&c. sub tit. de restitu-
tione spoliatorum in
antiquis; & ibidem
dubitatur, an talis
subrogatus ab Ordinario
lite pendente, in
beneficio litigioso,
qui spoliatus con-
quereretur, restitui
deberet? Et videbatur
dicendum locum esse
restitutioni, quia non
citato nec vocato
Francisco subrogato,
& Iuris ordine non
seruato, non potuit
ipse amoueri à sua
possessione, etiam si
iniuste possideret, vt
patet ex decisione
textus in d. cap. licet
Episcopus, verbo, te
non vocato, de prae-
ben. & dignit. in 6.
& facit quod diximus
supra, q. 52. n. 7. Ergo
&c.
- 4** Secundò quia licet
dispositio dicti Capituli,
si hi contra quos, vt
lite pendente in 6.
annulet collationem,
& prouisionem lite
pendente factam ab
Ordinario, de beneficio
litigioso, non tamen
inficit possessionem
adeptam, sed tantum
Collationem, aut
subrogationem in
locum demortui

colligantis. Quia cum
ipsa possessio ex facto
etiam nullo acquiri,
vel transferri possit,
iuxta text. in l. in bello
12. §. facti autem cause
ff. de captiuis, & post-
liminio reuersis, &
in l. 1. §. si vir, ff. de
acquirenda possessione,
sequitur quod talis
subrogatus ab Ordina-
rio, si lite pendente
spoliatus fuerit restitui
debeat, etiam si ex
facto nullo possessio
fuisse quaesita.

His tamen non
obstantibus, contraria
sententia est verior,
& tenenda, videlicet
talem intrusum
possessionem, subrogatum
ab Ordinario, qui lite
pendente possessionem
beneficij litigiosi adeptus
fuit, nullatenus esse
restituendum, si
spoliatus fuerit ab eo,
quia auctoritate
exequentoris, vel alterius
cuiuspiam facultatem
habentis immixtus
fuisse in possessionem.
Ratio est, quia illa
possessio adepta à tali
Intruso, non est
possessio, nec producit
effectus veræ possessionis.
Vnde cum in d. cap. si
hi contra quos, vt lite
pendente in 6. sit
appositum decretum
irritans, ibi: Quod si
secus actum fuerit,
eo ipso irritum
habeatur, &c. sequitur
quod inficit nedum
ius, sed etiam possessionem;
vt in terminis probat
Gonzalez ad regulam
8. glos. 67. & ultim. n. 37.
& late diximus supra,
in quaest. antecedenti,
num. 11. & sequen. &
consequenter talis
possessor omninò caret
aliquo titulo colorato,
virtute cuius ementita
ipsius possessio pro tali
habeatur, ad effectum
restitutionis, argumento
sumpto ex his quæ
diximus supra, in quaest.
antecedenti, de reseruatione,
quæ intrinsecè annexum
habet decretum inficiens
possessionem, & inhabilitans
detentorem, ne si
spoliatus fuerit restitui
possit, & pariformiter
in præfenti operatur,
cum decretum iuris,
contentum in dicto cap.
si hi contra quos, non
debeat esse minoris
efficaciæ & potentia,
quàm decretum hominis,
quod habetur in dicta
Regula reseruatoria,
argumento textus in
l. Celsus 23. §. idem
ait, ff. de receptis
arbitris, l. si libertus
16. ff. de iure patronatus.

Ex quibus colligitur,
quod non possidet
ille, cui talis possessio
est tradita, obstante
Decreto irritante (vt
dictum est) & ex
consequenti cessare
debet restitutio, si ab
ipso petatur.

Ex quo additio
secunda ad decis. 3.
alias 16. quæ incipit,
Si contra agentem:
sub titulo de restitu-
tione spoliatorum, in
nouis, tenet, possessionem
beneficij litigiosi,
traditam per Ordinarium,
aliquo iuris adminiculo
non iuari; ob decretum
appositum in dicto
cap. si hi contra quos,
& ideo cum non
possideat talis Intrusus,
nihil mirum, quod
et si spoliatur, restitutio
ei denegetur;

provt

provt pluriès declarauit
Rota, vt patet in
dictis decisionibus, 17.
alias 428. de restit.
spoliatorum, in antiquis,
& decis. 3. alias 16.
eodem titulo, in nouis,
& ex aliis relatis à
Lancellotto de attent.
p. 3. cap. 30. num. 123.
in duodecimo priuilegio,
pag. mihi 105. in
ultima impressione de
anno 1598. & in
antiquiori, num. 110.
vbi allegat Cassadorum
decis. 9. num. 3. &
sequen. de causa
possessionis, & proprietatis,
& decis. 3. in fine,
de restit. spoliator.
& in alia Feruista
Mansionaria 28.
Aprilis 1544. coram
Thom. de Thanis, &
habetur in recollectis
Putei decis. 25. quæ
incipit, Ille qui
attentando, sub tit. vt
lite pendente: &
copiosus idem
Lancellotus in d. 3.
p. cap. 31. sub tit. de
pænis attentat. in
sexta pæna, num. 195.
vbi in sequentibus
numeris, plures Rotæ
decisiones, & Doctores
ad intentum cumular,
eandemque sententiam
tuentur Franc. Hercul.
in eodem tract. de
attentatis, cap. 8.
num. 1. Sarnensis in
regula de annali, q. 41.
num. 2. Staphilaus de
litteris gratia &
iustitia, ad Clausulam,
Amoto exinde quolibet
illicito detentore, vers.
ex quo sequitur, pag.
mihi 98. in 2. colum.
in fine, & ita incon-
cussè obseruari in
Palatio testatur Rota
in d. decis. 17. alias
428. de restitutione
spoliatorum, in
antiquis.

9 Et licet Regula sit
ab omnibus admissa,
quod spoliatus, etiam
si sit fur, & prædo,
restitui debeat, (vt
diximus supra, q. 51.
nu. 8. & 10.) attamen
est adeo odiosum
attentatum, & iura
tantopere abhorrent
attentantes, vt in
pænam, & odium
ipsorum, denegent
talibus intrusis
restitutionem, vt non
solum de Iure Canonico,
sed etiam Ciuili
Digestorum, & Codicis
idem statutum
reperiatur, vt late
comprobat Lancellotus
in d. cap. 31. num. 6.
& in terminis
intrusi cum Cassadoto
decis. 3. in fine, de
restit. spoliator. &
decis. 9. num. 3. de
causa possess. &
proprietatis, idem
Lancel. ibidem num. 195.
Ex quibus concludendum
est, intrusum in
beneficio lite pendente
non esse restituendum,
si spoliatus fuerit.

10 Nec fundamenta
superius adducta
aliquid vrgent: Nam
ad Primum (de quo
supra, num. 3.) respondetur,
non esse necessariam
citationem, aut
aliam iudicalem
interpellationem,
quia cum talis
intrusus nullum
ius habeat, ex
dispositione textus
in d. cap. si hi
contra quos, præsumi
non debet, ipsum
possidere, sed
immò ipsum esse
exclusum à
possessione per
decretum irritans,
de quo notoriè
constat in d. cap. si
hi: quod sufficit,
vt pateat de non
suo iure, ex his
quæ diximus supra
in q. antecedenti,
nu. 14. & sequen. &
in præfenti multo
fortius; nam
subrogatio nullo
modo locum habere

Tract. de Intrusione.

poterat, nec
possessio ex ea
sequuta, obstante
eis decreto irritante,
ex quo cessabat
spolium; &
consequenter
restitutio locum
non habebat: &
exinde citatio,
& quilibet actus
iudicialis, (etiam
per edictum, &
ex vrbani-
tate,) non erat
necessarius, sed
immò superfluus.

Maxime cum ex
mandato Superioris,
scilicet exequentoris,
immixtio fuisset
facta, ex vulgari
Iuris Regula, quod
iuste possidet, qui
auctore Prætoris
possidet: l. iuste
possidet, ff. de
acquirenda
possessione, cum
aliis. Quapropter
si decretum dicti
cap. si hi contra
quos, inficiat
titulum &
possessionem (vt
dictum est) talis
citatio non erat
necessaria propter
notoriam scientiam
inualiditatis, &
nullitatis sui iuris;
quod sufficit, vt
spolium non
iudicetur commissum;
ex dictis supra in
q. antecedenti, n. 14.
& sequen. Attentata
enim cessant, si
constat de notorio
non iure agentis;
vt per Rotam in
meis recollectis
Peñæ, tom. 2.
decis. 141. n. 2.
vbi mea annot. lit. C.
alias allegat.

Nec similiter
obstat secundum,
de quo supra, n. 4.
Quia respondetur,
dictum cap. si hi
contra quos, annulare
collationem, &
prouisionem factam
ab Ordinario lite
pendente, de
beneficio litigioso;
quod quidem licet
expressè non loquatur
de possessione,
remanet ipsa
pariformiter infecta,
cum decretum
irritans sit
appositum in
prohibitione illius
textus (vt dictum
est) & exinde
sequitur, æqualiter
dictam prohibitionem
inficere possessionem,
sicut collationem,
& prouisionem;
Nec ex eo quod non
sit expressè
dispositio quoad
possessionem in
dicta Decretali,
censeri debet
excepta, cum ipsam
comprehendat
prædictum decretum,
& idem iudicium
faciendum est de
collatione, prouisione,
& possessione.

Et licet in profanis
possessio, etiam ex
facto nullo acquiri
possit, vt in d. l. 1. §. si
vir, de acquirenda
possessione, & in d. l.
in bello, §. facti, ff. de
captiuis, & postlimin.
reuers. At in
beneficialibus secus
est, quia in eis, vi-
tiosus ingressus
admitti non debet;
cap. ex frequentibus,
de institutionibus,
& in cap. vnico, vbi
Glossa, verbo vitiosus,
de eo qui mittitur
in possessionem, lib. 6.
& consequenter
talibus subrogatus
ab Ordinario lite
pendente vitiosum
ingressum habet,
qui inficit possessionem,
& hæc pro tali
nullatenus haberi
potest; vt patet ex
his quæ notantur
dicta decis. 17. in
fine, & Hercul. in
d. cap. 8. ad finem,
vbi ambo aduertunt,
proximè dicta
locum non habere,
si subrogatio
legitimè esset
facta ab habente
potestatem subrogandi,
veluti à Pontifice;
nam tunc talis
possessor citari
deberet, saltem per
edictum,

N 3

edictum, & in tali casu posset se opponere executioni, petendo ipsam reuocari, quia tunc non intrat dispositio dicti capituli, si hi contra quos, ut lite pendente in 6. nam tantum loquitur in Ordinariis subrogantibus, qui id efficere nequeunt, & consequenter decretum non inficit possessionem subrogatorum ab habentibus potestatem, & exinde decretum d. cap. si hi, non operatur, nisi intra terminos in quibus loquitur. Vnde concludendum est, intrusum in beneficio litigioso non esse restituendum, si lite pendente spoliatur.

QVÆSTIO LV.

An contra Tertium intrusum in beneficio lite pendente, detur remedium attentatorum.

S V M M A R I V M.

Remedium attentatorum non potest dari contra tertium intrusum in beneficio lite pendente. num. 1.

Sed contrarium est verius. n. 4. & seqq.

Via attentatorum non potest procedi contra tertium attentantem, vel innouantem, sed via ordinaria coram suo Iudice. n. 1.

Quod fallit in Tertio, qui se intrusit in beneficio. n. 5. & seqq.

Tertius non attentat, quia litis pendencia afficit litigantes, non vero Tertium. n. 2.

Fallit in tertio intruso lite pendente. numer. 7.

Appellatione pendente quod innouari non possit, intelligitur quoad litigantes, non vero quoad Tertium. n. 3.

Intruso in beneficio lite pendente reuocari potest via attentatorum, non vero ordinariâ coram suo Iudice. n. 4.

Attentata à Tertio intruso in re litigiosa, reuocari debent via attentatorum, & non ordinariâ. n. 5.

Executoriales obtentæ per superstitem colligantem de beneficio, possunt exequi absque

vicio attentatorum contra Tertium, qui lite pendente se intrusit in beneficio, etiam si ad instantiam ipsius esset commissæ causa iactationis contra illum superstitem, dummodo vigore talis commissionis non sit inhibitum. n. 6.

Via attentatorum procedi non potest contra Tertium, sed via ordinariâ coram suo Iudice; quod locum non habet in Tertio, qui se intrusit in beneficio, lite pendente. num. 7.

IN proposita quæstione videtur dicendum, quod contra Tertium intrusum in beneficio lite pendente procedi non possit remedio attentatorum, quia contra Tertium attentantem, vel innouantem, via attentatorum locum non habet, sed via ordinariâ coram suo Iudice, ut expressè deciditur in cap. Romana 3. §. in alium, de appellat. in 6. & probant Puteus decis. 74. lib. 2. & cum Afflictis decis. 354. n. 26. Mohedano decis. 205. & aliis tradit Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 1. quæst. 16. num. 44. vbi allegat plures Rotæ decisiones, idem declarantes: quibus iunge Lancelot. de attent. 2. par. 1. cap. 3. qui à num. 4. & sequent. latè disputat hunc articulum; & num. 5. rationem adducit, videlicet quia litis pendencia afficit litigantes, non verò Tertium: quod quidem roborat auctoritate plurimum Doctorum, & diuersarum decisionum. Hæcque conclusio ab omnibus ferè Doctoribus admittitur, ut per Rotam in meis recollectis Peñæ tom. 2. decis. 896. per totam, & decis. 1074. num. 5. & utrobique mea Annotatio alias allegat.

Et ex hac ratione infert Menoch. de recuperanda possess. remed. 17. num. 44. & 45. post Felinum in cap. super eo, n. 2. de officio delegati, & Angel. in l. per hanc, colum. 8. C. de tempor. appellat. quod ille titulus, Nihil nouari appellatione pendente, non comprehendit nec afficit Tertium, ex ratione proximè adducta, quod litis pendencia non influit, nec se extendit ad Tertium, sed ad litigantes tantum.

His tamen non obstantibus contrarium est verius, & tenendum, videlicet quod talis intrusio, via attentatorum sit reuocanda: ut suadetur ex decis. 9. Cassadori, de causa possess. & propriet. vbi n. 4. & 5. ita ait: Quin immo intrusio est via attentatorum reuocanda, &c. Idemque probant Bisignet. decis. 1. alias 20. incipiente, Nunquid Reo. sub tit. ut lite pendente Rota decis. 5. aliâ 432. quæ incipit, Nota nunquid Reo, & possidente, eodem tit. ut lite pendente, in antiquis; optimè Lancelotus de attent. à tertio, p. 1. cap. 3. n. 74. & sequent. in decima limitatione, cuius pulchra verba, quia sunt decisiva præsentis quæstionis transcribere libet, quæ ita se habent.

Decimè, regula principalis, quod contra Tertium nõ agitur via attentatorum, limitatur, ut non procedat in Tertio, qui lite pendente intruderet se in possessione rei, de qua litigatur: nam talis intrusio est via attentatorum reuocanda: & ideo executoriales obtentæ per superstitem colligantem

gantem possunt contra huiusmodi intrusum exequi, absque vitio attentatorum, non obstante, quod ad instantiam intrusi esset commissæ causa iactationis contra illum superstitem, dummodo vigore illius commissionis non sit inhibitum, ut fuit aliàs resolutum in vna Senogalien. Parochialis de Mondulfo coram D. meo Oradino 9. Iunij 1559. & in alia Tirafonen. decimarum coram eodem Oradino, 15. Martij 1563. nam regulariter intimatis sibi literis executorialibus, intrusi coguntur parere, ut fuit dictum in vna Florentina S. Pancratij coram Paleoro. 6. Iunij 1558. &c. Hæc Lancelotus, & ibidem, num. 78. & sequent. prosequitur, referendo varias ampliaciones ad proximè dictam limitationem.

7. Ex qua resultat responsum ad ea quæ ærulimus supra, à num. 1. vsque ad 4. licet enim verò regulariter sit verum, quod contra Tertium attentantem, vel innouantem via attentatorum procedi non possit, sed via ordinariâ coram suo Iudice: hæc tamen regula fallit in intruso in beneficio lite pendente, contra quem agi potest via attentatorum, ut docuit Lancelotus vbi proximè, & iuxta prædictam regulam generalem intelligendum est textus in d. cap. Romana, §. in alium, de appell. in 6. & Doctores supra allegati; ipsorum tamen doctrina est vera, sed limitatur & fallit in intruso; quod insinuare videtur Puteus in d. decis. 74. lib. 2.

Ex quibus concludendum est, Tertium intrusum in beneficio lite pendente, remedio attentatorum fore remouendum.

QVÆSTIO LVI.

Appellatio interposita per Intrusum, an faciat attentatum, si contra illam aliquid fiat.

S V M M A R I V M.

Attentata, & nulla dicuntur gesta, appellatione pendente, & ideo sunt reuocanda. n. 1.

Appellatione pendente, nihil est innouandum, & ideo si aliquid fiat, erit attentatum, & nullum. n. 1.

Appellatio si fuerit interposita ab intruso, & ea pendente aliquid fuerit innouatum, an debeat reuocari. n. 2. & sequent.

Appellatio si fuerit interposita per Intrusum, & ea pendente aliquid fuerit innouatum, non causat attentata. n. 3.

Intellige de notorio intruso. n. 4.

Intrusus non est possessor rei, in qua se intrusit,

& ideo contra ipsum non possunt causari attentata. n. 5.

Possessio Intrusi dicitur vitiosa, & attentata, & exinde non habetur in consideratione, quoad effectus resultantes ex illa ibid.

Index à quo, si relaxauerit brachium seculare pendente appellatione per Intrusum interposita, à sententia in fauorem superstitis agentis contra interesse putantes habere, per audientiam contradictarum lata, non dicitur attentatum. n. 6.

Intrusus notorius priuatur facultate appellandi à sententia contra ipsum lata. n. 7.

REGULA est certa, & apud omnes Doctores admittitur, quod gesta appellatione pendente sunt nulla, & attentata, & exinde reuocanda: quapropter omnia iura clamant, quod appellatione pendente nihil debeat innouari, ut patet ex Rubrica, & toto titulo, nihil nouari, lite pendente, in Codice, Decretalibus, & Sexto Decret. quæ regula communis est vtriusque iuris, ut testatur Viuius communium opinionum lib. 2. opinione 30. quæ incipit, Attentata, in principio, quæ cum aliis refert Lancelotus de attent. p. 2. cap. 12. ex num. 83. & sequent. in secunda impres. additionata de anno 1598. & in prima, num. 78. eisque allegatis idem reperitur in tom. 4. Syntagmatis communium opinionum, siue receptarum vtriusque Iuris sententiarum, sub titulo de Iudiciis, loco 11. cap. 20. pag. mibi 102.

Hancque regulam esse vulgatam, affirmat Lancelotus vbi proximè, in dicto nu. 86. ex Mynsingero, alias referente cons. 8. prima decadis, & pluries ita declarauit Rota, ut patet in meis recollectis Peñæ tom. 1. decis. 169. num. 2. & decis. 405. num. 6. & ex Coccino decis. 252. num. 2. & decis. 315. n. 1. Mantica decis. 345. Et ex aliis pluribus. Quæ quidem regula generalis concorditer ab omnibus Doctoribus admittitur, & secundum eam prima facie in proposita quæstione dicendum videbatur, quod si aliquid fuerit innouatum pendente appellatione ab intruso interposita, inducat tale attentatum, quod veniat reuocandum.

Et licet dubitari non debeat, prædictam regulam generalem de plano procedere, provt diximus supra, admittere tamen exceptionem, & fallentiam, limitandamque esse fatendum est, ut non procedat, nec locum habeat in appellatione interposita per Intrusum, quæ nullatenus causat attentata: vt cordatè aduertit Lancelotus de attentatis appellatione pendente. secunda part. cap. 12. limit. 51. pag. mibi 299. in secunda

impresione, & eius sententiam corroborat auctoritate Rotæ in *una Senogalien. Parochialis de Gandulpho coram D. Oradino 11. Martij 1558.*

4 Quam limitationem intelligerem in eo Intruso, qui notoriè talis esset: nam si aliàs de intrusione non constaret, sed pro legitimo possessore reputatus reperiretur, in tali casu regula generalis supradicta locum haberet, & attentata caufarentur, per ea quæ diximus *supra, quest. 27. & 29.* & ita meo paruo videri declarandus est Lancellotus.

5 Qui quamvis *ibidem* rationem limitationis non adducat, potest deduci ex eo, quia cum notorius intrusus non sit possessor, exinde contra ipsum attentata considerari non possunt, ex his quæ diximus *suprà, q. 53. à n. 3. & sequen.* & ex traditis à Lancelloto in *d. 2. p. cap. 12. ampliatione 14. n. 20 & sequen.* vbi probat, quod possessio intrusi dicitur vitiosa & attentata; nec habetur in consideratione quoad effectus iuris ex illa resultantes.

6 Ex dicta limitatione infert idem Lancellotus *ibidem n. 2. & sequen.* quod si mortuo colligante, superstes continuauerit causam contra sua interesse putantes, & per contradictas sententiam fauorabilem consequutus fuerit, à qua Intrusus appellationem interposuerit, & ea pendente iudex à quo nominatim contra talem Intrusum relaxauerit Brachium seculare, non erit attentata illa relaxatio propter rationem supradictam, & exinde potest sine vitio attentatorum executioni demandari, cum talis intrusus priuatur facultate appellandi propter ipsam intrusionem, vt ex *decisione Crescentij 237.* resoluit idem Lancellotus in *d. 2. p. cap. 12. ampliatione 14. n. 23. in fine, & n. 24.* & dicemus *infra in q. sequenti n. 7. & 8.* & apud ipsum Lancellot. in *locis supra allegatis*, videre poteris aliquas alias limitationes, conducentes ad articulum specialem propositæ quæstionis.

Ex quibus concludendum est, appellationem interpositam per Intrusum notorium, si contra eam aliquid fiat, non causare attentata, quia regula generalis fallit in Intruso, propter odium intrusionis.

* * *

QVÆSTIO LVII.

An Intrusus possit petere reuocationem attentatorum.

S V M M A R I V M.

Intrusus potest petere reuocationem attentatorum. n. 1. & sequen.

Sed contrarium est verius. n. 6. & seqq.

Attentatorum reuocationem potest petere, qui passus fuit attentata, vel qui pretendit aliquid contra ipsum esse attentatum. n. 1.

Audiendus est, qui pro suo interesse venit ad causam. n. 1.

Appellatio si fuerit interposita per eum, contra quem opponitur exceptio incapacitatis, vel inhabilitatis in electione, audiendus est. num. 2.

Attentatorum reuocationem si petat, qui non habet ius, vel interesse, audiri non debet. n. 3. & 4.

Subrogatus in locum alterius, eodem iure vti potest, quo utebatur ille, in cuius locum facta fuit subrogatio. n. 4.

Reuocationem attentatorum potest petere quicumque habens interesse. n. 5.

Intrusus nullatenus potest petere reuocationem attentatorum. n. 6. & sequen.

Intrusus appellans ab iniuriam executionarium, non potest petere vt reuocetur executio interim facta, tanquam attentata. num. 7.

Intrusus est adeo odiosus, vt non solum repellatur ab agendo super fructibus, & rebus Ecclesie, sed etiam prohibeatur dare obiecta contra petitorem. n. 8.

Intrusus est iniustus possessor, & ideo in eo tanquam carente possessione, non consideratur spoliium, cum nunquam verè possederit. num. 8.

R O S E Intrusum petere reuocationem attentatorum suadet ex eo, quia regulariter omnis qui passus fuit attentata, & quicumque pretendens aliquid contra se fuisse attentatum, nullatenus priuari potest, ne pro suo interesse reuocationem attentatorum petere valeat, ex illa regula generali, quæ docet, quemlibet pro suo interesse audiendum fore, iuxta textum in *cap. cum inter Canonicos 21. de electione*, ex quo colligitur, quod licet exceptio inhabilitatis, & incapacitatis contra aliquem sit opposita, si ab illa appellationem interposuerit, audiendus est; ergo similiter Intrusus petens

petens reuocationem attentatorum, non debet remoueri à tali petitione.

3 Secundo, quia in materia attentatorum conuenienti communitur Doctores: quod ideo is, de cuius notorio non iure constat, non auditur quoad reuocationem attentatorum, quia cum clarè pateat suum non ius, exinde excluditur, ne petere possit reuocationem attentatorum, quia caret interesse requisito à iure, vt audiri valeat: iuxta tradita per *Ægidium decis. 356.* quæ incipit, *Ille de cuius non iure, &c.* quam rationem admittit Rota in *novis, decis. 10. aliàs 411.* quæ incipit, *Si lite pendente in Curia Romana, sub titulo, vt lite pendente,* vbi num. 4. ita ait: *Nam qui in locum alterius subrogatur, eodem iure vti potest, & debet; vt lite pendente, cap. Ecclesia S. Maria: cum similibus, & successor eodem iure, quo predecessor; de solut. cap. 1. Et per hoc videtur responsum ad secundum, videlicet, quod iste subrogatus possit ante omnia petere reuocari huiusmodi attentata: de quo tamen multi Domini dubitabant, quia contra hunc nihil fuit attentatum; ergo non videbatur audiendus, tanquam ille, cuius non interesset, &c.* Ex cuius Rotæ resolutione patet, quod si aliquid interesse haberet, posset audiri, sed cum talis intrusus aliquid habeat interesse, videtur exinde dicendum, audiendum fore, ad effectum, vt petere valeat reuocationem attentatorum. Quam regulam generalem, videlicet omnem habentem interesse, & illum qui passus fuit attentata, posse petere illorum reuocationem, latè docet Lancellotus *de attentatis, 3. p. cap. 22. à num. 3.*

6 Sed licet prædicta regula, ita generaliter tradita, verissima sit, & apud omnes Doctores admittitur; fallit tamen in Intruso, & ita concludendum est, ipsum nullatenus posse petere reuocationem attentatorum, vt in terminis resoluit Lancellotus in *d. 3. p. cap. 22. num. 59. in secunda impressione additionata. & in prima num. 54.* cuius verba, quia sunt decisiva, referam; qui postquam dictam Regulam generalem docuit, ita ait:

7 Nono, fallit in intruso, is enim si ab iniuriam executionarium sibi facta, appellauerit, & post dictam appellationem, vigore executionarium fuerit spoliatus, non poterit executionem, quasi appellatione pendente attentatam, petere reuocari, ex eo quia eius appellatio non retardat executionem, & quia executionales capiunt intrusum; & eius possessio tanquam vitiosa non habetur in consideratione; vt est in *recollet. Crescentij decis. 216. Intrusus, sub*

Rubrica, de re iudicata, de quo aliquid etiam diximus supra, in 2. p. cap. 12. de attent. appellatione pendente, in 14. ampliatione principali, num. 20. vers. quinto limita nisi iste tertius, &c. Hæc Lancellotus: qui etiam *p. 1. cap. 3. sub tit. de attent. à Tertio in decima limit. num. 76. & sequen.* præcipuè *n. 80.* confirmat eandem doctrinam: & conducent quæ diximus *suprà, quest. 55. num. 5. & 6. & quest. antecedenti, n. 6.* & quæ dicemus *infra quest. 68. in fine.*

Huius resolutionis ratio desumi potest ex alia doctrina ipsius Lancelloti *vbi proximè, in d. cap. 3.* qui *num. 79.* probat quod Intrusus est adeo odiosus, vt non solum repellatur ab agendo super fructibus, & rebus Ecclesie, sed etiam prohibeatur dare obiectus contra petitorem, vt dicemus *infra q. 65. n. 17. & sequen.* nam cum sit fur, & prædo, iniustusque possessor, exinde non censetur spoliatus possessione, quam nunquam habuit, ex his quæ diximus *suprà, quest. 53. num. 3. & in quest. antecedenti n. 5. & 6.*

Quapropter concludendum est, intrusum notorium non posse petere reuocationem attentatorum.

Nec obstant, aut contradicunt, quæ diximus *supra, in initio, à n. 1. vsque ad 6.* Nam vnico verbo respondetur, regulam illam generalem esse veram, prout *ibidem* diximus; sed in Intruso fallentiam habere, ex rationibus proximè adductis, à *n. 6. & sequen.* & ita non potest argui de vno casu ad alium.

QVÆSTIO LVIII.

An si Intrusus restituatur, qui tamen de iure statim reiciendus est, possit vti fructibus beneficij.

S V M M A R I V M.

Intrusus in beneficio, à quo de iure statim reiciendus est, non potest vti fructibus beneficij, sed eos restituere tenetur, etiam si sit illorum possessor. n. 1.

Intrusus, cum non habeat canonicum ingressum, tenetur restituere fructus, quos percepit, tanquam possessor male fidei. n. 2. & 3.

Intrusus licet non sit deiectus, sed veniat deiciendus, tenetur restituere fructus rei, in qua se intrusit. n. 3. & 4.

Factum non dicitur, quod statim dissoluitur, & non durat. n. 3.

Natus

Natus non videtur, qui statim moritur. numer. 3.

Veniens ad aliquem locum, à quo statim est recessurus, non potest ibidem conueniri. numer. 4.

Possessor mala fidei, an sit obligatus restituere fructus, antequam Iudex liquidauerit quantitatem ipsorum. n. 5.

Intrusus bona fidei non tenetur restituere fructus consumptos, secus autem si malam fidem habuerit. n. 6. & seqq.

Possessor bona fidei sine titulo legitimo suos facit fructus industriales; secus autem qui sine titulo possidet, nam tenebitur omnes restituere. n. 7. & 8.

Possessor mala fidei sine titulo, & cum titulo quis dicatur. n. 8. & 10.

Possessor mala fidei cum titulo tenetur restituere omnes fructus perceptos, & percipiendos, tam naturales, quam industriales, deductis expensis; at si sine titulo possideat, non deducet expensas. n. 9.

Intrusus in omnem euentum tenetur restituere fructus naturales & industriales, tam perceptos quam percipiendos, deductis tamen expensis si aliquem titulum habuit; si vero non sit ipso munitus, etiam est condemnandus, ut illas restituat. n. 10.

Intrusus semper est iudicandus possessor mala fidei; & ideo licet restituatur propter spoliolum non potest vti fructibus. n. 11.

MANC questionem mouet Glosa in cap. cum super electione 4. verbo, restituendum, vers. sed numquid ille, sub tit. de causa possessionis & proprietatis, vbi resoluit, quod ille intrusus, qui de iure est reiiciendus, non potest vti fructibus, etiam si sit possessor; sed immo si aliquos perceperit, tenebitur ipsos restituere.

2 Et rationem reddit ex eo, quia cum Canonicum ingressum non habeat, sequitur exinde quod tanquam possessor mala fidei sit adstrictus ad fructuum perceptorum restitutionem. Quod probat Glosa argum. textus in cap. dilecti, de probat. & in cap. dilectus, in fine, de iure patronatus, & expressius in cap. gravis 11. de restit. spoliator. Ex quo colligitur, quod Intrusus tenetur restituere fructus rei, in qua se intrusit, vt diximus etiam supra, quaest. 43. num. 5. & 7. de quo articulo late agemus infra, in quaest. sequenti.

3 Et quamuis ad terminos praesentis quaestionis, talis intrusus non sit deiectus, sed statim de iure veniat deiciendus; eo tamen non obstante dicendum est teneri ad restitutionem fructuum: quae resolutio variis rationibus roborari potest: Prima erit,

sumpto argumento ex eo, quia natus non videtur, qui statim moritur, cap. nam & ego, 3. de verb. significat. Secunda, quia factum non dicitur, quod statim dissoluitur, & non durat; & non factum reputatur, quod caret effectu: l. si pro parte, §. versum, ff. de in rem verso, optime noster Aragonensis Portoles in tract. de consortibus, & fideicommissio legali, cap. 1. num. 25. late Gratian. tom. 1. discept. forens. cap. 132. à num. 25. cum pluribus seqq. & alios plures allegans Barb. in tract. axiomat. vsus frequen. axiom. 93. n. 14.

4 Tum & etiam, quia veniens ad aliquem locum, statim ab eo recessurus, non potest ibidem conueniri, l. Haeres absens 19. §. proinde, vers. nunquid dicimus, ff. de iudiciis, l. vnica, C. de Nundinis. vbi Barb. in eius collectanea, num. 3. alios refert idem tenentes: ergo ex his motiuis sequitur, quod cum talis intrusus, de iure statim veniat deiciendus, quamuis actu non sit deiectus, idem operabitur, ad effectum, ne possit pro se retinere fructus rei, in qua se intrusit, sed tenebitur eos restituere: & ita hanc conclusionem defendunt Ioannes Andreas, & Archid. in d. cap. cum super, ad dictam glossam, n. 4. & Cardin. Alex. in cap. Dem ergo, in §. sed obicitur, 3. q. 1. n. 5.

5 Et ita colligitur fuisse declaratum per Rotam decis. 4. alias 24. quae incipit, Fuit dubitatum vtrum detentor sub tit. de restit. spoliatorum, in nouis, num. 1. & 2. vbi quaeritur, an sit necessarium, quod quantitas liquidetur, antequam per sententiam detentor beneficij de facto, condemnari debeat in fructibus perceptis: Et quamuis num. 2. inclinaret, non indigere liquidatione; in fine tamen concludit, tutius esse, si fieri potest, quod tam de tempore, quam de valore se Iudex informet, vt sic ferre valeat claram & certam sententiam; quamuis alias sufficiat, quod in genere fiat, ad hoc vt talis intrusus teneatur restituere fructus: de quo videndus est Panormitanus in d. cap. cum super, num. 7. vers. ad primum respondendum.

6 Aduertendum tamen est in praesenti, quaestione, quod vtendum est distinctione; nam diuersum iudicium formandum est in eo Intruso, qui aliqualiter bonam fidem habuit, ab eo qui certo scit statim se fore deiciendum: nam in primo casu non tenebitur restituere fructus consumptos bona fide, sicut in secundo; iuxta tradita in cap. grauis, de restitutione spoliatorum, de quo late agunt Sanchez in praecepta Decalogi, lib. 2. cap. 23. à num. 66. cum sequen. Rebellus de obligationibus instit. p. 1. lib. 2. q. 4. num. 8. & p. 2. lib. 7. q. 3. num. 6. & alij penes ipsos:

Quam

Quam quidem distinctionem intellige iuxta statim dicenda.

7 Ratio autem dictae distinctionis ea est, quia datur possessor bonae fidei sine titulo legitimo, qui suos facit fructus industriales: secus autem si sine titulo possideat, quia tunc omnes restituere tenetur, vt cum Couarruua & aliis docet Spino in speculo testamentorum glos. 13. principali, à num. 49. cum pluribus sequen. Vbi varia iura allegat idem probantia: Et num. 54. disputat, quis sit possessor mala fidei cum titulo, & sine eo; & ibidem resoluit, bonae fidei possessorem sine titulo esse illum, qui existimat ad se pertinere rem, quem possidet, quia eam emit, vel alia ratione in suo posse remanet, cum verè talis causa legitima non sit iuxta textum in §. si quis à non Domino, Institut. de rerum diuisione; Possessorem autem bonae fidei illum iudicari qui munitus remanet titulo legitimo, & omnibus manifesto, licet alias aliquos defectus occultos patiat, inter quos longa datur differentia: nam in primo casu solum suos facit fructus, qui industriales fuerint; in secundo verò, non solum eos, sed etiam naturales lucratur, vt late ibidem docet Spino. Et quamuis Innocent. & Bald. in cap. per tuas, de testibus, quos refert & sequitur Pinellus in l. 1. num. 56. C. de reuocandis donationibus, doceant, non esse admissibile, dari possessorem bonae fidei sine titulo: at tamen late explicat Spino vbi proxime, num. 50. & sequen. posse defendi, dari possessorem bonae fidei sine titulo: & num. 54. resoluit, teneri restituere omnes fructus perceptos, & percipiendos, tam naturales quam industriales: quod quidem cum Couarru. & aliis latissime tradit Ioannes Garcia de expensis & melioramentis, cap. 23. à num. 42. cum pluribus sequen. vbi late agit de hoc articulo, & nos in quaestione sequenti copiosè disputabimus.

10 Vnde dicendum est, in omnem euentum talem Intrusum non posse vti fructibus beneficij; ex his quae congerit Spino in d. glos. 13. vbi num. 54. ita ait: In mala fidei possessore illa est verissima resolutio; aut est mala fidei possessor cum titulo, aut sine titulo; cum titulo ille dicitur, qui emit fundum, vel hereditatem ab eo, quem sciebat suam non esse; neque ad eum pertinere: Mala fidei possessor sine titulo est, qui rem furatus est, vel alia forma à iure reprobata rem possidet. Primo casu mala fidei possessor cum titulo tenetur restituere omnes fructus perceptos, & percipiendos, tam naturales, quam industriales, exstantes, & consumptos, deductis expensis necessariis: Mala fidei autem possessor sine titulo om-

nes pari ratione restituere tenetur, nullis deductis expensis; vt tenent supra relati Doctores. Hæc Spino.

Ex quibus dicendum est, quod talis Intrusus nullatenus poterit vti fructibus rei, vel beneficij in quo se intrusit: nam quomodocumque consideretur, semper est mala fidei possessor cum titulo, vel sine eo, & quidquid sit de tali distinctione, semper est verum dicere, intrusum esse mala fidei possessorem, cum habeat vitiosum ingressum, & sit fur, & prædo (vt multoties dictum est) quod sufficit, ne vti possit fructibus, & latius patebit ex infra dicendis in quaestione sequenti.

QVÆSTIO LIX.

An Intrusus teneatur restituere fructus rei, in qua se intrusit.

SVMMARIVM.

Intrusus in beneficio, vel officio, tenetur restituere omnes fructus per eum perceptos. numer. 2.

Intrusus tenetur restituere fructus, & distributiones perceptas, quae Capitulo accrescunt. numer. 3. & 8. cum seqq.

Intrusus in beneficio non habet titulum canonicum, & ideo tenetur restituere omnes fructus per eum perceptos. n. 4.

Quod extendit tam ad Intrusum, qui ab initio nullum titulum habuit, quam ad illum, qui titulum, sed non canonicum habebat. numer. 5.

Intrusio datur propter varias causas superuenientes, si ex eis priuatio indicatur propter delictum, & eo non obstante in possessione perseverat. n. 6.

Delinquens si priuetur beneficio, & eo non obstante existat in possessione, tenetur in utroque foro restituere omnes fructus, quos percepit. n. 6. & 7.

Distributiones quotidiana beneficiorum non sunt computandae in valorem fructuum. numer. 8.

Quod fallit in intruso, qui in ipsorum restitutione tenetur soluere etiam distributiones. numer. 9.

Appellatione fructuum non veniunt distributiones quotidiana, quoad expressionem valoris beneficij. n. 10.

Intrusus condemnari debet, vt restituat fructus, quos percepit, vel percipere potuit, in quibus comprehenduntur etiam distributiones quotidiana. n. 11.

Quod

Quod à fortiori extende ad Intrusum execrabilem. n. 12.

Intrusus execrabilis, & qui violenter se ingessit, grauioribus pœnis plectendus est, quàm ille qui sine vi se intrusit. n. 12.

Quod extende ad eum, qui lite pendente possessionem arripuit. n. 13. & 28.

Attentans offendit ius, iudicem, & partem; & ideo restituere debet non solum fructus perceptos, sed etiam damna, & interesse, ac expensas. n. 13. & 14.

Intrusus in beneficio reseruato tenetur restituere fructus, damna, & interesse, ac expensas.

Quod extende ad ipsius heredes. ibid.

Intrusus in beneficio debet deducere expensas necessarias in restitutione fructuum, ad quam fuit condemnatus. n. 16.

Fructuum restitutio fieri debet deductis expensis necessarijs, quas deducere potest, non solum bonæ fidei possessor, sed etiam prædo. num. 16.

Quod procedit tam in foro exteriori, quàm conscientia. n. 17.

Intrusus in beneficio tenetur restituere fructus, distributiones, damna, & interesse, deductis solis necessarijs expensis, sicut excommunicatus, dum in excommunicatione perseuerat. n. 18.

Possessor bonæ fidei, etiam si sit intrusus, tenetur restituere fructus naturales, & industriales extantes, non verò consumptos. num. 19.

Error communis causat bonam fidem in intruso, ut non cogatur restituere fructus perceptos, sed solum extantes; & non sufficit ad eum effectum error singularis, iuxta veriorum sententiam. n. 20. & 21.

Intrusus bonæ fidei non tenetur restituere fructus perceptos, & consumptos ante litis contestationem, sed quos percepit lite contestata ex legitimis documentis: si verò sit male fidei possessor, tenebitur restituere omnes, tam ante litem, quàm post litem contestatam. n. 22. & 23.

Intrusus bonæ fidei efficitur male fidei possessor à die litis contestata, & ideo ex illo tempore tenebitur fructus restituere. n. 23.

Intellige de contestatione, qua ex legitimis, & iudicis documentis proponitur. n. 24.

Mala fides in possessione consideratur ab eo momento, quo scit, rem ad se non pertinere. num. 24.

Litis contestatio in facto consistit, non verò in iure. ibid.

Litis contestatio sola non inducit malam fidem in possidente si aliunde non constat de ipsius non bono iure. n. 25.

Intrusus tenetur restituere fructus perceptos, & percipiendos, damna, & interesse, à die

quo ei constat de intrusione, siue ante, siue post litis contestationem. n. 26. & 27.

Intrusus in beneficio tenetur restituere D. Papæ fructus perceptos durante intrusione. numer. 29.

Papa de iure habet generalem administrationem omnium bonorum, & fructuum beneficiorum. ibid.

Intrusus in beneficio potest conuerti in utilitatem Ecclesiæ, fructus per eum perceptos durante intrusione, dummodo non reperitur alius, cui de iure adiudicari debeant. num. 30.

Excommunicatus potest conuerti in utilitatem Ecclesiæ fructus perceptos ex beneficio, durante excommunicatione: cum quo satisfacit. ibid.

Intrusus satis facit, si restituat immediato successori legitimo fructus, male per eum perceptos. num. 31.

Remedia quæ Intrusus habere potest pro restituendis fructibus male perceptis durante intrusione, sunt tria, videlicet, componere de illis cum Camera Apostolica, vel illos conuerti in utilitatem Ecclesiæ, seu beneficij, aut ipsos tradere successori. num. 32.

Intrusus si à Sede Apostolica consequatur confirmationem tituli, vel nonam concessionem, narratis narrandis, non tenetur ad restitutionem fructuum in utroque foro. n. 33.

IN hac quæstione de fructuum restitutione, ut omnis materia breuiter comprehendatur, ad quatuor articulos ipsa reducenda est, quos conuise referemus. Primus erit, an Intrusus teneatur restituere fructus: Secundus, dato quod ipsos restituere debeat, qui fructus veniant in restitutione: Tertius, à quo tempore debeat Iudex illum condemnare ad restitutionem: Quartus & vltimus, cui, vel quibus sunt restituendi, & applicandi tales fructus.

Quoad primum, indistinctè dicendum est, Intrusum teneri ad fructuum restitutionem, ut expressè deciditur in cap. grauis 11. de restitutione spoliatorum, & in cap. bonæ 51. in fine, de appellationibus, & in cap. dilecto 25. §. vnde dictum Cellerarium, de præben. Quam conclusionem admittunt Hostiensis in cap. cum dilectus, sub num. 11. verbo, cum fructibus, & ibidem Ioan. Andr. & Henric. num. 13. de iure patronatus, & tradunt communiter Doctores, & patet ex his quæ diximus supra, in q. antecedenti, quibus iunge Nauarrum cons. 7. in prima impressione, & in secunda de anno 1594. Lugduni, cons. 24. quod incipit, An si alter ex colligantibus: sub titulo de sententia excommunicationis, num. 2.

num. 2. & tenuit Rota decis. 4. alias 24. & decis. 5. alias 25. tit. de restitutione spoliatorum, in nouis. Et postea in vna Mediolanen. Præpositura 18. Decembris 1626. coram Duran. & habetur in eius impressis decis. 55. vbi num. 13. ita ait: Et demum, si ex prædicto, & alijs gratia probetur subreptitia, & sic Hubertus fructus, & distributiones sine titulo percepti, tenebitur ad restitutionem, & accrescent Capitularibus, ut dixit Rota in Carthagenen. fructuum 1610. coram Cardinali Lancelloto, &c.

4 Vnde cum Intrusus non habeat titulum Canonicum, nunquam potuit facere fructus suos, sed immo eos restituere tenebitur, iuxta textum in cap. 1. de regul. iur. in 6. Gratian. tom. 1. discep. forens. cap. 397. n. 69. & cap. 734. num. 9. & alij plures.

5 Quæ conclusio locum habet æqualiter in Intruso, qui ab initio nullum titulum de iure, vel facto habuit, sicut & etiam in illo, qui ipsum fuit adeptus, sed non canonicum: v. g. ex eo, quia actu inciderat in irregularitatem, excommunicationem, suspensionem, vel aliunde habebat aliquod Canonicum impedimentum, propter quod inhabilis reddebatur, ne ei fieri posset collatio; licet aliàs, eo secluso, habilis existeret, tunc enim tenebitur fructus restituere.

6 Sicut & etiam ille, qui quamuis ab initio titulo Canonicum erat fretus, postmodum verò ipsum amisit ob aliquid crimen superueniens, veluti quia in hæresim incidit, vel quia ad preces alicuius hæretici beneficium Ecclesiasticum adeptus est, cap. 2. §. ad hæc, de hæreticis in 6. & cum Gonzalez. ad regul. 8. glof. 15. num. 68. & Azor. par. 1. instit. moral. lib. 8. c. 13. q. 8. vers. Oportet aua pœna, tradit Barb. in past. p. 3. allegat. 57. num. 230. Vel quia non fuit promotus intra annum ob eius negligentiam, cum ad id adstrictus esset, iuxta text. in cap. licet Canon. 14. & cap. commissu 35. de elect. in 6. & docent Gonzalez in d. glof. 15. num. 57. Azor. p. 2. lib. 7. cap. 15. q. 11. Nauar. in manuali, cap. 25. num. 117. & in tract. de horis canonicis, cap. 22. num. 46. quem refert & sequitur Salcedo in additionibus ad Bernardum, cap. 53. litera A. vbi subdit; quod talis non promotus tenetur in anima iudicio restituere omnes fructus, quos elapso anno percepit, &c.

7 Sicut & etiam si habeat alia impedimenta, ex quibus talis Intrusus ipso iure sit priuatus beneficio; quæ quidem impedimenta referunt Azor. in d. lib. 7. cap. 16. & Barbof. plura cumulans in d. allegat. 57. à num. 199. cum pluribus sequens. tunc enim ipse tenetur restituere fructus, ut accuratè docuit Nauarrus in tract. de spolijs Clericorum, §. 12. Tract. de Intrusione.

num. 4. vbi in fine concludit, æqua lance procedere in utroque foro.

Dubium autem non contemnendum in hoc articulo iudico; an in tali restitutione veniant etiam distributiones quotidianæ; cum enim istæ in valorem fructuum computandæ non veniant, vt per Rotam in nouis decis. 8. alias 134. quæ incipit, Quando impetratur certum beneficium, &c. sub tit. de præbendis, & cum Oldrado cons. 118. & Felino in cap. ad aures, in 13. Conclus. de rescrip. tradit Cassador. decis. 6. de præben. num. 6. Azor. p. 2. instit. moral. in d. lib. 7. cap. 7. q. 2. Moneta de distrib. quotid. p. 1. q. 6. latissimè Gonzal. ad regul. 8. §. 7. præmij à num. 154. cum pluribus sequens & alij relati per Barb. in tract. de appellat. verborum iuris significat. appellat. 103. in verbo, Fructus, à num. 11. vbi plura ad intentum cumulat, videtur dicendum non venire in fructuum restitutione.

9 Contrarium tamen asserendum est in Intruso, videlicet ipsum ad restitutionem quotidianarum distributionum teneri, vt pluries per Rotam fuit declaratum teste Mohedano decis. 109. quæ incipit, Capitulum Ecclesiæ, & in alia coram Bartholomæo de Petra Sancta, & in Burgen. coram Simoneta, vt refert Cassadorus in d. decis. 6. de præbendis, num. 2. & 3. & nouissimè in d. Mediolanen. Præpositura, coram Duran. relata supra, n. 3. & ita fuisse de stylo, & practica Rotæ refert Mohedanus, vbi proximè. Quapropter dicendum est, Intrusum teneri restituere etiam distributiones quotidianas.

Nec obstat, quod appellatione fructuum, 10 non veniant distributiones: Quia id procedit quoad expressionem valoris, vt patet ex d. decis. 8. alias 134. de præbendis in nouis, & ex Cassadoro, Oldrado, & Felino vbi supra.

11 Vel secundo dic; quod cum talis intrusus condemnari debeat in fructibus, quos percepit, vel percipere potuit, exinde sequitur, comprehensas esse distributiones quotidianas, vt optimè aduertunt Gonzalez in d. §. 7. num. 160. & Moneta in d. q. 6. num. 12. Quod procedit propter odium resultans ex iuris dispositione contra delictum intrusionis.

12 Quæ quidem à fortiori locum habent in Intruso execrabili, iuxta textum in dicto cap. grauis 11. de restit. spoliat. vbi communiter Doctores; Ille namque cum sit improbius, & odiosior eo, qui sine vi se intrudit; sequitur quod grauioribus pœnis multandus veniat, vt notat Millis in repertorio, verbo, Intrusus, vers. intrusus non dicitur, qui vi occupat beneficium, &c.

13 Idemque dicendum est de eo, qui lite pendente

pendente se intrusit in beneficio, vt late docet Lancellotus de attentat. p. 3. cap. 31. de pœnis attentatorum, in 3. pœna, num. 2. ex ea ratione, quia talis intrusus se lite pendente intrudendo grauitur offendit ius, iudicem, & partem: cap. 1. §. fin. in fine, de appellat. in 6. & tradunt Ludouisius decis. 465. num. 3. Mantica decis. 31. num. 3. Peña in meis re-collectis, tom. 2. decis. 1173. num. 4. & decis. 1324. num. 6.

14 Et ex ea causa iustissime talis Intrusus condemnari debet ad fructuum restitutionem, & insimul ad damna, & interesse, ac etiam ad expensas, vt latissime docet Lancellotus in d. 3. p. cap. 31. in 4. pœna à n. 106. cum pluribus sequent in additionis; præsertim si lite pendente, vel per vim intrusio fuerit exequuta, l. si quando 9. C. vnde vi, cap. super eo, vbi communiter Doctores, de iis qua vi, &c.

15 Hocque efficacius locum sibi vendicat in intruso in beneficio referuato, vt expressè decreuit Pius I V. in quadam constit. quæ fuit publicata Romæ die 26. Octob. 1560. & sui Pontificatus anno primo, quæ incipit, Sanctissimus in Christo Pater &c. & habetur in Bullario Cberubini tom. 2. constit. 17. eiusdem Pij, vbi in §. 2. ita ait: Ne illorum malitia illis prodesse, & fouentibus bonum ius nocere valeat, ad fructuum, reddituum, & proventuum dictorum beneficiorum, per eos perceptorum restitutionem, ac expensarum in libris huiusmodi facturarum refectionem, omniaque singula damna, & interesse, in quibus condemnati fuerint &c. ipsosque, ac etiam in dictis beneficiis successores quoscumque &c. ad restitutionem, seu relaxationem possessionis, ac fructuum, reddituum, & proventuum, necnon refectionem expensarum, ac damnorum, & interesse huiusmodi, perinde ac si contra eosdem successores, sententia, seu sententia lata, & littera, exequutoriales huiusmodi decreta fuissent; cogi, & compelli &c. Ex qua constitutione liquido patet, quod talis Intrusus non solum teneatur restituere fructus, & expensas (vt probauimus supra) sed & etiam damna, & interesse; vt latissime tradit Lancellotus in d. cap. 31 in 5. pœna, à n. 174. cum pluribus sequent. in additionis.

16 An autem talis Intrusus deducere possit necessarias expensas in dubium vertitur, & breuiter dicendum est, non adstringi ad illarum restitutionem; enimvero fructus semper intelliguntur deductis necessariis impensis, quas potest deducere non solum malæ fidei possessor, verum & etiam prædo, vt plura allegans docet Glossa in d. cap. grauis, verbo, fructus, de restitutione spoliatorum: l. fructus, l. dispositio, §. finali, ff. soluto

matrimonio, & late probant Gonzalez plures referens §. 7. proæmij, n. 163. Reinoso in obseruat. practica, obser. 56. n. 11. vbi quod fructuum nomine continetur quod iustis sumptibus deductis superest, quod Regens Sesse tom. 2. decis. 136. n. 1. cum sequent. vbi docet, id procedere tam in foro exteriori, quam conscientia; & alij plures relati per Barb. in tract. de appellat. verborum iuris significatione, appellat. 103. n. 22.

Ex quibus concludendum est quoad hunc articulum, Intrusum in beneficio teneri restituere fructus, distributiones, damna, & interesse, deductis tantum expensis necessariis, de quo late agit Suarez de censuris, disp. 13. sect. 2. num. 21. & sequent. qui licet loquatur in excommunicato, locum tamen habet ex identitate rationis in Intrusos; videbis Lessium de iustitia, & iure lib. 2. cap. 12. dubitation. 17. à num. 111. qui late agit de hoc articulo.

Quoad secundum, videlicet quos fructus restituere teneatur; distinguendum est, an talis intrusus sit possessor bonæ, vel malæ fidei, iuxta ea, quæ diximus supra, q. 28. Et dato quod fuerit possessor bonæ fidei adhuc subdistingendum est; nam aut fructus percepti existant, & tunc talis intrusus tenetur eos restituere, tam naturales quàm industriales, vt tradunt Angelus de Clauasio in summ. verbo, fructus, n. 2. vers. vtrum bona fidei possessor, Siluester in summa p. 1. verbo fructus, n. 1. vers. primo vero quaritur &c. & tradunt communiter Doctores in d. cap. grauis, de restitutione spoliatorum. At vero si consumpti fuerint, non erit adstrictus ad restitutionem, vt cum Couarrutia, & aliis docent Garcia de expens. cap. 23. n. 37. vers. inde est vt à bona fidei possessore &c. Nofter Sesse in d. decis. 136. n. 30. & 31. Cardinalis Tuschus littera F. conclus. 490. n. 58. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 12. disp. 17. n. 119. & 120. & alij plures.

Quæ quidem bona fides considerari potest, vt talis intrusus non teneatur restituere fructus consumptos, non solum ex bona fide, causata ex errore communi, sed etiam ex errore singulari iuris, vel factis secundum Dinum in regula 1. de regulis iuris in 6. n. 48. vsque ad 51. vers. sed in consumptis fructibus, per textum in l. sed si lege, §. siue, ff. de petitione hereditatis, & in l. certum, C. de rei vindicatione.

Quam Dini sententiam non admittunt Henric. in cap. cum delectus, num. 14. de iure patronatus, & post eum Hostiens. in cap. cura, eodem titulo, qui docent, requiri errorem communem nec sufficere singularem; quam sententiam vniuersum iudico, ex his quæ

quæ congerit Cardinalis Tuschus tom. 4. littera F. in d. conclus. 490. à n. 44. cum sequent. vbi resoluit, quod adhuc in eo casu, si factus fuerit locupletior, tenebitur illos restituere, etiam si sint consumpti, ex æquitate & officio Iudicis, & ex cōditione sine causa, per textum in l. si me & Titium, ff. si certum petatur, secundum Abbatem cons. 84. in fine, lib. 2. post Bartolum in l. ex diverso, ff. de rei vindicatione, & cum Couarru. docet etiam Sesse in d. decis. 136. à n. 30. vbi in sequentibus numeris late agit de hoc articulo, apud quem videre poteris, & penes alios plures relatos per Barb. in collect. ad textum in d. cap. grauis, num. 10. de restitut. spoliat. qui etiam intelligunt prædictam conclusionem, vt talis intrusus bonæ fidei

22 ex errore communi, non teneatur restituere fructus consumptos bona fide ante litis contestationem, secus verò quos consumpsit lite iā contestata. At vero si talis Intrusus mala fide possideat, tenebitur restituere non solum fructus perceptos, sed & etiam percipiendos, deductis tamen expensis necessariis, vt diximus supra, & patet ex text. in l. domum 5. C. de rei vindicatione, & latissime ex adductis per Thomam Sanchez in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 23. à n. 3. & ferè per totum, vbi disputat hunc articulum, & late Barb. plures referens, in collect. ad d. l. domum, C. de rei vindicatione, & ambo referunt varias quæstiones ad huc articulum conducentes, quas penes ipsos videre poteris, nam consultò ipsas omitto, ne in hoc prolixius immoremur, vt ad vltiora procedere valeamus.

23 Quoad tertium (de quo supra, in principio) videlicet à quo tempore debeat Iudex condemnare Intrusum ad fructuum restitutionem? dicendum est, Intrusum bonæ fidei condemnandum esse à die mortæ litis: per textum in l. certum, C. de rei vindicatione. Et ratio est, quia exinde consideratur tanquam possessor malæ fidei, vt cum Capycio decis. 93. in fine, Siluano cons. 49. n. 75. ad medium, & aliis tradit Petrus Barb. in commentariis ad Titulum ff. soluto matrimonio, ad l. diuortio, §. finali, n. 42. vers. nam perceptos post litem &c. tom. 1. & Spino in speculo testamentorum glos. 13. principali, n. 48. & alij plures.

24 Hæc autem doctrina non absolute & indistincte prout sonat intelligenda est, sed cum grano salis; non enim quælibet litis contestatio inducere debet malam fidem, sed illa quæ ex legitimis documentis, & iuridicis requisitis suboritur, vt cordatè aduertunt Ioannes Garcia de expens. cap. 13. n. 13. vbi optimam adducit rationem, Tract. de Intrusione.

quia ab eo momento, quo possessor scit rem ad se non pertinere, consideratur mala fides, quæ quidem ex sola litis contestatione iudicari non debet, cum in facto constat, si aliunde non constar de non bono iure possessoris, vt copiosè prosequitur ipse Garcia ibidem, n. 45. & 46. & melius cap. 6. n. 6. vbi ita ait: Ex quibus quantum arbitror, non semel in hoc Regno Senatu animaduerti, condemnationem fructuum rei petite factam fuisse à tempore attestationum publicatarum, non vero à tempore litis contestatæ, & in hoc Senatu Pinciano, ex his, in causa grauissima facta fuit condemnatio fructuum à die quo vera mala fides potuit suboriri, & debuit, non à lite contestata, eruditissimis Iudicibus id pronunciantibus, &c.

Cuius auctoritate idem docet Thomas Sanchez in præcepta Decalogi in d. tom. 1. cap. 23. q. 5. n. 193. & ideo dicendum est, quod si sola litis contestatio produceret malam fidem in possessore, ex eo quia ex natura ipsius contestationis dignosceretur inualiditas; vel nullitas possessionis, vel aliunde pareret de intrusione; tunc ex eo tempore facienda veniet restitutio, cum ex illo instanti, in quo mala fides superuenerit, cessat ratio, quæ influit, vt talis possessor non teneatur restituere.

26 Et ex hoc motiuo quoad præsentem articulum, resoluumus, teneatur Intrusum restituere fructus, à die quo ei constiterit de intrusione, siue id acciderit ante, vel post litis contestationem, vt patet ex d. decis. 4. alias 24. de restitutione spoliatorum vbi n. 2. loquendo de Intruso ita ait: Sed vt ponebatur in facto, in casu nostro constabat, mala fide detinentis, puta quia ab initio scienter possessionem beneficii accepit iniuste, propter quod indubitanter teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum, nedum ante litis contestationem, sed etiam post, vt in l. cum querebatur, C. vnde vi, & in l. sed si ante, ff. de petitione hereditatis, & sit veniet à tempore occupationis iniusta, in fructibus perceptis condemnandus &c.

27 Idem probat Verallus Archiepiscopus Caputaquen, decis. 27. seu 1. quæ est 2. sub dicto n. 27. quæ incipit, Fructuum condemnatio, vbi docet, quod à die intrusionis, vel violentiæ fieri debet condemnatio fructuum, quando sumus in beneficio referuato, vel spolio violento: Et rationem reddit, n. 3. quia contra Intrusum, qui nullius ius habebat, exequenda est condemnatio à die mortæ litis; nam tunc ei constat de nullitate iuris, quæ eum latere non potest; hocque extendit etiam contra ipsius hære-

des: quod etiam docuit Paulus Granus. in addit. ad Simonet. de reseruat. benef. q. 44. n. 6. vers. illius non obliuiscaris &c.

28 Et prædictam resolutionem extendere etiam debes pro Intruso lite pendente, seu pro intrusione attentata, quia talis attentans condemnari debet à die commissi attentati: nam eo ipso clarè patet, illum existere in mala fide; vt expressè dicitur in d. decis. 4. alias 24. & decis. 5. alias 25. de restitutione spoliatorum, in nouis, & fuit dictum in vna nullius Castorum, sub die 18. Martij, 1568. coram Oradino, teste Lancelloto, qui latè agit de hoc articulo in d. tract. de attent. p. 3. cap. 31. & ultimo, n. 66. in prima impressione, & in secunda additionata à n. 72. vsque ad 78. vers. Quinto ampl. a vt fructus, &c.

Ex quibus quoad hanc partem concludendum est, talem intrusum teneri restituere omnes fructus extantes, & consumptos, à die quo malam fidem habuit, tam ante litem, quam post ipsam motam.

29 Deueniendo iam ad Quartum, & vltimum (de quo supra in principio) videlicet cui debeat Intrusus restituere fructus male perceptos durante intrusione? In quo plures tenent, quod si non reperiatur alius, qui titulo Canonico beneficii, in quo se inuoluit, munus existat, tunc teneatur eos restituere Domino Papæ, cui de iure pertinet administratio generalis omnium bonorum, & fructuum Ecclesiasticorum beneficiorum, idque efficere potest, componendo de illis cum Camera Apostolica pro medietate, vel pro tertia parte, prout in praxi fieri testatur Quintilianus Mandosius de signatura gratia, tit. de absolut. à mala fruct. percep. vbi in principio refert, se alias obtinuisse huiusmodi absolutionem pro quodam magno Prælato, qui post resignationem, & vacationem suæ Ecclesiæ, intrusus possessionem continuauerat, iuxta text. in cap. cum dilectis. 15. in fine. principij, de purgat. Canon. ibi, quæ ipse nihilominus detinuit, &c. Idemque docet Paulus Paris. conf. 143. n. 18. volum. 4.

30 Vel secundo potest talis intrusus, illos fructus male perceptos in utilitatem Ecclesiæ conuertere, iuxta text. in cap. cum vos 4. in fine. ibi, Qui debeant fructus percipere: & eos aut. in Ecclesiarum utilitatem expendere, aut futuris personis reseruare, &c. de officio Iudicis ordinarij, & in cap. præsentis, 1. 1. eodem titulo in 6. cap. quia sepe 40. de electione, eadem libra. Boërius decis. 340. num. 2. Zerola in praxi, par. 1. verbo, Beneficia, §. ad sextum, quoad primam partem, est dubium: vers. quoad secundam partem, regula iuris est, &c. Idemque innuere videtur Suarez de

censuris, disput. 13. sect. 2. num. 24. vers. de ceteris autem fructibus, &c. qui licet loquatur in Excommunicato, ex identitate rationis locum habet in intruso.

Tandem poterit intrusus fructus male perceptos restituere, & reddere immediato successori legitimo, iuxta dispositionem text. in d. cap. cum vos & in alijs iuribus proximè citatis, & notant Boërius in d. decis. 340. n. 2. & sequent. Zerola in d. verbo, beneficia, in dict. vers. quoad secundam partem, & in specie Nauar. in commentarijs de spolijs Clericorum, §. 12. num. 4. qui latè agit de hoc articulo, & eo relato idem Zerola in praxi in d. par. 1. verbo, Intrusus, vers. ultimo, vbi quærit, quæ remedia dari possunt pro restituendis fructibus ab intruso male perceptis, & ita concludit: Respondetur, quod tria enumerat Nauarrus, Primum, componere cum Camera Apostolica: Secundum, conuertere illos in utilitatem Ecclesiæ suæ, vel Beneficij; Tertium, tradere illos futuro successori, qui tamen possit habere aliquam remissionem à primo, & à tertio, sed non à secundo. Ex quibus rectè colligitur, intrusum satisfacere restituendo fructus per vnum ex tribus modis superius enarratis.

31 Aduertendum tamen est pro coronide huius quæstionis cum Nauarro in d. §. 12. sub num. 4. vers. subinferitur etiam, &c. Quod si talis intrusus consequatur à Sede Apostolica confirmationem tituli, seu alias nouam concessionem, narratis narrandis, si absolute fuerit ei gratia concessa, non tenebitur quidquam restituere, quia ex tali noua gratia ipse efficitur primus illius beneficii successor, cui (vt dictum est) adiudicari possunt, maxime cum per illam concessionem absolutam, à Sede Apostolica obtentam, sublata reperiantur obstacula, quæ ipsum efficiebant iniustum possessorem, & exinde non debet esse peioris conditionis, ac quilibet alius, qui in illo beneficio succederet, sub prætextu quod pronuntiaretur, beneficium ipsi fore adiudicandum, iuxta notata per Rotam decis. 6. alias 186. quæ incipit, Auditor qui pronunciat, &c. sub tit. de re iudicata, in nouis, & ideo in tali casu tutus erit in vtroque foro, ne ad restitutionem teneatur, vel compelli, aut cogi possit ad illam faciendam. Ex quibus ita concludendum est in hac

quæstione.

* * *

QVÆST.

QVÆSTIO LX.

Quasi Intrusus in beneficio, vt dicitur ille qui dignus est ipsius priuatione, an teneatur restituere fructus à tempore commissæ causæ, ob quam meruit priuari.

S V M M A R I V M.

Quasi intrusus in beneficio, vel officio dicitur ille, qui commisit aliquod delictum, priuatione dignum. n. 1.

Fructus tenetur restituere quasi Intrusus, à die commissæ causæ, vel perpetrati delicti. n. 1. & seqq.

Sed contra, n. 6. & seqq.

Hæres qui consentit, vt hereditas restituatur incapaci, priuatur hereditate, & habetur prædonis loco, & ideo restituere tenetur omnes fructus, quos percepit. num. 2.

Prælati, qui propter demerita sciunt priuandos esse prælatura, tenentur restituere fructus, quos à die commissi delicti percepunt. num. 3.

Clericus perpetrans delictum, propter quod beneficio priuari debeat, tenebitur restituere fructus perceptos à die commissi delicti. num. 3.

Fœdatarius tenebitur restituere fructus à die commissæ felonie. num. 4.

Emphyteota si renuerit soluere canonem, tenetur restituere fructus illius temporis, à quo resoluta fuit emphyteosis. num. 5.

Quasi intrusus facit fructus suos, quandiu in beneficio toleratur, vel per sententiam non fuerit priuatus. num. 6.

Clericus homicida, vel irregularis, licet retinet beneficium, donec renunciet, vel per sententiam priuatur; & ideo non tenetur restituere fructus illo medio tempore perceptos. num. 7.

Beneficium si aliquis cum titulo legitimo obtinet, legitime etiam retinet fructus ex illo perceptos. num. 8.

Fructus beneficij non facit suos, qui commisit delictum, propter quod priuatur ipso iure ante declarationem sententiæ; secus autem si sententiæ sit necessaria ad inducendam priuationem. num. 9.

Delictum committens, propter quod in fructibus condemnari debeat, non tenetur restituere quos percepit ante sententiæ condemnationem. num. 10.

Tract. de Intrusione.

Beneficiarius qui de facto se intrusit in beneficio, tenetur restituere fructus, quos percepit, tanquam mala fidei possessor. num. 11. Peccatum non dimittitur, si non restituatur ablatum. n. 12.

Clericus priuari potest beneficio propter non residentiam, sed non tenetur restituere fructus, quos in absentia percepit. n. 13.

Quod intellige de iure antiquo, nam hodie ex dispositione Tridentini, ipsos restituere debet. n. 14.

Fructus beneficiorum dantur in stipendium, & pro mercede Beneficiarij. n. 15.

Clericus, qui commisit delictum, priuatione dignum, potest resignare beneficium, quod obtinet, iam introducta causa, quam ea pendente. n. 16.

Delictum attendi non debet ante ipsius probationem, vel condemnationem, ad effectum, vt Reus gaudere non possit immunitate Ecclesiæ. n. 17.

Pœnam subire nemo tenetur in conscientia, donec per iudicem inferatur. n. 18.

Carnifex sui ipsius nemo debet esse. num. 18. Titulus beneficij, vel officij, quoties est reuocabilis, datur amotio cum fructuum restitutione, si non fuerit legitimus. n. 18.



Ec quæstio celebris est, & pro viribus pertractanda, nam in ea variant Doctores: Primum enim aliqui dicunt, quod talis quasi intrusus (vt est ille qui commisit aliquod delictum priuatione dignum, vt diximus supra, quæst. 5. n. 3.) tenetur restituere fructus à die commissæ causæ, vel perpetrati delicti; argumento sumpto ex textu in l. prædonis 46. ff. de petitione hereditatis, ex quo probatur, quod hæres qui consentit, vt hereditas restituatur incapaci, veluti spurio, vel alio simili morbo laboranti, habetur loco prædonis, & ideo tanquam à malæ fidei possessor auferenda est hereditas, vt ibidem notat Glossa, verbo prædonis loco: Ergo similiter quasi intrusus erit adstrictus ad fructuum restitutionem, cum ipse ignorare non valeat, priuatū se remanere beneficio, vel officio, propter delictum intrusionis, & exinde cum mala fide percipit illos fructus: quapropter dicunt Bald. Paul. Castr. & Ang. ibidem, quod in d. textu est casus rotundus contra Prælatos, qui propter ipsorum demerita sciunt se priuandos esse tanquam indignos: Nam licet habeant dominium Prælaturæ, sicut & hæres habet hereditatem in d. l. prædonis, & ante priuationem vtantur administratione, faciuntque fructus suos: si tamen postea priuentur, tanquam prædones erunt adstricti

adstricti ad restitutionem omnium fructuum, medio tempore perceptorum.

Secundo probatur ex l. 1. C. de his quibus ut indig. quæ ita ait: *Heredes, quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere. Neque enim bona fidei possessores ante controuersiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt;* &c. Ergo similiter in præfenti dicendum videtur, quod Clericus perpetrans delictum, propter quod meruit priuari beneficio, efficiatur indignus ut fructus percipere possit, & tanquam malæ fidei possessor illos restituere tenebitur: ut cum Bal. Ang. Paul. Cast. & aliis docet Tiraquel. in l. si unquam, verbo, Reuertantur, nu. 272. vers. idque dicunt C. de reuocandis donationibus, qui per eundem textum idem etiam comprobant, sumpto argumento de feudatario, qui etiam tenetur fructus restituere à die commissæ felonix: idemque voluerunt Roma. in l. diuortio, in principio, colum. 2. ff. soluto matrimonio, Mart. Lau. & Card. Alex. in cap. 1. tit. quibus modis feudum amittatur, lib. 2. quos cum aliis allegat Tiraquellus ubi proximè.

Et confirmari potest à simili de Emphyteota, qui si reuerit soluere Canonem, tenetur restituere fructus illius temporis, à quo resoluta fuit Emphyteosis: ut aduertunt Speculator in tit. de Emphyteosi, §. Nunc aliqua, num. 29. vers. decimo queritur, pone, &c. Alba, in l. 2. colum. 8. & ibidem Iafon, colum. 5. vers. secundo Quarto, C. de iure Emphyt. Bal. in l. si pater, in 3. notabili, C. de usufructu, Socin. cons. 167. incip. Non inutilis, num. 12. vers. postremo prædicta confirmantur, volum. 2. & Iafon cons. 29. incip. Nunquid putauit, ad finem, volum. 1. & alij plures: Ergo sicut emphyteota, propter malitiam non soluendi canonem, tenetur restituere fructus medio tempore quæsitos, sic similiter tenebitur delinquens, qui propter delictum, priuatione dignum, quasi intrusus remanet in beneficio, quo priuari debet. Et ex his fundamentis hanc sententiam tenentur Baldus in cap. Pastoralis, colum. penultima, vers. quero an Excommunicatus, de appellationibus. Domin. in §. 1. distinct. 42. Hipol. de Marsiliis sing. 425. incip. Clericus qui commisit, &c. Francisc. Ripa in l. vltima q. 66. sub tit. de reuocandis donationibus, quos refert & sequitur Tiraquellus in d. verbo, reuertantur, num. 272. & Felinus in loco statim citando, ponderat prædicta fundamenta in comprobationem relatæ sententiæ, licet ipse strenuè contrariam tueatur, ut statim dicemus.

6 Contrariam tamen opinionem plures

defendunt, videlicet quod quasi intrusus faciat fructus suos quandiu in beneficio toleratur, & ante sententiam priuationis: quam neuosè tuetur Felinus in c. de Quarta, de prescriptionibus, à n. 32. cum seqq. & suam opinionem adstruit septem argumentis.

Primum est, quia Clericus homicida, seu irregularis, aut alio simili delicto laborans, licitè retinet Dignitatem, vel Officiam, donec vel renunciet, vel per sententiam priuetur, aut deponatur, ut voluerunt Innocentius & Imola post alios in cap. cum nostris, de concessione prabendæ, ergo si licitè retinet Dignitatem, non tenetur restituere fructus, quandoquidem fructus titulo colorato insitit in possessione, & ideo (dicit Felinus) bona est consequentia; Potest quis beneficium licitè retinere, ergo & fructus ex eo perceptos; teste Speculatore & Cardinali in Clement. constitutionem, §. ceterum, in fine, de electione, quos ad intentum allegat Felinus ubi proximè, n. 33. vers. secundo, per id, &c.

Secundò, quia licet ille qui ipso iure est priuatus beneficio propter delictum, etiam ante declarationem pœnæ incursum, non faciat fructus suos, hoc tamen locum non habet in delicto requirente sententiam, ut priuationi locus detur; quia tunc talis delinquens rectè poterit fructibus uti, deque eis disponere, quoad vsque per Fiscum apprehendantur, iuxta ea quæ diximus supra, q. 5. num. 5. & 6. quæ in præfenti ponderari possunt in corroboracione huius argumenti; ergo talis quasi intrusus non tenebitur restituere fructus à die commissæ causæ, sed à die declarationis incursum pœnæ.

Tertiò arguit Felinus ab inconuenienti; nam sequeretur, quod si aliquis perpetraret delictum, propter quod bona sua venirent confiscanda, esset adstrictus, non solum quoad fructus perceptos, verum etiam quoad percipiendos; quod nullatenus dici potest, iuxta ea quæ notat Phil. de Perus. in l. 1. C. de his quibus ut indignis, contra Guil. & alios.

Quartò adducit Felinus in corroboracionem suæ opinionis, de i. 4. alias 24. de restit. spoliator. in nouis, ubi probatur, quod Beneficiatus, qui de facto se intrusit in beneficio, tenetur restituere fructus, quos ex eo percepit, quia cum mala fide occupauit beneficium; ergo cum quasi intrusus non habeat illam malam fidem donec per sententiam priuetur, nam cum titulo colorato illo medio tempore possidet, sequitur dicendum, non esse condemnandum ad restitutionem fructuum perceptorum.

Quintò

12 Quintò arguit, & considerat aliud quodammodò horrendum inconueniens (ut ait Felinus) videlicet quod multi Prælati perpetrantes crimina, digna depositione, etiam si penitentiam egissent, in peccato mortali decederent, si contraria opinio admitteretur, cum non possent iustificari, nisi restituti fructibus perceptis à tempore commissi delicti, iuxta regulam, peccatum 4. de regulis iuris, in 6. S. Thomas 2. 2. q. 62. artic. 3. & q. 66. art. 3. Couarr. in d. regula peccatum, 2. p. §. 6. num. 1. Soto de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. & tradunt communiter omnes Theologi & Canonistæ, quam quidem restitutionem regulariter non efficiunt: ergo, &c.

13 Sextò, quia si Clericus propter non residentiam priuetur beneficio, iuxta dispositionem Tridentini sess. 23. cap. 1. de reform. (de quo latè Barbof. in tract. de Canon. & Dignit. cap. 20. num. 15. & sequent.) in tali casu docet Abbas in cap. 1. colum. vltima, n. 8. vers. sitem propter non residentiam, de celebratione missarum, quod non tenetur restituere fructus in absentia perceptos, quia licet illi Ecclesiæ non inseruierit, inseruuit tamen vniuersali: ex quo inferit Felinus, quod pariformiter committens crimen, propter quod priuari debeat, licitè fructus percipiet.

14 Norandum est hic obiter (ne Tyrones decipiantur) quod proximè allegata doctrina Abbatis, hodie post Tridentinum non habet locum, nam si talis Clericus ob non residentiam priuetur beneficio, tenetur restituere fructus illius temporis, per quod absuit, ut expresse docent Azor. p. 2. in iust. moral. lib. 7. cap. 6 q. 4. Sanctarel. var. resol. q. 4. num. 4. Flaminius Paris. de resign. benef. lib. 1. qu. 10. num. 32. quos refert & sequitur Barb. in tract. de offic. & potest. Parochi, p. 1. cap. 8. num. 69. & 70. & ideo licet aliàs de iure antiquo procedere posset doctrina Abbatis, ex dispositione tamen Tridentini in d. c. 1. sess. 23. de reformat. non habet locum: quod annotare volui, ne aliqui decipiantur, existimantes, posse retinere illos fructus de tempore non residentix perceptos, ex doctrina Abbatis, & aliorum quæ hodie locum non habet, ut dictum est.

15 Vltimo ponderat Felinus, quod fructus beneficiorum dantur in stipendium, & pro mercede Beneficiatorum, iuxta tex. in cap. extirpanda, cap. cum secundum, de prabendis, de quo videndus est Surdus de alimentis, tit. 1. q. 60. n. 1. ergo durus titulo, & seruitio, licitè percipit fructus, & pro se retinere potest; ergo talis quasi Intrusus etiam

licitè potest illos retinere pro mercede seruitij.

Hæc sunt fundamenta quibus Felinus, ubi supra, latissimè defendit hanc secundam opinionem, & ibidem, in vers. non obstant adducta in contrarium &c. responderet contrariis supra pro prima ponderatis, & videtur idem innuere Card. in cap. 1. n. 7. q. 9. de celebrat. missarum.

16 Quibus fundamentis alia à me considerata addo, videlicet quod criminofus ante declarationem priuationis habet titulum legitimum, taliter quod resignare potest beneficium, etiam introducta causa, vel ea pendente; ut latè diximus supra, q. 5. n. 7. & sequen. sed qui titulum habet, iustè percipit fructus (ut est notum) ergo non tenebitur ad restitutionem, at quasi intrusus titulum habet aliqualem cum possessione, ergo &c.

17 Secundò, quia delictum ante probationem, vel condemnationem attendi non debet, ad effectum ut reus gaudere debeat, vel non, immunitate Ecclesiæ; aliàs sequeretur maximum inconueniens, nam per quamlibet imposturam delicti, vel per ipsius delationem, factam à quocumque, posset reus extrahi ab illa, ut probauit in meo Pastoralis Regularium, p. 3. vot. 3. plures allegans n. 22. in fine, quod admitti non debet: ergo pariformiter quasi intrusus non debet priuari fructibus, donec de delicto fuerit conuictus per sententiam, ex probationibus factis; aliàs quilibet posset imponere intrusionem, & ex commissione causæ priuare illum vtilitate fructuum.

18 Tertio, quia nemo tenetur in conscientia pœnam subire, quoad vsque per Iudicem inferatur, cum nullus obligatus existat, ut sit sui ipsius carnifex, iuxta ea quæ cum Escobar à Corro de vtroque foro, tom. 1. art. 4. §. 2. num. 123. cum sequen. & Ioanne Valerio in eodem tract. verbo, defensio, differentia 9. & 10. & aliis, dixi in meo foro conscientia, siue Pastoralis interno, p. 1. tract. 4. q. 4. n. 10. ergo talis quasi intrusus non tenebitur in conscientia pœnam subire, donec per sententiam inferatur: sed priuatio, & restitutio fructuum, est pars pœnæ; ergo non erit adstrictus ad se ipsum condemnandum ad illorum restitutionem ante sententiam.

19 Hæc sunt fundamenta, quæ pro Felini sententia ponderari possunt, quæ licet tot sint rationibus munita, & auctoritatibus roborata; eis tamen non obstantibus, Contrariam aduersus ipsum acriter defendit Anton. de Burg. in cap. ad nostram, n. 35. cum sequen. de emptione & venditione, ex ea ratione, quia quoties titulus Beneficij, vel officij,

officij, est reuocabilis, datur reuocatio, & fieri debet cum fructibus ex illo perceptis, & exinde sequitur, talem quasi intrusum teneri ad restitutionem ex die commissi delicti, cum habeat titulum reuocabilem, eoque priuari debeat: & ipse Anton. de Burg. *ibidem* respondet argumentis, & auctoritatibus à Felino ponderatis, apud quem videre poteris, ne longius diuertatur.

20 Et profecto in hac opinionum varietate, non audeo meum interponere iudicium, cum ambas probabiles reperiam, tum ab extrinseco propter auctoritatem Doctorum ipsas defendentium, tum propter rationes, & motiua in quibus se fundant. quæ quidem sunt valde iuridica: & concludendo hanc questionem, solum dico, quod licet prima sententia Burg. & aliorum videatur nimis dura, & rigorosa; attamen est tutior, & securior animæ: Secunda verò Felini, & sequacium, satis æqua & iuridicis fundamentis, subtilibusque rationibus roborata, non tamen tam fauorabilis, & securior in foro interiori; quamuis aliis, qui eam sequi voluerit, cum tali probabilitate, iuste operabitur.

QVÆSTIO LXI.

An Intrusus in restitutione fructuum, possit computare quantitatem pensionis per eum solutæ, quæ est imposita super beneficio, in quo se intrusit.

S V M M A R I V M.

Pensionem antiquam beneficij quod occupauit Intrusus, tenetur soluere, eiusque quantitas computari debet in restitutione fructuum. n. 1. & 9.

Secus verò si nouiter ab ipso referuatur. n. 3. & sequen.

Beneficium grauatum pensione transit cum suo onere in quemcumque successorem, tam legitimum, quam illegitimum. n. 2.

Intrusus in beneficio non potest ipsum grauare onere pensionis. n. 4.

Pensionis impositio referuata in beneficio, est quadam ipsius seruitus, & ideo imponi non potest sine consensu Beneficiati. n. 5.

Vasallus in re feudali non potest imponere seruitutem, quæ post ipsius vitam protrahatur, sine consensu Domini. n. 5.

Pensio in beneficio referuari non potest sine consensu veri Titularis. n. 6. & 9.

Intrusus in beneficio non est verus titularis. num. 6.

Resoluto iure dantis, resoluitur etiam ius recipientis. n. 7.

Dammum & incommodum quod quis sua culpa sentit, sibi, & non aliis imputari debet. num. 8.

Res inter alios acta, Tertio nocere non potest. num. 9.



EMATERIA huius questionis egimus *suprà* q. 12. ipsamque in terminis disputat Hieronymus Gig. *cons.* 124. incipit *Thema ad me transm. sum.* vbi testatur, pluries de ea fuisse interrogatum: & quia est casus quotidianus, & practicabilis, ideo opus erit veritatem indagare: Pro cuius resolutione qua potero breuitate, ipsam explanare conabor.

Et pro vero intellectu distinguendum est, an pensio sit antiqua, taliter quod iam constituta reperitur, ante quam Intrusus beneficium obtineret; aut verò ipse illam nouiter constituit: Primo enim casu, non est dubium, quin solutio pensionis computari debeat in fructuum restitutione; quia apud omnes est in confesso, quod beneficium iam grauatum pensione, transit cum suo onere in quemcumque possessorem vel successorem, tam legitimum quam illegitimum; nam est onus reale, & sequitur ipsum beneficium, in quo fuit imposita; vt docent Gigas *de pensionibus*, q. 40. num. 1. Rota *Recentiorum*, tom. 2. *decis.* 352. n. 1. quæ alias allegat, optimè Barb. *in tract. de exigendis pensionibus* p. 1. q. 7. n. 24. & ideo tanquam illius reale grauamen transit obligatio in successorem percipientem fructus; vt cum pluribus tradit Barb. *vbi proximè in d. p. 1. q. 2. n. 50.* & latius q. 10. à n. 13. & sequen. & p. 2. q. 5. n. 3. Peña *in meis recollectis*, tom. 2. *decis.* 1004. n. 6. & nos diximus *suprà*, q. 12. n. 6. & 12. & ideo in restitutione fructuum computanda est quantitas soluta pro pensionibus decursis, tanquam facta ex obligatione reali; vt ita hanc opinionem tenet Gig *in d. cons.* 124.

In secundo verò casu, videlicet quando pensio fuit nouiter referuata ex consensu intrusi, dicendum est, nullatenus computandum esse in restitutione fructuum quod ipse soluerit pro tali pensione, sed teneri integraliter restituere quicquid ex beneficio collectum fuerit.

Et ratio est, quia cum constiterit de intrusione, ex eo resultat, consentientem non habuisse

habuisse ius in beneficio, & consequenter non potuisse beneficium grauare tali onere, cum impositio pensionis sit quædam seruitus; vt cum Verallo *decis.* 303. num. 8. & *seqq.* p. 2. declarauit Rota coram Peña *in meis recollectis*, tom. 1. *decis.* 554. num. 8. & iterum *in recentioribus* tom. 2. *decis.* 143. n. 1. *in fine*, & *decis.* 733. num. 2. cum aliis pluribus: Exinde sequitur, quod intrusus non potuit in præiudicium veri Beneficiati grauare beneficium tali seruitute, & reservatione; argumento sumpto ex re feudali, in qua non potest Vasallus seruitutem imponere, quæ post ipsius vitam prorahatur; vt patet ex text. *in cap.* 1. §. *quid ergo*, vbi Bal. & Aluarot. & communiter Doctores *de inuest. in re alien. fac.* & cum Carpola *in tract. de seruitutibus*, cap. 14. num. 4. consuluit Marianus Socin. iunior, *cons.* 60. *incip. in causa cursus Rheni*, num. 8. volum. 3. ad idem Iason *in l. 3. q. 8. C. de iure Emphyt.* & cum Dueñas *reg.* 40. *ampliatione* 8. & Caldas Pereira *de extinct. Emphyt.* cap. 5. n. 43. Gamma *decis.* Lusit. 242 & Rebello *de obligat. iustitiae*, p. 2. lib. 13. q. 5. n. 4. tradit Barb. *in collect. ad text. in cap. nuper 6. de donat. inter virum & uxorem*, num. 2. & 3. Ergo similiter Intrusus non potuit præiudicare vero Titulari per illam nouam impositionem pensionis, fraudando ipsum in illa parte fructuum, vel quantitatibus, quam indebitè soluit, cui ipse non consensit, & exinde erit obligatus ad restitutionem.

6 Secundo suadetur ex eo, quia pensio sine consensu veri Titularis referuari non potest, vt plura cumulans, & varios Doctores referens, tradit Valenzuela *cons.* 48. num. 1. & sequen. volum. 1. & Barb. *in d. tract. de exigendis pensionibus*, p. 1. *proemij*, num. 13: Ergo cum intrusus non sit verus Titularis (vt multoties repetitum reliquimus) sequitur, quod talis reservatio erit inefficax, & exinde quod tenbitur restituere quod indebitè soluit, iuxta ea quæ diximus *suprà*, in tribus questionibus antecedentibus.

7 Maximè cum per declarationem Intrusionis, resolutum remaneat ius, quod Intrusus præterendere poterat, pensionem imponendo, eique consentiendo; resolui etiam debuit ius illius, in cuius fauorem fuit referuata, ex ipso principio, quia fuit iniuste imposita; nam resolutio iure dantis, resoluitur etiam ius accipientis; ex regula textus *in l. lex veltigali* 31. ff. *de pignoribus*, l. si ex duobus, §. 1. vbi communiter Doctores, *de in diem addict. cap. nuper 6. de donat. inter virum & uxorem*, cum vulgatis; & faciunt tradita per Cardin. Tuschum tom. 6. *litera R. conclus.* 272. à num. 4. & seq. Anton.

Gomez tom. 2. *variæ. resol. cap.* 3. num. 8. & ideo cum resolutum maneat illud tale quale ius, quod præterendere, vel habere poterat Intrusus, resolui etiam debuit & pensio, cum ille qui ei consensit, iniuste beneficium occupauerit, nulliterque illud obtinuerit; & exinde non est habenda ratio constitutionis pensionis, nec damni quod ex ipsius solutione habuit, ad hoc vt ei computetur in fructuum restitutione; Cum id ex sua culpa acciderit, eique imputandum sit, quod voluerit imponere seruitutem, vbi ius non habeat: & sit regula iuris certa, quod damnum, vel detrimentum, aut incommodum, quod quis sua culpa sentit, sibi, & non aliis imputari debeat; iuxta textum *in l. emptor fundi, C. de euictionibus*, & *in cap. damnum* 86. *de regulis iuris in 6.* cum aliis pluribus.

Neque erat rationi consonum, quod illa pensio transiret cum beneficio in verum Beneficiatum, nec similiter quod fraudaretur illa quantitate soluta ab eo, qui non habebat ius ad nouiter referuandam talem pensionem, cum hoc fieri debeat ex consensu veri Titularis (vt dictum est), qui fraudaretur fructibus ei debitibus, & ex malitia Intrusi commodum reportaret: *l. in fundo ff. de rei vindicatione, l. itaque sullo, ff. de furtis, cap. sedes, cap. plerumque, de rescriptis*, cum vulgatis, Cardoso *in praxi Iudicij & Aduocatorum, verbo, Delictum*, num. 7. & malitiis non est aperienda via, sed eis potius occurrendum est, vt per Flamin. Paris. *de confidentiis*, q. 32. num. 61. & q. 35. num. 70. Cesar. Argelum *de legitim. contrad. qv.* 13. artic. 8. num. 90 & ideo tanquam res inter alios acta, nullatenus ei nocere potuit: *l. de vnoquoque, l. sepe constitutum est, ff. de re iudicata, cap. super eo, de officio delegati*, cum aliis.

Ex quibus concludendum est, in restitutione fructuum perceptorum, computandam esse Intruso quantitatem solutam ex pensione antiqua beneficij, in quo se intrusit; non vero ex nouiter per ipsum constituta.

QVÆSTIO LXII.

Quis agere possit contra Intrusum, vt à beneficio remoueat.

S V M M A R I V M.

Clericus se prætendat ius habere ad beneficium, in quo aliquis se intrusit, potest agere

agere ad illud consequendum. num. 1. & 3.
 Ius suum tueri cuilibet est licitum & honestum. n. 2.
 Nemo iure suo priuandus est absque culpa sua. num. 2.
 Nemini iniuriam facit, qui utitur iure suo. *ibid.*
 Quilibet indemnitati suae consulere tenetur. *ibid.*
 Clericus habens aliquem titulum coloratum, potest agere contra intrusum, ut à beneficio remoueat. n. 3.
 Habens aliquod interesse in beneficio, potest agere, ut ab eo intrusus remoueat, & ut alius canonicè instituat. n. 4.
 Canonicus potest agere contra Prælaturam intrusam, ut à Prælatu remoueat. n. 4.
 Laicus est prohibita accusatio criminalis contra Clericum. n. 5.
 Patronus laicus non potest accusare criminaliter Clericum institutum in Ecclesia, in qua est Patronus. *ibid.*
 Laicus parochianus non potest agere contra Rectorem, notoriè immisum in possessionem auctoritate Ordinarij, ad quem de iure pertinet confirmatio, & institutio; secus si notoriè non constat, sed dubitatur. n. 6. & 7.
 Iuste possidet qui auctoritate Iudicis possidet. num. 6.
 Peccans, seu deficiens, auctoritate legis, non peccat, nec deficit. n. 6.
 Parochianus laicus potest agere pro suo interesse ciuilitè, sed non criminaliter, contra Rectorem intrusum, ut à beneficio remoueat. n. 7. & 8.
 Parochianorum laicorum interest, habere legitimum Parochum, canonicè institutum, à quo Sacramenta recipiant. n. 8. & 9.
 Populus Christianus ex malo Rectore patitur famem, & sitim uerbi Dei, & doctrinam Christianam. n. 8. & 9.
 Parochianus laicus ut possit agere contra intrusum, debet insimul esse Patronus. n. 10.
 Sed qualitas patronatus non est necessaria. num. 11. & seqq.
 Laici parochiani non possunt se intromittere in electionibus beneficiorum. n. 10.
 Intellige ut n. 20.
 Parochiani habent maius interesse, quam Patroni, ut in parochiali præficiatur bonus Curatus, qui illis ministret Sacramenta, & pabulo spiritali ipsos nutriat. n. 11.
 Anima tanto pretiosior est cunctis rebus temporalibus, quantum distat corpus ab illa. num. 12.
 Laicus parochianus, etiam non patronus, potest agere ciuilitè contra Rectorem intrusum, ut à beneficio remoueat. n. 13.

Parochianus laicus potest accusare Clericum pro sua, vel suorum iniuria. n. 14.
 Laicus quilibet potest denuntiare clericum de crimine, ab eodem commissio, quod ipso iure redderet suam institutionem nullam, & inualidam, & petere, ut tanquam intrusus remoueat. n. 15.
 Laicus parochianus, & quilibet alius potest accusare Rectorem, vel Prælaturam propter crimen dilapidationis. n. 16.
 Laicus admittitur ad accusandum Clericum, si ex eo resultet bonum commune, & publicum. n. 17.
 Villiati publicæ & bono communi resistit, ut Rector seu Prælatus intrusus administret Sacramenta. n. 17.
 Accusatio interposita ab eo, qui habet interesse, admittenda est. n. 18.
 Clerici accusari possunt per laicos in aliquibus casibus, etiam si denunciatio fiat per uerbum. Accuso. n. 19. & 21.
 Vilis persona remouetur, ne accusare possit. num. 22.
 Laicus, & Vilis, quandoque agere potest contra Clericum pro suo interesse. n. 22.
 Parochianus laicus pro suo interesse agere potest, non solum contra Rectorem intrusum, sed etiam contra Prælaturam, etiam Episcopum. num. 23.
 Laicus Parochianus, vel alius quilibet auditur contra Rectorem intrusum, Hæreticum, Simoniacum, vel alio simili crimine laborantem, etiam si superuenisset post institutionem. num. 24. & 25.
 Laicus parochianus agere potest non solum contra Rectorem uere intrusum in parochiali, sed etiam quasi intrusum. n. 26.
 Clericus committens crimen propter quod deponi debeat, vel habens uitium, propter quod beneficio priuandus ueniat, appellatur quasi intrusus. n. 26.
 Laicus parochianus potest agere, ut electus remoueat à prælatura propter crimen periurij, præcedens ipsam institutionem. numer. 27.
 Periurij crimen non priuat ipso iure beneficium à beneficio, sed fieri debet per sententiam. n. 27.
 Patronus laicus admitti debet ad agendum pro suo interesse contra intrusum in beneficio, ut ab eo remoueat. n. 28. & 29.
 Patronus licet non possit amouere Abbatisam, quæ digna sit remotione, poterit tamen ex iusta causa petere remotionem. n. 29.
 Patronus laicus potest accusare Rectorem dilapidantem iura, seu bona Ecclesie. *ibid.*
 Laicus non Parochianus, vel Patronus, sed penitus extraneus, an agere possit contra Clericum intrusum. n. 30. & seqq.

Intellige

Intellige ut num. 41.
 Agere non potest ciuilitè, vel criminaliter, qui speciale, vel immediatum interesse non habet. n. 30.
 Intellige ut n. 41.
 Clerici sunt laicis plerumque infesti, & ideo præsumuntur, non bono zelo Clericos accusare. num. 31.
 Accusatio intrusionis in beneficio tendit, ut talis intrusus priuetur beneficio. n. 32.
 Laicus quando agit contra Clericum intrusum, non potest id efficere per uiam accusationis criminalis, sed ciuilibis. n. 33.
 Intrusus in beneficio ob crimen, propter quod, ante vel post institutionem, erit incapax illius, potest accusari per quemlibet ex populo, ut remoueat. n. 34.
 Anima fratris ne miserabiliter decipiatur, cuiuslibet Christiani interest ex actu charitatis; hoc respicit uindictam publicam contra decipientes. n. 35. 36. & 41.
 Actio publica, quæ respicit communem utilitatem, intentari potest à quolibet, etiam externo. n. 36.
 Actio intentata aduersus Clericum, qui ob aliquod delictum est de iure inhabilis ad consequendum beneficium, vel post institutionem eo priuari debeat, ciuilibis dicitur, & non criminalis, & ideo laicus eam poterit intentare. n. 37. & 38. cum seqq.
 Laicis non est prohibita actio ciuilibis contra Clericum per uiam denunciationis. numer. 42.
 Beneficium obtentis nunquam quis priuatur propter infamiam facti. n. 42.

IN hac quæstione, ut certa ab incertis separemus, dicendum est primò: quod si aliquis Clericus prætendat ius habere in beneficio, & ad se pertinere ex aliquo titulo, poterit sine dubio agere, & causam, aut iudicium intentare contra intrusum, ut ab illo remoueat, & constituto de intrusione, petere ut ei adiudicetur: Nam licitum & honestum est cuique, suum ius tueri; cum nemo eo priuari debeat absque culpa sua, l. crimen, ff. de pœnis, l. sancimus, C. eodem, cap. 1. in principio, de constitutionibus, cap. non debet 22. de regulis iuris in 6. Et qui utitur iure suo nulli iniuriam facit, l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniuriis, l. qui iniuriarum, §. is qui, ff. de iureiurando, cum uulgatis, & quilibet potest suæ consulere indemnitati, l. filio pater, ff. de legatis primo, l. si in meo, ff. de aqua pluuiæ arce. Et ideo certum est, quod Clericus habens aliquem titulum legitimum, & coloratum in beneficio, potest agere contra intrusum in illo, ut remoueat.

Secundus casus est, si aliquis non præ- 4 tendat ius habere ad beneficium, sed sua interesse ut Intrusus remoueat, & quod alius Canonicè & legitime instituat; & tunc agere etiam poterit contra Intrusum, ut patet ex textu in cap. ueniens 15. ubi Abbas in primo notabili, de accusationibus, ex quo probatur, quod Canonicus potest agere contra Prælaturam, quem prætendit intrusum; ex eo, quia sua interest, non habere Prælaturam intrusam: ad idem est textus in cap. ex parte 11. eodem titulo, de accusationibus, & tradunt Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 35. num. 21. latè Thomas Sanchez in præcepta Decalogi lib. 6. cap. 12. n. 20. & seqq. & alij plures penes ipsos; & hi duo casus de plano procedunt.

Difficultas autem non leuis est, an idem 5 possit efficere laicus, cum uideamus, ei esse interdicitam accusationem contra Clericum ex dispositione textus in cap. cum P. Manconella, de accusationibus; in tantum, ut Patronus laicus non possit accusare Clericum institutum in Ecclesia, in qua est Patronus, ut communiter docent Doctores teste Aretino in cap. cum dilectus filius 20. post num. 10. de accusationibus, quem refert & sequitur Iulius Clarus in sua praxi criminali, lib. 5. §. finali, q. 14. num. 22. & alij relati per Quintilianum Mandosium in additionibus ad allegat. 11. Lapi, uerbo, Criminaliter, litera E. Et ideo uidetur dicendum, quod non poterit agere contra intrusum. Sed in hoc articulo, ut uera resolutio defumatur, tripliciter distinguendum est; Nam aut querela proponitur à laico parochiano, aut à laico patrono, aut à laico nec patrono, nec parochiano, & sic penitus extraneo.

Et in primo casu, si talis parochianus laicus 6 agat contra Rectorem, ex eo quod in parochiali sit intrusus, & petat quod in ea præficiatur, qui legitime, & cum Episcopi auctoritate administret Sacramenta, in tali casu subdistingendum est, an scilicet constet, & sit notorium, quod ille Rector, seu Curatus fuit immisus in possessionem auctoritate Episcopi, seu Ordinarij, ad quem de iure pertinet Confirmatio, & institutio, & tunc dicendum est, nullatenus querelam locum habere posse, ex regula Iuris docente, quod iuste possidet, qui auctoritate Iudicis possidet: l. iuste possidet 11. ff. de acquirenda possessione, cum suis concordantibus, & qui peccat, seu deficit cum legis auctoritate, nec deficit, nec peccat, ut plura referens latè tradit Tiraquellus ad l. 9. Connubialem, in principio, & ideo ille parochianus repellendus erit ab instantia, ut consuluit Fredericus de Senis cons. 103. incip. Parochialis cuiusdam

cuiusdam Ecclesie, num. 1. ubi latè agit de materia huius questionis.

- 7 Aut vero notoriè non constat, sed dubitatur, an talis Rector legitimè possideat: & tunc Parochianus laicus poterit pro suo interesse agere contra Clericum intrusum, ut à beneficio remoueat, ex eo capite, quod sit intrusus; quamuis aliàs criminaliter id efficere prohibeatur, ex d. cap. cum P. Manconella, de accusationibus, & ex his que tradit Mandosius ubi supra, in additionibus ad d. allegat. 11. Lapi, in d. verbo, Criminaliter.
- 8 Ratio autem cur admittatur Parochianus ad agendum actione ciuili contra Clericum intrusum, est, quia sua, & aliorum interest, legitimè habere Parochum, seu Clericum canonicè institutum, à quo licite Sacramenta recipere possint, ac solui & ligari; cum ex malo Rectore seu Parocho populus patiat, famem & sitim verbi Dei, & doctrinæ spiritualis, iuxta textum in cap. audacter. 8. q. 1. & ideo talis Parochianus in hoc secundo casu agere poterit: quam conclusionem tenuit Glossa in cap. venerabili 37. verbo, suspectus, vers. ad hanc autem denuntiationem, & c. de officio, & potestate iudicis delegati, & in cap. Maximianus, verbo, qualem querelam, 8. distinctè, & in cap. filius, vel nepotibus 3. verbo, denuntiant, 16. q. 7. & in cap. constitutum 60. verbo, conditoribus, 16. q. 1. & ita hanc sententiam cum Goffred. tuetur Abbas in cap. quod Dei timorem, in 4. notabili, de Statu Monach. optimè Ioan. Maria Belletus in tract. disquisitionum clericalium p. 1. tit. de Clerico debitore, §. 10. n. 4. pag. 390.
- 10 Et licet Hostiensis *ibidem*. n. 4. voluerit restringere hanc doctrinam, ut locum tantum habeat quoad Parochianum, & simul patronum: nam inquit, quod licet aliàs Parochiani possint petere, ut de bono Rectore ipsi prouideantur: & si fuerit malus, quod remoueat, ex ratione supra tradita; hoc tamen (ait Hostiensis) non est simpliciter verum, sed tunc demum, si ad populum seu parochianos spectet ius præsentandi, cap. querelam, de electione, cap. constitutum, 16. q. 1. aliàs enim non possunt se in electionibus intrmittere, cap. usus, cap. quisquis, cap. Massana, eodem titulo, de electione, sicut nec in aliis spiritualibus, ex his quæ notant communiter Doctores in cap. contingit, de arbit. & ex his limitat Hostiensis doctrinam Abbatis supra relata, deductam ex Goffred. quem ipse *ibidem* allegat.
- 11 Sed profecto hæc Hostiensis opinio vnica est, & singularis, & contra eam clamitant omnes ferè Doctores, & præterea conuincitur ex prædicta ratione, quam ipse

non negat; licet illam restringere velit quoad Patronum Parochianum, propter interesse proprium: sed destruitur prædicta restrictio, nam maius interesse habent parochiani, quam Patroni; cum illorum fortius interfit quod Rector sit bonus & legitimus, & quod malus & improbus (sicut est intrusus) remoueat, cum Parochiani teneantur recipere ab illo Sacramenta, & pabulo spirituali nutrir: Patroni vero licet aliàs aliquale habeant interesse, non tamen ita necessarium, & immediatum, & exinde maius præiudicium experiuntur Parochiani, ex quo habent Rectorem intrusum, qui eis Sacramenta administret, decipiendo ipsorum animas; quàm Patroni: nam in istis nullum aliud interesse considerari, aut prætendi potest, nisi illud quod resultat ex præsentatione.

Et negari non potest illud maius interesse Parochianorum quàm Patronorum, cum immediatè versetur circa salutem animæ, quæ dignior, & pretiosior est cunctis rebus temporalibus, quantum distat corpus ab illa, ut probaui in meo Pastoralis Regular. p. 2. q. 9. n. 19. & 20. ergo licet parochianus non sit Patronus, poterit agere ex sola qualitate parochialitatis; & ideo prior opinio est verissima, & sequenda; pro ut omnes Doctores profitentur in d. cap. ex parte, auctoritate prædictarum Glossarum: & in specie propositi dubij, videlicet quod laicus parochianus, etiam non patronus, agere possit ciuilitè contra Rectorem intrusum firmarunt Frederic. de Senis conf. 23. incip. Titius clericus & c. & conf. 103. incip. Parochialis cuiusdam Ecclesie: Ioan. Bapt. Ferretus conf. 183. incip. V. sis allegationibus & c. volum. 1. & ambo latè agunt de hoc articulo, & Lopus allegat. 11. ubi Additio Quintiliani Mandosij littera A. & littera F. alios allegat idem tenentes cum Ioan. de Selua de benef. p. 2. q. vltima, num. 22. vers. si enim sit patronus, eolum. penultima, & finali, & Iulius Clarus in praxi criminali, lib. 5. §. finali, q. 7. n. 9. ubi cum Aretino in cap. illa, n. 7. de accusat. tenet, quod regula generalis, ne laicus possit accusare, vel agere contra Clericum, fallit in Parochiano, & ita docet Loterius de re beneficiaria lib. 2. q. 46. num. 39.

Quæ sententia probatur primò, quia Parochianus laicus potest accusare Clericum pro sua, vel snorum iniuria, ut expressè deciditur in cap. de cetero 4. de testibus; & probant Farinacius in praxi criminali tom. 2. de oppositione contra testes, q. 6. num. 104. Ferretus in d. conf. 183. & in terminis Ignatius Lopez de Salcedo in additionibus

ad practicam criminalem Bernardi Diaz, cap. 4. verbo Accusare, vers. octauo, & ultra supra dictos & c. Ergo melius poterit pro iniuria animarum, ex ratione adducta supra, n. 7. & sequen.

15 Secundo quia quilibet laicus potest denunciare Clericum & accusare de crimine ab eo commisso, quod ipso iure redderet suam institutionem nullam & inualidam, & petere ut remoueat tanquam intrusus, & iniustus possessor, ut cum Anton. Ferreto, & aliis dicemus infra, in vltimo casu n. 33. & sequen. ergo fortius idem admittendum est in Parochiano, propter damnum quod experiri potest in deceptione suæ animæ, & conscientiæ, cum illo qui non sit verus & legitimus Rector, sed intrusus.

16 Tertiò, nam laicus Parochianus potest agere contra Rectorem, & Prælatum propter crimen dilapidationis, ut docent Ferretus in d. conf. 183. num. 3. Iulius Clarus in d. lib. 5. §. finali, q. 14. num. 21. vers. & est communis regula, & c. quos refert & sequitur Salcedo in addit. ad Bernar. in d. cap. 4. verbo, accusare, littera A. vers. tertio in crimine dilapidationis, & c. qui testantur hanc conclusionem

17 nem apud omnes Doctores communiter esse receptam, ex ea ratione, quia quoties in accusatione versatur crimen, seu ius publicum, tunc quilibet laicus, etiam extraneus, admittitur ad accusandum, sed negari non potest, resistere bono publico, quod Parochius, seu Rector, aut Prælatum intrusus administret iura spiritualia; cum tot damna, & inconuenientia exinde resultent contra animas deceptorum, existimantium illos esse veros & legitimos ministros: ergo talis laicus Parochianus poterit accusationem ciuilem, vel denuntiationem intentare, saltem pro suo interesse, ut per Fredericum, Lopus, & alios supra allegatos.

18 Quartò probatur ex Glossa in cap. ex parte, verbo, tacito, vers. vel dicas, & c. de testibus, ubi resoluit, quod ideo ille Miles non fuit admissus ad accusationem, quia non erat Parochianus, vel Patronus, & exinde non habebat interesse, ergo si fuisset Parochianus, vel habuisset aliquod interesse releuans, deberet admitti.

19 Vltimò ponderari potest, quod Salcedo ubi supra, enumerat decem casus, in quibus laici possunt accusare Clericos, quos comprobatur auctoritate iurium, & Doctorum, admittentium tales accusationes, seu potius denuntiationes, quæ non sunt maioris ponderis, aut publicæ utilitatis, quàm ea ut Rector, seu Parochus intrusus remoueat: ergo talis accusatio repelli non debet: & Tract. de Intrusione.

nouissimè Belletus disquisitionum Clericalium in d. p. 1. §. 10. n. 4.

Nec vrget ratio Hostiensis supra adducta, num. 10. videlicet, quod laici non possunt, nec debent se immiscere, vel intrmittere in electionibus, aut aliis spiritualibus: quia licet regulariter talis conclusio sit vera; fallit tamen quando resultat præiudicium, & damnum ipsorum, & habent interesse peculiare, ut in præsentis casu, ratione periculi animæ, quæ maximum detrimentum pateretur, si Sacramenta inualidè administrarentur per Rectorem intrusum, ut diximus.

Quæ quidem conclusio extenditur, & locum habet, etiam si talis laicus vteretur verbo, *Accuso*, quia illius significatio interpretanda venit ex fine ad quem tendit, & dirigitur conclusio libelli, ut aduertunt Fredericus de Senis in d. conf. 23. num. 3. & Anton. in d. cap. ex parte, nu. 13. post medium, de accusationibus.

Secundo extenditur, nam licet vilis persona remoueat ab accusatione (ut est notum) at in prædicto casu admitti debet, ut notant Felinus in d. cap. ex parte, num. 8. & accuratè Lopus in d. allegat. 11. num. 1. ibi, *Posito quod agentes sint laici, & viles, videtur quod non; quia tales remouentur ab accusatione: cap. cum P. cum materia, & quia ex quo priuatus est ipso iure, declaratio videtur superflua. Determinat contra, quia laicus, & vilis, ratione sui interesse agit contra Clericum de crimine ciuilitè, & etiam criminaliter, 4. q. 6. cap. omnibus, & de testibus, cap. de cetero, & c.* Hæc Lopus: qui circa illam partem, ubi asserit quod agi etiam possit criminaliter, intelligi debet, pro ut *ibidem* explicat Mandosius in additionibus ad eundem Lopus littera E.

Tertiò ampliatur, ut non solum Parochianus laicus audiri debeat contra Rectorem intrusum, sed etiam contra alium Prælatum inferiorem, vel superiorem, veluti Episcopum, licet alias contra hunc accusatio interdicta reperitur in cap. laici, 7. q. 2. ut in specie docet Fredericus de Senis in d. conf. 103. num. 1. vers. non solum contra Rectorem, & c. Quod probatur argumento textus in cap. tam literis 33. de testibus, & ex aliis iuribus; ex ea ratione, quia sua interest bonum habere Prælatum, qui intrauerit per ostium, ut possit ipsum soluere, & ligare, idemque docet Ferretus in d. conf. 183. num. 3. & 6. & 16.

Quartò ampliatur, ut nedum talis Parochianus audiri debeat contra Rectorem intrusum ex defectu tituli, ut quia nunquam, aut minus legitimè fuit institutus, P vtràm

- verum & etiam ratione criminis commissi, veluti Hæresis, Simonia, vel alterius, quod ipso iure reddat titulum, seu institutionem nullam, & irritam; ex quo contrahitur intrusio (vt saepe diximus in hoc tractatu) quibus in casibus quilibet laicus admittitur ad accusandum, cap. Sacerdotes, cap. Oves, 7. q. 2. & per ea iura ita tenet Salcedo in additionibus ad Bernardum in d. cap. 4. vers. primo in crimine hæresis, & dicemus infra in ultimo casu; ergo qui Parochianus fuerit, multo melius id efficere poterit.
- 25 Quinto ampliatur & locum habet prædicta resolutio contra Rectorem, vel Prælatum, etiam si ob crimen commissum, intrusio superuenisset post institutionem, vt innuit Lopus in d. allegat. 11. in principio, vbi tenet, posse Parochianum agere, vt Rector declaretur remorus à beneficio in vim iuris communis, vel alterius dispositionis particularis, quæ prius ipso iure concubinarium, &c. Quam Lapi allegationem sequuntur in hoc Anton. in d. cap. ex parte, num. 13. ante finem, vers. possit dici, & Panormitanus n. 5. post medium.
- 26 Sexto & vltimo ampliari debet, vt audiatur talis Parochianus non solum contra verè & propriè intrusum, sed etiam contra eum qui largè dicitur intrusus, vt est ille, qui crimen commisit, propter quod deponi debeat, aut vitium habeat, quo priuari possit beneficio, vel Prælatura; qui appellatur Quasi-intrusus, vt diximus supra q. 60. & ita tenet Antoninus in d. cap. ex parte, ante nu. 14. docens, quod si agatur de crimine non annullante ipsam institutionem, vel non priuante ipso iure institutum, siue sit ante, vel post institutionem, quod tunc Parochiani, & non alij erunt contradictores, & poterunt admitti, vt à beneficio, vel Prælatura remoueat propter delictum.
- 27 Et pro hac ampliatione ponderari potest, quod tradit Fredericus de Senis in d. conf. 23. vbi resoluit, laicum Parochianum posse agere, vt electus in prælatura amoueat propter crimen periurij, præcedens ipsam institutionem, tenendo quod periurium non priuat ipso iure, sed per sententiam, quæ communior est opinio secundum Felinum & alios in cap. 2. n. 3. de rescriptis. & hæc de primo casu.
- 28 Deueniendo iam ad secundum (de quo supra, num. 5.) an scilicet Patronus laicus possit agere contra intrusum, similiter dicendum est, admittendum esse, ex rationibus supra allegatis in primo casu propter suum interesse, vt patet ex textu in cap. constitutum 6. & ibi Glossa verbo, conditoribus. 1. 6. quest. 1. & ex alia Glossa in cap. filiis

31. verbo, denuntient, 16. q. 7. & concludunt communiter Doctores in dict. cap. ex parte, de accusationibus, vt per Felinum ibidem, n. 8. in 2. fallent. & Anton. num. 13. vers. secus si non habuisset, &c. Lap. in d. allegat. 11. & cum Lambert. de iure patron. lib. 3. art. 2. quest. 2. docet Salcedo in addit. ad Bernardum, in d. cap. 4. litera A. in fine, vers. decimo limita in patrono, &c. quod idem voluit Fredericus de Senis conf. 95. incip. super dubitationum articulis, &c. vbi num. 2. vers. item super eo quod queritur an Patrona: &c. querit, an Patronus possit amouere Abbatissam, quæ digna sit remotione, etiam si talis Patronus sit Religiosus, & resoluit, nullatenus id efficere posse, cum ei solum pertineat præsentare, sed non conferre, vel priuare, cap. cum & plantare, de privilegiis, cap. laici, 16. q. 7. cap. finali, de iure patronatus, Concilium Trid. sess. 25. cap. 3. vers. Patroni vero, de reformat. & latè tradit Spino in speculo testamentorum glos. 4. num. 90. in fine, & num. 91. poterit tamen petere, vt remoueat, si adsit iusta causa, ex qua remoueri debeat; & quod possit Patronus accusare Rectorem dilapidantem bona seu iura Ecclesiæ, & quod ad id ex ipso iure compellatur, tradit Barbof. ex Abbate, Rocho, & Lambertino in collectanea ad textum in cap. præterea 23. de iure patron. num. 5. & ideo dicendum est, posse Patronum laicum agere contra intrusum in beneficio, seu Prælatura, in quibus habet ius patronatus, & hoc propter interesse quod obtinet, sicut & potest Parochianus, ex rationibus supra allegatis, & in specie docuit Glossa in dict. cap. filiis, verbo, denuntient, 16. q. 7. per textum in cap. constitutum 60. in fine, & ibidem etiam Glossa verbo, conditoribus, 16. q. 1. & alios allegans docet Lotterius de re benefic. lib. 2. q. 46. num. 38.

In tertio denique casu (de quo supra, 31. n. 5.) nêpe de non parochiano, vel Patrono, sed penitus extraneo, voluit Abbas, ex d. cap. ex parte, ante n. 7. quod contra talem intrusum, vt à beneficio amoueat, admitti tantum debeant Parochiani, & Patroni, non verò alij, quorum specialiter non interest: quod probat Abbas duplici ratione: Prima, quia cum in tali articulo agi debeat ciuilitè, & non criminaliter, non sunt admittendi nisi illi tantum, qui speciale, & immediatum interesse habent, cap. non solent, 2. q. 6. cap. super eo 15. vbi Glossa verbo, sed partibus inter quas, de officio & potestate iudicis delegati, & ideo repellere debent, maximè cum præsumantur non bono zelo procedere, nam laici quidam Clericis sunt oppidò infensi, cap. laici, cap. laicos, 2. quest. 7.

- quæst. 7. & hoc est primum fundamentum Abbatis.
- 32 Secundum, quia cum ex tali actu intrusionis tendat laicus ad priuationem beneficii, consequenter habet aliqualem speciem accusationis, ex qua nullum commodum ipsi laico accusanti applicatur, ex quo sequitur, non esse admittendum, cum videatur id efficere potius ex odio, & mala voluntate, quàm ex proprio interesse causato ex honesto zelo.
- 33 Sed contraria sententia videtur de mente Frederici de Senis in d. conf. 23. vbi licet formet quæstionem de laico Parochiano, num. 2. vers. sed quando agitur, idem concludit in quolibet alio patrono, parochiano, vel non parochiano; ex ea ratione, quia tunc non est propriè accusatio, cum non agatur ad depositionem immediatè, sed vt à beneficio remoueat, quod quidem ciuilitè intentari potest, vt habetur in cap. per tuas, de simonia, quem textum ad literam probare hanc sententiam testatur Ferrerius in d. conf. 183. num. 1. & ibidem eam tuetur, ipsamque firmat Anton. in d. cap. ex parte, ante num. 14. vers. possit dici, asserens, quod si opponatur, vel agatur de crimine commissio ante institutionem, vel promotionem, quod eam ipso iure inuolueret, ex quo efficitur quis intrusus, tunc quilibet de populo admitti debet, cum ex actu charitatis cuiusque intersit, ne anima fratris miserabiliter decipiatur.
- 34 Ex quo resultat, quod talis denunciatio respicit vindictam publicam, & ideo tantquam ob bonum vniuersale, omnibus permittitur hanc actionem ciuilitè intentare, vt cordatè probat Ferrerius in d. conf. 183. num. 1. circa medium, vbi num. 2. resoluit, non obstare quod ipsius non intersit; quia satis est quod aliquo modo & casu possit interesse: & sumit argumentum ex his, quæ docuit Imola in l. i. colum. vltima, ff. de publicis iudiciis, videlicet quod si in Ciuitate Bononiæ esset aliquid appensum in via, quod posset nocere transeuntibus, si caderet; quod etiam Vrinenfis, vel alius quilibet exterius, posset agere. & accusare, non obstante, quod esset de alieno populo, iuxta doctrinam Glossæ in l. 2. §. penultimo, verbo, actoris, ff. ne quid in loco publico, quæ plura ad intentum congerit, & ibidem restatur, hanc esse communem opinionem. Ex cuius resolutione in nostro casu eodem prorsus modo concludendum videtur; nam talis actio ciuilitè intentata per laicum non Parochianum, nec Patronum admitti debet, prout declarauit Rota in Casalensis, seu nullius 4. Iunii 1597. coram Gypso, & Tract. de Intrusione.
- haberetur impressa in nouiter nouissim. Farinacij decis. 622. & est tenoris sequentis.
- Dubitarum fuit, an hæc causa esset beneficiæ, & mixta, & an Illust. Card. ageret ciuilitè? & die Lunæ 9. Iunii præteriti fuit resolutum, esse beneficiale: Præterea cum super aliis partibus dubij ageretur; Domini circa vltimam partem censuerunt agi ciuilitè, quia licet D. Cardinalis præcedat, D. Octavianum aduersarium, ob homicidium in personam eius Nouercæ commissum, esse inhabilem ad obtinendam Præposituram, de qua nihil agitur, nihilominus hinc non sequitur, quod non possit agere ciuilitè; textus est in cap. super his, in fine, vers. licet enim, & ibi Abbas, n. 4. Felinus num. 2. post Aret. num. 11. & 12. qui optimè declarat, de accusationibus. Præsertim cum non agatur ad pœnam priuationis, vel aliam fisco applicandam, sed solum ad Præposituram: ad hoc vt (sicut prius) vacaret per obitum. Vnde fit, vt actio intentata iudicetur ciuilibis, & non criminalis: cap. per tuas, in fine, de simonia, Fredericus de Senis conf. 23. num. 2. Socinus iunior conf. 99. num. 26. lib. 2. Clarus post alios in practica criminali, q. 1. vers. quintus est actus, cum aliis ab informantibus citatis.
- Nec ad rem pertinet, quod Illust. Card. coactus fuerit accusare, & se in forma iuris inscribere: Quoniam huiusmodi accusatio, & inscriptio, quæ de iure Canonico requiritur, dicto cap. super his, & ita in praxi seruari restatur Præpositus in cap. finali, §. libellorum, num. 23. c. 8. quest. 8. fit ad alium finem & effectum, & non ad hoc, vt accusator non possit agere ciuilitè, vt clarè colligitur ex iuribus supra citatis. & in istis terminis voluerunt Domini in vna Hispanen. Beneficij 18. Februarij 1581. apud bon. mem. Episcopum Lauretanum.
- Ex qua decisione inferitur, quod actio intentata aduersus eum, qui ob aliquod delictum commissum efficitur de iure inhabilis ad consequendum beneficium, vel post institutionem priuandus venit, censenda erit ciuilibis, & non criminalis, & consequenter non impediatur laicus, quin ea vti valeat, & exinde poterit illam proponere contra Clericum ex capite intrusionis, quæ influit, vt tendat ad vindictam publicam, & sit popularis: ex traditis à Ferrerius in d. conf. 183. n. 2. & 6.
- Nec Abbatis fundamenta vrgent, nam ad primum (de quo supra, nu. 30. & sequen.) responderetur, quod immò cuiuslibet laici specialiter interest, ne intrusus Rector, vel Prælatum, aut alius quisquam administret Sacramenta illegitimè, & sine titulo, ne

anima Fratris, vel proximi sui miserabiliter decipatur, quod sufficit propter bonum commune, ad effectum de quo agimus, ex rationibus, & motiuis de quibus supra, quæ adæquatè satisfaciunt primo argumento Abbatis.

42 Sic similiter non obstat secundum, quod priuatio, seu amotio à beneficio habeat quandam speciem accusationis: quia (vt fatis probauimus, & communiter concludunt Doctores) hæc non est propriè accusatio, sed potius quædam denunciatio, vel actio ciuilis, quæ cum tendat ad punitionem delicti, ex quo non resultat infamia iuris, sed facti, hæc nunquam priuat iam obtentis beneficiis, vt notant communiter Doctores in d. cap. super his 16. de accusat. per illa verba, sed non deicit iam promotum, &c. vt accuratè cum aliis docuit Petrus Barbosa in l. cum Prætor, §. fin. num. 193. ff. de iudiciis, vbi num. 194. & sequen. rationem assignat, & latè agit de hoc articulo: sequitur quod talis actio ciuilis laico nullatenus est interdicta, & ideo agere poterit.

Ex quibus concludendum est, posse agere laicum Patronum, sicut & etiam laicum Parochianum, vel non Parochianum contra Intrusum, vt à beneficio remoueat dummodo id fiat ciuilitè, vel per viam denuntiationis, prout diximus supra.

QVÆSTIO LXIII.

Si Canonicus recipiat præbendam de manu Prælati intrusi, an postea contra eum agere possit, vt tanquam intrusus, à Prælatura remoueat.

S V M M A R I V M.

Canonicus recipiens præbendam de manu Prælati intrusi, non potest agere contra eum, vt tanquam intrusus à Prælatura remoueat. num. 1. & 4. Contra n. 7.

Intellige vt num. 11. & seqq.

Legatarius recipiens legatum de manu heredis, ex testamento, quod annullare poterat, si id scienter effecit, impeditur ne querelam proponere possit; secus si ignoranter. n. 2. & 3.

Intellige vt n. 11. & seqq.

Legatarius recipiens legatum de manu heredis, ex testamento quod rumpere potest, videtur se voluisse conformare cum voluntate testatoris, renunciando iuri suo. numer. 4.

Canonicus exhibens reuerentiam Prælati intruso, tanquam legitimo, videtur illum approbare, & iuri suo renunciare, ne agere possit vt à Prælatura remoueat. n. 5.

Intellige vt n. 16. & 17.

Colligens si nominat eum, cum quo litigat, vel ad illum scribit vti Archidiaconum, vel Canonicum, super quibus qualitatibus lis vertitur; videtur renuntiare iuri suo. num. 6.

Legatarius si consequatur legatum ab herede indigno, veluti quia testatoris necem non vindicauit, potest post acceptum legatum, petere vt tanquam hæres indignus ab hereditate remoueat. n. 7.

Intellige vt n. 11. & seqq.

Legatarius recipiens legatum ex testamento falso, aut nullo, vel minus solemnè, potest admitti ad annullandum testamentum, vt heredi auferatur hereditas. n. 8.

Intellige vt n. 11.

Procurator agens nomine sui principalis, habentis gratiam expectatiuam, non impeditur quominus postea nomine suo agere possit contra principalem. n. 9.

Intellige vt n. 17.

Contrahens cum aliquo tanquam Prælati, admitti potest ad probandum, illum non esse Prælatum, sed intrusum. n. 10.

Testamentum quod sit falsum, aut nullum, vel minus solemnè, non pendet ex voluntate legatarij. n. 11. & 12.

Canonicus recipiens præbendam de manu Prælati intrusi agere non potest contra eum, vt à Prælatura remoueat, si intruso pendeat ex facto ipsius Canonici; secus autem si ex eius voluntate, & facto non pendeat. n. 12. & 13. & 18.

Renunciatio facta per nuncium, vel per epistolam, operatur eundem effectum, ac si esset facta per Procuratorem. n. 14.

Qualitas verborum scriptorum est testimonium mentis, & intentionis. n. 15.

Reuerentia exhibita Prælati intruso tunc demum præiudicat, quando is qui illam exhibet, prætendebat ius habere in ipsa, secus autem erit, si ignoranter id effecerit. n. 16. & 17.



ANC quæstionem mouet in terminis Dynus in cap. 1. q. 9. n. 53. de regul. iur. in 6. & pro parte negatiua; videlicet talem Canonicum recipientem præbendam de manu Prælati intrusi, non posse agere contra ipsum, vt tanquam intrusus à Prælatura remoueat, suadet ex eo.

Primo, quia si aliquis recipit legatum ab hærede instituto in testamento, quod annullare

nullare potest per querelam inofficij testamenti, vel contra tabulas, si id scienter consequutus fuerit, & antea non reclamauerit, non poterit querelam proponere post receptionem legati, quia per eam, iuri suo tacitè renunciare videtur: l. si pars 10. §. finali. ff. de inofficij testamento, ibi, illud notissimum est, eum qui legatum perceperit, non rectè de inofficij dicturum, &c.

3 Idemque probatur ex l. filium, §. omnibus ff. de legatis præstandis, & ex l. in seruitutem, §. si quis ff. de bonis libertorum, l. post legatum, in principio, ff. de his que vt indignis, ibi: Post legatum acceptum non tantum licet falsum arguere testamentum, sed & non iure factum contendere, inofficij autem dicere non permittitur, &c.

4 Et ratio est, quia tunc præsumitur, legatarium adimplere voluisse voluntatem testatoris, & cum ea se conformare, iuxta textum in l. si is qui admittitur 31. §. quid ergo, eodem titulo, de inofficij testamento; ergo similiter dicendum videtur, quod si Canonicus recepit præbendam à Prælati intruso, nullatenus agere poterit, vt à Prælatura remoueat, cum ex tali receptione renunciaffe videatur iuri dicendi nullam illius institutionem.

5 Secundo pro hac sententia ponderari potest elegans decisio textus in cap. ex ore, de his que fiunt à maiore parte Capituli, ex quo probatur, quod si Canonicus exhibeat reuerentiam Prælati intruso, tanquam legitime & canonicè instituto, videtur illum approbare, & consequenter iuri suo renunciare: quem textum ibidem n. 5. ponderat Abbas, & dicit menti tenendum, in quarto notabili, & n. 9. ver. in gl. §. penultima.

6 Et conducunt tradita à Rebuffo plures referens, in tract. nominationum, q. 1. n. 9. vbi probat, quod si colligens nominaret eum, cum quo litigat, vel ad illum sic scriberet vti Archidiaconum, vel Canonicum, super quibus qualitatibus lis vertitur, tunc videretur renunciare iuri suo: ergo si ex sola reuerentia quam exhibuit Canonicus Prælati intruso, vel quia colligens scripserit, vel nominauerit, videtur iuri suo renunciaffe, multo fortius in præsentia dicendum suadet, non posse Canonicum post receptionem præbendæ de manu Prælati intrusi agere contra eum, vt tanquam intrusus à Prælatura remoueat.

7 Contrariam tamen opinionem, videlicet quod talis Canonicus agere valeat probatur ex textu in l. fideicommissum 26. ff. ad S. C. Syllanianum, ex quo deducitur, quod si legatarius consequatur legatum ab hærede indigno, veluti quia testatoris necem

Tract. de Intrusione.

non vindicauerat; poterit eo non obstante petere, post acceptum legatum, vt remoueat hæres tanquam indignus; ergo eodem prorsus modo licebit ei, qui accepit Præbendam à Prælati intruso, vt ipse à Prælatura remoueat propter intrusionem commissam.

Secundo, quia vt patet ex d. l. post legatum, in principio, & in §. de eo vero, ff. de his que vt indignis, legatarius recipiens legatum ex testamento falso, aut nullo, vel minus solemnè, potest admitti ad dicendum nullum, vel falsum testamentum, vt tali hæredi hereditas auferatur; ergo &c. Et ex his fundamentis hanc sententiam tueretur Dynus in d. cap. 1. de regulis iuris in 6. in q. 9. num. 54. in fine, & sequen. vbi respondet contrariis.

Et pro opinione Dyni addi potest, quod fuit resolutum in Rota decis. 34. abbas 4. 5. quæ incipit, Si secundus in data, sub tit. de procuratoribus, in nouis, vbi fuit dictum, quod si Petrus egit vt Procurator Ioannis, habentis gratiam expectatiuam, potuit nihilominus agere nomine suo contra Ioannem; & consequenter idem videtur dicendum in nostro casu prout ita innuere videntur Ioannes Andreas & Franc. in d. cap. 1. Bald & Florian. in l. quidam 15. ff. de probationibus, vbi argumento illius textus resoluunt, quod contrahens cum aliquo, tanquam Prælati, admitti debet ad probandum non esse verum Prælatum, sed intrusum.

Quibus sic constitutis, in hac opinio- num contrarietate existimo, distinctionis fœdere componendum esse hoc dubium, & ambas opiniones in concordiam reducendas, videlicet quod si defectus Prælati intrusi non pendeat ex facto Canonici recipientis præbendam de manu illius, in tali casu ipse Canonicus non impeditur, quominus dicere valeat institutionem nullam, vel inualem, aut minus canonicam, ex iuribus adductis supra, n. 7. & sequen. pro secunda sententia; ex quibus resultat, quod ideo ille legatarius, qui consequutus fuit legatum ab herede indigno, qui necem defuncti non vindicauit, vel quia filius legitimus putabatur, qui reuera erat spurius, seu quia hæres erat institutus in testamento falso, aut minus solemnè, potuit agere licet legatum adeptus fuerit: nam cum hæc non pendeat ex facto, & voluntate ipsius legatarij, ex qua nullatenus pendere potest, an hæres esset indignus, vel filius illegitimus seu spurius, vel testamentum falsum, aut minus solemnè, exinde sequitur, quod cum id non procedat ex facto suo, non debet

P 3 excludi,

excludi, vt agere valeat: & ex hoc motiuo colligitur, quod si ex facto, & voluntate Canonici recipientis præbendam de manu Prælati intrusi, non penderet defectus, ex quo resultabat intrusio, vel alias ipse operam non dedit, vt titulus infectus, quo talis Prælati munitus existebat, in eo radicans permaneret, vtique in eo casu agere poterit; argumento sumpto ex fundamentis ponderatis pro secunda sententia, quæ in hunc sensum intelligenda est.

¹³ At verò si talis intrusio Prælati resultaret ex facto ipsius Canonici, recipientis præbendam ab illo, tunc profecto impeditus remanebit ne agere valeat: argumento deducto ex fundamentis pro prima sententia, ex d. l. si pars, §. finali, ff. de inofficioso testamento, nam ex eo ille legatarius, qui accepit legatum ab hærede, ex testamento quod inofficiosum dicere poterat, vel rumpere per contra tabulas, non potest postmodum querelam intentare, quia ex ipsius facto proprio pendebat annullare, vel infringere testamentum: quod cum non effecisset approbavit illud; & ex hoc, iuri suo cessit: & ex eadem profus ratione procedunt, & intelligenda sunt cætera iura superius allegata, n. 2. & 3.

¹⁴ Et hæc clariora fiunt ex eo, quod renunciatio facta per literas missiuas, vel per nuncium, operatur eundem effectum, ac si esset facta per Procuratorem, vt cum Ant. de Butrio, Ioan. Andr. Geminiano, & aliis in cap. si te præbendam, de renunciatione, in 6. docet Flaminius Parisius de renunciatione beneficiorum, lib. 1. q. 13, n. 26. & sequen. nam sicut qualitas verborum scriptorum est mentis & intentionis testimonium, vt probant Baldus in Rubrica C. de probationibus, Menoch. de arbitrariis, q. 7. n. 75. quos cum aliis refert ad propositum Parisius vbi proximè, n. 29. sic similiter factum proprium talis Canonici recipientis præbendam de manu Prælati intrusi, quem talem esse sciebat, inducet renunciationem ex testimonio mentis, & voluntatis, quæ sufficiens erit, ne agere possit vt à Prælatu remoueat.

¹⁶ Et hæc doctrina confirmari potest ex his quæ diximus supra, n. 4. ex d. c. ex ore, de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, nam reuerentia exhibita Prælato intruso tunc demum præiudicat, quādo is qui illam exhibuit, prætendebat habere ius in ipsa Prælatu, in qua ille se intrusit, quo casu cum reuerentiam exhibens ignorare non possit infectionem tituli, per quam intendit ius habere, eo ipso quod reuerentiam præstitit intruso, tanquam legitime constituto in

Prælatu, vel Officio, tacite videtur renu-
ciare iuri suo.

¹⁷ Quod quidem locum non haberet, si ipse bona fide, & ignorans d. intrusorem, illam reuerentiam exhibuisset; quia tunc ipsa non obstante impediri non posset quominus agere valeret; & hæc resolutio comprobatur ex d. decis. 34. alias 415. sub tit. de procurat. in nouis, in vers. Quibus iuribus, & motiuis non obstantibus, &c. vbi fuit resolutum, quod ideo ille Procurator fuit admissus ad agendum contra principalem in ea causa, in qua fuit Procurator, quia ignorabat ius quod in ea habebat; & hoc sufficit ne excludatur, licet aliàs si sciisset, excludendus venisset, &c. Ex qua resolutione idem in nostro casu dicendum est, ita vt ex facto, & scientia, vel ex ignorantia resultet habitas, vel inhabilitas, vt agi possit, vel non, contra Prælatum intrusum; & iuxta hunc intellectum interpretanda est prima, & secunda sententia, & cum prædicta distinctione ambæ in concordiam rediguntur.

¹⁸ Ex quibus in præsentis dubio concludendum est, quod tunc demum Canonici recipientis præbendam de manu intrusi, agere poterit contra eum, vt à prælatu remoueat, quando ex facto suo, & certa scientia, intrusio non fuit executata: vt si illa acciderit ex facto proprio, sciendo intrusorem, nullatenus poterit actionem intentare, quia in tali casu iuri suo renunciauit: & ita videtur concludendum.

QVÆSTIO LXIV.

Quomodo formari debeat libellus contra intrusum.

S V M M A R I V M.

Libellus contra intrusum quomodo formandus sit. n. 1. & 3.

Beneficium de iure conferri non potest, nisi ab Ecclesiastica persona. n. 2.

Libellus contra intrusum, qui consensit electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, quomodo concipi debeat. 4. & 7.

Intrusio facta per abusum secularis potestatis, quando dicatur. n. 4.

Intrusio in beneficio dicitur ille, qui per abusum potestatis secularis se ingessit in illo. n. 5. & 6.

Laici admitti non debent ad electionem Ecclesiasticorum Prælatorum. n. 5.

Clerici non possunt immediatè obtinere Ecclesiam de manu laicorum. n. 6.

obtinens

obtinens beneficium de manu laici, an sit inhabilis ad omnia beneficia: an verò solum ad illud, quod à laico fuit consequutus. num. 6.

¹ **I**N Quæstionibus antecedentibus late disputauimus, quis agere possit contra intrusum in Prælatu, vel beneficio, aut Officio, vt propter intrusionem ab eis remoueat; modò succedit præscribere formam, & praxim libellandi contra ipsum; de quo articulo copiosè disserit Anton. de Butrio, omnino videndus, in cap. querelam 24. de electione, in tercio notabili, num. 5. cum sequen. quia plura aduertit notatu digna, quæ magis, vel minus conducere poterunt ad effectum formandi libellum: Sed in specie Gulielmus Durandus, seu Speculator lib. 4. §. 1. incipiente, Ad electionem celebrandam, num. 63. sub titulo de electione, sic contra intrusum format libellum.

² Et antequam ipsius verba referam, supponendum est, quod apud omnes Doctores est in confesso, videlicet non posse de iure beneficium conferri nisi ab Ecclesiastica persona, veluti Episcopo, Prælato, aut alio fulgente tali facultate, cap. Messana, cap. Sacrosancta, de electione, cum aliis pluribus adductis per Garciam de beneficiis, p. 1. cap. 2. n. 32. Gonzalez ad Regulam 8. Cancell. glos. 5. n. 10. Paulum Comitoli. lib. 1. respons. moral. q. 78. & ad cap. si quis Episcopus, & ad cap. si quis Clericus, 16. q. 7. & in hoc conueniunt omnes.

³ Quo sic supposito, docet Speculator, in hunc modum concipiendum fore libellum contra intrusum: *Coram N. propono contra M. quod ipse laicali fultus potentia, corporalem possessionem talis Ecclesie est ingressus, & in ea quotidie debacchatur, & eam in meum præiudicium, & grauarum, & anime sua periculum detinet occupatam, in scandalum proximorum: Quare peto, eum à possessione talis Ecclesie remoueri, & cum penitus repelli, & sibi super eam perpetuum silentium imponi, ex cap. si quis deinceps 12. & cap. sequenti, 16. q. 7.*

⁴ Secundo notandum est ex ipso Speculatore vbi supra, quod si talis intrusus consensit electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, formandus erit libellus prevt infra dicitur; & tunc iudicabitur electio facta per abusum secularis potestatis, quando Clerici requirunt Laicos, vt interueniant in electione, vel quando postulant assensum Principis secularis super certa persona eligenda, aut si minis alicuius Supremæ secularis Potestatis electores cõ-

cludunt electionem; vt docuit Innocentius in cap. quisquis 43. de electione, quem refert & sequitur Tamburinus de iure Abbatum tom. 1. disput. 5. q. 2. num. 11. Et in tali casu, qui ex illa electione se ingesserit in Prælatu, seu beneficio, erit intrusus: ex ea nimium ratione, quia ad electionem Prælatorum Ecclesiasticorum, laici non debent, nec possunt admitti; de quo articulo late agit Suarez de censuris, tom. 5. disp. 31. sect. 3. num. 12. & sequen. quia Clerici nullatenus immediatè obtinere possunt Ecclesiam de manu laicorum, vt diximus supra num. 2. cum Garcia & aliis, quibus iunge Azor. p. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 4. q. 28. vbi late disputat an ille, qui obtinuit beneficium auctoritate laici, sit inhabilis ad omnia beneficia, an verò solum ad illud, vel illa, quæ à laico fuit consequutus, apud quem videre poteris, ne extra institutum propositi dubij immoremur, cum ex dictis satis liqueat, quod consentiens electioni de se factæ per abusum secularis Potestatis, erit intrusus, contra quem libellus ex mente Speculatoris ita formandus venit: *Coram N. propono contra P. quod ipse per abusum, vel impressionem Secularis Potestatis electus, sibi electioni de se factæ consensit contra constitutionem Concilij Generalis; & his non contentus, in ea se procurauit institui, seu intrudi; de præbenda sollicitus potius, quam de cura: Quare peto, electionem illam nullam per Vos pronunciaris; & eum ineligibilem fore sententialiter declarari, & à possessione dictæ Ecclesie amoueri, & amouendum fore decerni, ex dispositione iuris in cap. bonæ, el. primero, & cap. quisquis, de electione, &c. Quo libello sic oblato ad vteriora procedendum erit, vt eisdem ferè verbis ita docuit Speculator vbi supra.*

An autem talis intrusus, contra quem prædictus libellus fuit porrectus, possit contra actorem dare obiectus, petendo excludi, ne causam prosequatur, dicemus infra, in quæstione sequenti.

QVÆSTIO LXV.

Intrusus conuentus super beneficio an possit dare obiectus contra Actorem, & illum excludere.

S V M M A R I V M.

Intrusus cõuentus super beneficio an possit dare obiectus contra actorem, vt ab instantia remoueat. n. 1. & 2.

P 4

Possessor,

Possessor, etiam intrusus in beneficio, potest excludere actorem per obiectus. n. 2.

Quod extendit, etiam si beneficium esset reseruatum. n. 16.

Reus & possessor beneficii, licet non sit aliquo titulo munitus, non est remouendus, sed absolueudus ab impetitione actoris, si de istius non iure constat. n. 3.

Possidens res alienas, licet iustum titulum tenendi eas non habeat, non cogitur ipsas restituere actori, non implenti nec probanti suam intentionem. n. 4.

Actore non probante Reus, etiam intrusus in beneficio, absoluitur, ne per illius instantiam a possessione remoueat. n. 5. & 19.

Iura magis abhorrent, quod non habens titulum se intrudat in beneficio, quam quod iam possidens, licet intrusè, & iniuste, per illum a possessione eiiciatur. n. 5.

Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. num. 5.

Causa conseruationis potentior est, quam noua acquisitionis. n. 6.

Factum facilius adiunatur, quam ut de nouo aliquid fiat, & prius conseruari debet, quod iam est factum, quam permitti ut de nouo fiat. n. 7.

Intrusus possessor conuentus per actorem non habentem ius, potest dare obiectus contra eum, ne agere possit, ut a possessione remoueat, non docto de titulo, per quem prætendit eiectionem. n. 8.

Intellige ut n. 9. & sequen.

Possidens illegitimè quando possit dare obiectus contra actorem, ne agere possit, ut ad vltiora procedat. n. 9.

Interdictum retinendæ possessionis fauorabilius est, quam adipiscendæ. n. 10.

Possessionis resentio facilius conceditur, quam noua restitutio. n. 10.

Intrusus possessor non est remouendus a possessione per actorem, agentem ex interdicto Retinendæ, si careat iure; & idem erit si agat ex interdicto Acquirendæ, & Recuperandæ. num. 11.

Certans sine iure pro acquirenda, vel recuperanda possessione, non debet audiri, sed expelli, quia aliàs consequeretur vitiosum ingressum. n. 12.

Contendens pro possessione retinenda, non potest expelli, nisi per illum cuius interest, ratione iuris quod habet. n. 13.

Possessio alterius narranda est in prouisione de beneficio faciendâ per Papam, vel Legatum; aliàs erit subreptitia. n. 13.

Actor de titulus aliquo legitimo iure, non potest efficere, ut per suam instantiam intrusus possessor beneficii remoueat a possessione. n. 14.

Quod extendit, etiam si beneficium esset reseruatum. num. 16.

Intrusus possessor vincens per non ius actoris, licet aliàs ex ea instantia absolueudus veniat; attamen officio Iudicis remoueri debet. num. 15.

Intrusus possidens beneficium reseruatum potest dare obiectus contra actorem, carentem iure. n. 16.

Intrusus non potest dare obiectus, nec opponere exceptionem non iuris actoris, si ipse attentauit. n. 17.

Intrusus in beneficio lite pendente, non potest dare obiectus contra actorem, propter delictam attentatorum ab ipso commissam. numer. 18. & 20.

Possessor beneficii in quo se intrusit propter subrogationem factam ab Ordinario in locum demortui colligantis, non potest dare obiectus contra actorem. n. 18.

Actore non probante, Reus absolui debet, etiam si de non iure Rei constaret per ipsius confessionem. n. 19.

Attentans lite pendente non potest dare obiectus contra Reum, etiam si iste non doceat de suo iure. n. 20. & 21.

Reus possessor potest dare obiectus contra actorem, cum ei sufficiat vincere per non ius actoris. n. 21.

Intellige ut n. 22.

Reus qui se intrusit in beneficio ante motam litem poterit dare obiectus contra actorem, & eum vincere propter ipsius non ius; secus autem si se intrusit lite pendente. numer. 23.

Rost explanationem adductam supra, in questionibus antecedentibus de illis, qui contra intrusum agere possunt, & postquam in questione præcedenti præscriptimus praxim, & modum formandi libellum contra talem intrusum; nunc succedit inquirere, an possit ipse Conuentus dare obiectus contra Actorem, ad effectum excludendi eum, ne in causa vltèrius procedere valeat, sed immò quod ab instantia remoueat.

In quo articulo dicendum videtur posse talem intrusum dare obiectus contra Actorem, ex mente Rotæ decis. 7. aliàs 418. quæ incipit, Nota quod Reus, & possessor, sub titulo, de exceptionibus, in antiquis, vbi fuit declaratum, quod possessor, etiam intrusus, potest excludere actorem per obiectus: idemque probatur etiam ex decis. 4. aliàs 160. incipiente, Reus & Possessor beneficii, sub titulo, de re iudicata, in nouis, ex qua colligitur, quod Reus & possessor, de cuius non iure constat

constat (& exinde est intrusus) potest excludere actorem per obiectus, tam in personam, quam in gratiam; vnde si constat de non iure actoris, licet reus possessor non sit aliquo iure, vel titulo munitus, & consequenter intrusus, eo tamen non obstante amoueri non debet à possessione, sed potius absolueudus venit ab impetitione Actoris: ex dispositione textus in l. res alienas 28. C. de rei vendicatione, quæ ita ait: Res alienas possidens, licet iustam tenendi causam nullam habeat, non nisi suam intentionem implenti, restituere cogitur, &c. & ita docent Castillo tom. 7. de Tertius, cap. 7. n. 3. & sequ. Petrus Barbosa ad l. si alienam 12. num. 3. in fine, vershis ita explicatis, & n. 4. & sequen. ff. soluto matrimonio, tom. 2. & alij penes ipsos, & in terminis tradit Felinus in cap. olim ex literis 25. num. 10. in 3. limit. de rescript. Rebus. in praxi. p. 1. ad regul. 16. de non tollendo ius quæsitum. glos. 7. n. 2. & 9.

5 Et ratio est ex mente Felini vbi proximè, quia magis abhorrent iura, quod non habens titulum se intrudat in beneficio, quam quod intrusus licet iniuste possidens, per illum eiiciatur à possessione; ex regula iuris, Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes: cap. Quem admodum, §. alioquin de iure iurando, Card. Tuschus tom. 3. litera F. conclus. 12. num. 4. & communiter Doctores, & semper causa conseruationis, tanquam fauorabilior causæ nouæ acquisitionis, præualere debet: ut post alios cum Alciato in l. unica, num. 45. C. de sententiis qua pro eo quod interest proferuntur, docuit Menoch. conf. 32. n. 37. volum. 1. & ut aduertit 7 Surdus, alios referens, decis. 40. n. 5. facilius adiunatur factum, quam ut de nouo aliquid fiat: l. finali, §. penultimo, C. de donat. ante nuptias; & insuper prius conseruari debet quod iam est factum, quam permitti ut de nouo fiat: l. patre furioso, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, ut per Menoch. de retinenda possessione, remed. 3. n. 679.

8 Ex quibus omnibus colligitur, posse intrusum conuentum dare obiectus contra Actorem, non habentem ius, ut excludatur, ne contra eum agere possit, ut à possessione remoueat, non docto de legitimo titulo, ob quem prætendit eiectionem. Enimvero si constat de non iure actoris, reus possessor, licet aliàs intrusus, non debet à sua possessione expelli, etiam si ius legitimum in ipsa possessione non habeat, & consequenter absolueudus venit ab impetitione actoris: reo enim sufficit vincere per non ius actoris, ut tradit Antonius Niger in tract. de exceptionibus remorantibus, cap. 13. §. 9. num. 3. & accuratè ex Compost. &

Innocen. tenuit Rota in d. decis. 4. aliàs 160. sub titulo, de re iudicata, n. 2. & faciunt quæ dicemus infra, q. 70.

Hæc tamen intelligenda sunt secundum 9 Felinum in d. cap. cum olim, num. 10. vers. limita 3. ex dictis Rota, Quando agitur de possessione beneficii retinendâ, quia etiam si constat de non iure possidentis, si tamen doceatur de non iure actoris, talis obiectus propositus per possessorem operabitur contra ipsum actorem, ne possidens quamuis illegitimè, remoueri debeat.

Quia, ut ait Menoch. in d. remed. 3. num. 10. 678. & 679. fauorabilior est causâ retinendi, quam adipiscendâ; & facilius retentio possessionis, quam noua restitutio conceditur: l. 2. vbi Bald. C. de fideicommissis, Socin. iunior conf. 1. n. 20. lib. 1. quos refert & sequitur Menoch. de retinendâ possessione, remed. vltimo, num. 19. & ideo talis intrusus remouendus non est per actorem carentem iure, si agat de possessione retinenda.

At verò si aliquis contendat pro acquirenda, vel recuperanda, in tali casu (ait Felinus) si constat de non iure certantis pro possessione, non auditur, ut patet ex d. decis. 4. de re iudicata, in nouis, & ex decis. 2. aliàs 55. quæ incipit, Ad instantiam illius, &c. ut lite pendente in nouis, & ex alia decis. 2. incip. Fuit dubitatum vtrum petenti, &c. num. 4. sub tit. de restitut. spoliati. similiter in nouis, & tunc etiam non debet audiri: quia talis certans sine iure pro acquirenda, vel recuperanda possessione, si admitteretur, vitiosum consequeretur ingressum: & de iure, in dubio, ex eo solo interdicitur, ne immisio fiat in realem possessionem; ut patet ex textu in cap. unico, de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruanda, & tradit Boërius decis. 89. num. 1. Attamen contendens 13 de possessione retinenda non debet expelli, nisi per illum, cuius interest ratione iuris, quod habeat: cap. cum nostris 6. & ibi Innocentius, de concessione prebendæ, & ideo in prouisione faciendâ per Papam, vel Legatum, narranda est alterius possessio, ut expelli debeat, aliàs erit subreptitia: ut cum pluribus docet Garcia de beneficiis 10. p. cap. 1. num. 48. & exinde actor destitutus aliquo iure legitimo non potest efficere, ut per suam instantiam intrusus possessor remoueat à possessione, provt eisdem ferè verbis notauit Felinus vbi supra, & ante eum Rota in d. decis. 4. aliàs 160. de re iudicata, in nouis.

Nec obstat, quod contra prædicta replicari possit, nempe talem intrusum, vincen- 15 tem per non ius actoris, consequi, ut sine titulo remaneat in possessione, & consequenter

quenter ex delicto commodum reportabit: Quia respondetur, intrusum ex eo non esse confouendum in possessione, sed immo ab Ordinario ex officio, (non vero ex instantia Actoris certantis sine titulo) remouendum fore; vt cordatè aduertit Rota in d. decis. 7. alias 418. in fine, de exceptionibus, in antiquis. quæ ita ait: *Nec propter hoc ille iniustus possessor remanebit, quia Ordinarius illum ex officio poterit remouere: per caput, Ordinarij, de officio Ordinarij, lib. 6. vide Ioan. Mon. in cap. vt circa, de elect. lib. 6. super verbo interdictum, &c. & conducunt ad hunc articulum quæ notauit Barbosa in pass. p. 3. allegat. 57. num. 222. & sequent. vbi videre poteris.*

16 Et hæc quidem locum habent, etiam si talis intrusus possidens esset intrusus in beneficio referuato, quia adhuc posset dare obiectus contra referuationem, secundum Simon. de referuat. q. 92. ex auctoritate dicitur decis. 7. de quo videnda est Additio ad ipsum Simon. in d. q. 92.

17 Prædicta autem declaranda, & intelligenda veniunt in eo, qui se intrusit in beneficio, antequam contra eum, vel aliquem alium lis mota fuisset; secus autem in eo, qui intrusionem commisit post motam litem, veluti si reo & possessore mortuo lite pendente, de facto alius subrogaretur ab Ordinario in tali beneficio litigioso in locum demortui colligantis, & virtute illius subrogationis immisus fuisset in possessionem, contra dispositionem textus in cap. si hi contra quos, vt lite pendente in 6. (de quo articulo latè egimus supra, q. 7. num. 2. & sequen.) tunc enim talis possessor Intrusus per subrogationem non poterit dare obiectus contra actorem ex tali titulo, cuius virtute beneficium prætendebat, vt expressè decisum fuit à Rota decis. 5. alias 332. incipit, *Nota nunquid reo & possidente: sub titulo, vt lite pendente, in antiquis, vers. credo contra in hoc casu, &c. & idem videtur repetitum in decisionibus antiquioribus Bisigneti eodem titulo, vt lite pendente, decis. 1. num. 4. folio mihi 94. in recollectis & exornatis per Camillum Mellam, vbi probat hanc sententiam variis rationibus, & fundamentis, quam etiam tuerentur Felinus vbi supra, & Hieronymus Gig. in epitome de intruso, n. 53. vers. sed quero an huiusmodi intrusus, & Hercul. in tract. de attentat. cap. 7. num. 17. & 18. & diximus supra q. 57. num. 7. vbi rationem assignauimus, quare intrusus attentans non possit dare obiectus, quibus iunge etiam quæ annotauimus supra, q. 59. nu. 13.*

18 & 19 Et cum sequen. optimè & in terminis Lancellot. in eodem tract. de attent. p. 3. cap.

24. sub tit. de Reo, & de except. sibi contra attent. compet. q. 1. in additionatis, impressis Venezijs de anno 1598. qui postquam num. 39. docuit cum pluribus regulam illam, quod actore non probante Reus absolvitur, procedere, & locum habere, etiam si de non iure Rei constaret per ipsius confessionem; statim num. 40. limitat eam per hæc verba.

Quæ ampliatio necessariò limitanda est, vt procedat in Reo, qui possessionem cæperit ante litem moram, secus si post litem motam fuerit intrusus; cum enim ille hoc casu non possit dare obiectus, non poterit etiam hanc exceptionem opponere: sequitur etiam Romanus conf. 347. colum. 1. vers. hæc autem vera sunt. Pro qua limitatione facit, quia in isto intruso lite pendente cessat ratio, de qua supra, quod melius sit tueri Reum in possessione, quam dare Actori vitiosum ingressum: quia intrusus lite pendente, videtur quod etiam lite pendente, possessionis commodo priuari possit. Hæc Lancellotus.

Qui clariùs idem tradit in d. 3. p. cap. 21 ultimo de pœnis attentatorum, in 7. pœna, nu. 197. in prima impressione, & in ultima, num. 214. vbi ita ait: Septima potest considerari pœna, vt attentans non possit dare obiectus, quamuis enim aliàs Reus, præsertim possessor, possit contra Actorem dare obiectus, cum ipsi sufficiat vincere per non ius Actoris, etiam si Reus prædictus ius non haberet, si tamen iste Reus possessionem accepisset lite pendente, & sic attentando, non posset dare obiectus. Vnde Attentans hoc casu sustinet hanc pœnam, quod priuatur facultate dandi obiectus, &c.

Ex quibus omnibus colligitur resolutio ad propositum dubium, nempe quod si Reus se intrusit in beneficio ante motam litem, poterit dare obiectus contra actorem, ad impugnandum, & petendum, vt per illius non ius absoluetur ab imperitione per ipsum facta; secus autem in intruso lite pendente, per ea quæ annotauimus supra, num. 17. & seqq. ex dispositione text. in d. cap. si hi contra quos, vt lite pendente in 6. & ita concludendum videtur.

QVÆST.

QVÆSTIO LXVI.

Intrusus an possit allegare contra Actorem ius Tertij, vel excipere de iure Tertij.

S V M M A R I V M.

Intrusus, vel alius quispiam an possit excipere de iure Tertij. n. 1.

Regulariter de iure Tertij dari non potest, sed fallit in pluribus casibus. n. 2.

Reus potest excipere de iure Tertij, quia tunc potius datur de non iure agentis, quam de iure Tertij. n. 2. & 3.

Exceptio de iure Tertij appositæ per Reum, potius est de non iure actoris, quam de iure Tertij. n. 4.

Exceptio de iure Tertij an locum habeat in beneficiis anceps est quæstio. n. 5.

Papa in dubio non intendit grauare collatorem super prouisione duorum in eodem beneficio. num. 6.

Possessor beneficii non potest excipere de iure Tertij, ad excludendum actorem. n. 7.

Pignoris possessor non defenditur contra secundum creditorem ex iure primi creditoris. num. 8.

Intellige vt n. 20.

Actionis vel accusationis ius non potest mihi acquiri, vel competere ex iure, pacto, seu actione alterius personæ mihi non subiectæ. num. 9.

Intellige vt n. 21.

Stipulari nemo potest tertia personæ, non existenti in potestate, veluti seruus Domino, vel filius Patri. n. 9.

Intellige vt n. 21.

Intrusus, vel alius quispiam, allegans suam turpitudinem, non debet audiri. n. 10.

Declara vt n. 22.

Intrusus non potest excipere contra actorem de iure Tertij. n. 8. vsque ad 10.

Sed contra n. 11. & seqq.

Intellige vt n. 24.

Possessor contra agentem potest opponere de iure Tertij, maxime si constat de non iure agentis. n. 11. & seqq.

Possessor absoluedus est ab instantia, si constat de non iure agentis. n. 12.

Intellige vt n. 19.

Possessio vitiosa proficit ad vincendum actorem, si notoriè constat de suo non iure. num. 12.

Exceptionibus pluribus potest quis se tueri,

quamuis illa sint diuersa, & contraria. num. 13.

Possidens Ecclesiam potest se defendere contra petitorum ex iure Tertij. n. 14.

Intrusus possessor non potest se tueri, & excipere ex iure Tertij. n. 15.

Intellige de intruso manifesto, non tolerato. num. 24.

Possessor potest excipere de iure Tertij, maxime si ei prodest, & ius suum sit exclusiuum iuris agentis. n. 15.

Possessor potest dare de iure Tertij contra agentem ad obtinendam absolutoriam, & inuendam suam possessionem. n. 16.

Possessio, et am vitiosa, defendi debet; cum de iure possessoris curandum non sit, si de iure petitoris non constat. n. 17. & 18.

Possessor potest se defendere, & excipere de iure Tertij, siue ius reincidentat in possessorem, siue non. n. 19.

Intrusus possessor beneficii potest excipere de iure Tertij, quoties ei prodest, ad tuendum ius quod habet. n. 19.

Intellige vt n. 24.

Creditor potior in pignore præferendus est. num. 20.

Actio oriens ex obligatione verbis quaesita, operatur, vt non possit quis excipere de iure Tertij, virtute actionis resultantis ex illa, licet ex aliis id efficere valeat. n. 21.

Excipiens quod Reus obtinuit excommunicationis absolutionem, non fatetur se fuisse excommunicatum. n. 22.

Delictum non fatetur petens sententiam super illo. n. 23.

Intrusus manifestus, & non toleratus non potest excipere de iure Tertij ad repellendum actorem, secus autem intrusus occultus, & toleratus. n. 24.



T huius quæstionis resolutio defumi possit, priùs videndum est, an quispiam allegare valeat ius Tertij; si enim hæc exceptio non admittatur, frustra erit indagatio, an intrusus possit se defendere tali exceptione. Et quamuis regulariter de iure Tertij dari non possit, vt cum pluribus tradit Gonzalez ad regulam 8. glos. 56. n. 112. & latissimè Thefaurus decis. 4. n. 1. & sequen. Attamen hæc regula fallit in pluribus casibus, vt notant Gratianus tom. 5. discep. forens. cap. 855. n. 22. & sequen. & copiosè Beltraminus in annotat. ad decis. 415. Gregorij XV. n. 6. vbi inter alias fallentias enumerat illam, quando videlicet per ius Tertij excluditur ius actoris; vt patet ex d. decis. 415. Gregorij. n. 3. & ex Thefau. in d. decis. 4. n. 1. Aymon. Craucta conf. 191. n. 3. per

per textum in *l. cum seruum, C. de seruis fugitiuis*, & cum pluribus aduertit Anton. Niger in suo tract. de exceptionibus remorantibus, cap. 13. §. 9. n. 1.

- 3 Et ratio est, quia tunc potius datur de non iure agentis, quam de iure Tertij, vt considerauit Rota in Romana pecuniaria 13. Ianuarij 1586. coram Oriolen. quæ allegatur ab ipsa Rota in vna Perustina lucri dotis 29. Nouem. 1599. coram Iusto, & habetur in nouiter nouissim. Farinacij, siue in 4. p. nouissim. decis. 741. fol. mihi 409. vbi n. 4. ita ait:
- 4 Quæ exceptio competit Septimio, cum sit exclusio lucri, eo ipso est potius opponere de non iure Gasparis, quam de iure Tertij, &c. & eisdem ferè verbis idem tradit Gratianus in d. cap. 855. n. 2. & 23. Quod etiam probat Beltraminus vbi proximè, in d. n. 6. qui adducit alias fallentias ad d. Regulam, apud quem videre poteris, & penes allegatos per Gonzalez in d. glos. 56. n. 113.

5 Quæ quidem superius allegata, licet aliàs ita se habeant, & ponderari possint: attamen resolutio propositæ quæstionis fati difficilij videtur: an prædicta fallentia locum habeat in beneficialibus, vt dixit Petrus de Ancharano in cap. mandatum 38. de rescriptis, n. 5. vers. Sexto queritur, pone quod secundus &c. vbi latè agit de hoc articulo: qui vt clarior fiat, hypothesi seu casu præpositæ quæstionis sic figurari potest.

6 Papa mandauit Episcopo Barbastren. vt Ioannem reciperet in Canonicum, & fratrem suæ Ecclesiæ, vel eidem de aliquo alio beneficio suæ Diocesis prouideret, si pro alio ibidem non rescriperit, cum in dubio non intendat Papa grauari collatorem super priuisione duorum, vt deciditur in d. cap. mandatum 38. de rescriptis iuxta intellectum Glossæ verbo, super receptione duorum: Postmodum autem ipsemet Papa sub eadem clausula itidem ordinauit eidem Episcopo, vt Franciscus prouideretur: tandem & tertio pro Antonio rescripsit sub

7 ipsamet contextura. Nunc Franciscus secundus præsentatus agit contra Antonium qui erat possessor canonicatus, vel beneficij, in quibus obtinuerunt à Papa vt præsentarentur, & dubium est, an iste Franciscus possit opponere de iure Ioannis, qui fuit primus obtinens rescriptum, ita vt prætextu, & in vim iuris quod habet ille Tertius, excludere, & repellere valeat Antonium possessorem.

8 Et dicendum videtur, nullatenus posse, nec debere se iuuare iure ipsius Tertij ad excludendum illum: Primò ex textu in leg. creditor, la secunda, vbi, sed cum alio possessore, & l. Claudius 16. qui potiores in pig. &

hypot. habe. ex quibus probatur, quod pignoris possessor non defenditur contra secundum creditorem ex iure primi creditoris: ergo similiter non poterit intrusus excipere contra actorem, vel se iuuare de iure Tertij.

9 Secundò, quia ius actionis, vel accusationis non potest mihi acquiri, vel competere ex iure, pacto, seu actione alterius personæ, potestati meæ non subiectæ, l. stipulatio ista 38. §. alteri, ff. de verb. obligat. ibi, Alteri nemo stipulari potest, præterquam si seruus Domino vel filius Patri stipuletur &c. Idemque suadet ex l. si vnus 27. §. ante omnia, ff. de pactis ibi: Ante omnia enim aduertendum est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona: in alia re aliæ persone noceat &c. ergo cum intrusus non habeat subiectam sibi personam Tertij, non poterit ex iure ipsius se tueri, & defendere contra actorem.

10 Vitimò, quia intrusus, aut se iuuare vult iure Tertij ad excludendum actorem, allegando ipsum Tertium ius habere, & tunc incidit in pœnam intrusionis, ipsam propalando per suam turpitudinem, cum ex eius confessione pateat, possidere beneficium vt suum, cum verè non sit, sed illius pro quo excipit, & consequenter non est audiendus, vt in cap. inter dilectos 8. §. attendentes, de donat. & tradunt Surdus decis. 196. n. 6. Mari. Anton. variar. resol. lib. 2. resol. 11. n. 75. Rota in recencior. Farinacij, p. 1. decis. 665. num. 12. & plures alij penes nostrum Cenedo in collect. ad Decretales, collect. 10. n. 4. Præcipuè si allegans suam turpitudinem id efficiat propter suum commodum, & vtilitatem: quia tunc nullo modo audiendus est, vt aduertit Rolandus à Valle conf. 24. num. 72. qui optimè hunc articulum concludit: Aut vero talis intrusus vult excludere actorem per non ius ipsius, & illius Tertij, & in tali casu cum Tertius ius non habeat, nullatenus potest actori nocere: ergo in omnem euentum intrusus non poterit excipere de iure Tertij.

11 Contrarium tamen, videlicet licere possessori opponere de iure Tertij, quando constat, agentem nullum ius, vel saltem illusorium habere, concludunt Compsttel. in d. cap. mandatum n. 4. de rescriptis, quem ibidem sequuntur Ioan. Cald. Anch. Barba. Ioan. Andr. & alij tenentes, posse excipere de iure Tertij, & consequenter quod talis intrusus possessor beneficij poterit excipere, & allegare contra agentem de illo iure Tertij: ex ea ratione, quia sicut in supra proposita facti specie n. 6. potest admitti secundus,

secundus, petendo quod beneficium, seu præbenda ad eum pertinet; ergo similiter licitum erit huic possidenti, indirectè probare, quod ad actorem non pertineat, sed ad ipsum, vel ex iure suo, aut ex iure Tertij, vt ab imperitione actoris absolui debeat, cum in illo articulo, & instantia, sufficiat probare, quod præbenda, vel beneficium non pertineat ad agentem, nec in illo ius habeat; argumentum textus in l. res alienas. C. de rei vindicatione, & diximus supra in quaest. antecedenti, n. 4. Et ratio est, quia mea possessio, etiam si sit vitiosa, vincere debet contra illum extraneum, qui ius ad illam non habet: l. finali, ff. de acquirenda possessione, ibi, Aduersus extraneos vitiosa possessio prodesse solet, &c. idemque probatur ex §. retinenda 4. instit. de interd.

12 Nec mirum, aut insolitum est, vt tam ex persona mea, quam alterius me defendere intendam, cum nemo prohibeatur pluribus exceptionibus se tueri, quamuis sint diuersæ, & contrariæ, l. is qui 5. l. nemo 8. ff. de exceptionibus, & exinde talis intrusus non solum poterit allegare suas exceptiones, sed etiam illas resultantés ex iure Tertij.

13 Secundò probat Compsttel. prædictam sententiam, & dicit expressè concludi in cap. cum dilectus 28. de iure patronat ex quo colligitur, quod possidens Ecclesiam fuit defensus contra petitorum ex iure Tertij, pro quo Legatus fecerat inhibitoriam, & per consequens deducitur, quod talis intrusus possessor poterit allegare ius Tertij.

14 In hac controuersia dicendum iudico, posse talem intrusum possessorem dare de iure Tertij iuxta distinctionem infra dicendam num. 24. cum hoc admitti debeat, quoties opponenti prodest, maximè si exceptio sit exclusiua iuris agentis, vt concludunt Cynus in l. cum seruus, in fine, C. de seruis fugitiuis, Bartolus in l. 2. ff. de exceptione rei iudicatæ, & in l. si rem alienam, ff. soluto matrimonio, Castrenf. in l. si cui, C. de non numerata pecunia, Abbas in cap. non liceat. n. 15. vers. sed contra hoc, de prescriptionibus, Theaur. decis. 4. num. 1. vers. primus est quando, &c. & alij quos refert, & sequitur Gratianus tom. 4. discept. forens. cap. 715. num. 25. & 26.

15 Sicut & etiam dare potest possessor de iure Tertij, ad obtinendam absolutoriam, & tuendam suam possessionem, vt per Rotam in d. decis. 415. Greg. XV. & Gratianum alios allegantem tom. 5. cap. 855. num. 23. vbi de hoc articulo latè agit à num. 8. cum sequent. & ideo talis intrusus possessor potest
Traict. de Intrusione.

16 terit vt de iure Tertij ad excludendum agentem, licet ipse habeat possessionem vitiosam, quia adhuc poterit id efficere, vt pulchrè notauit Menochius de adipiscenda possessione remed. 4. casu 11. n. 595. vbi ita ait: Quilibet possessor pro defensione sua possessionis, ius Tertij, quod est exclusiuum intentionis petentis, allegare potest: l. vltima, C. de rei vindicatione, & annotarunt Castrensis hic, n. 12. in fine, & Alexander n. 23. Iacobinus n. 46. Corneus, num. 41. & casus iste noster differt à casu 9. supra relato, si quidem ille locum habet, cum is contradictor allegans ius Tertij non possidet; hic verò noster cum possidet, &c.

17 Pergit Menoch. n. 596. & ita concludit: extenditur hic casus, vt locum etiam sibi vendicat, quando huius contradictoris possessio nulla foret, & vitiosa, nam adhuc illa ratio Castrensis ex d. l. vltima, C. de rei vindicat. procedit, siquidem de iure possessoris curandum non est, si de iure petitoris non constat, quemadmodum ad illam l. vltimam, adnotauit Baldus &c. Hæc Menochius.

18 Ex qua doctrina dicendum venit, posse intrusum possessorem excipere, & allegare de iure Tertij. Quod quidem locum habet, quando opponenti prodest ad tuendum ius quod habet; vt cum pluribus docent Gratianus in d. cap. 715. n. 26. & Beltraminus in addition. ad d. decis. 415. Gregorij, n. 6. vers. fallit secundo regula &c.

19 Et licet aliqui voluerint limitare prædictam conclusionem vt non procedat, nisi quando ius Tertij reincident in possessorem, quia tunc rectè ipse poterit se tueri, & defendere ex iure Tertij, non verò si non reincident in possessorem: vt in d. l. Claudius, ff. qui potiores in pignore habeantur: Attamen Compsttel. in d. cap. mandatum, de rescriptis tenet, locum habere, siue ius reincident in possessorem, siue non: cum in omnem euentum ipse admitti debeat ad probandum, quidquid tendat, & conducat vt absoluat à petitione aduersarij: & patet hic intellectus ex congestis à Gratiano & Beltraminio in locis proximè allegatis, & ita hanc secundam opinionem veriorē iudico iuxta distinctionem statim referendam infra, n. 14.

20 Nec contra prædicta obstant fundamenta pro contraria opinione superius ponderata: nam ad primum de quo supra, n. 8. respondetur, quod licet in d. l. creditor, ff. qui potiores in pignore habeantur, si ageret primus creditor, obtineret contra secundum; hoc tamen in illa specie ex eo fuit, quia habebat ius, virtute cuius vincere debebat possessorem: quia nullum habebat:

& ideo cum in pignore potior sit illo, nihil mirum si ipsum vincat: at in nostro casu diuersimodè procedit; nam cum ille peritor se iuret de iure Tertij, nullum ius habentis, sequitur quod licet aliàs si illud haberet, se tueri posset ex iure Tertij, verum cum non sit aliquo titulo vel colore munitus, repellendus venit, & consequenter, non potest argui de vno casu ad alium.

²¹ Similiter non obstat secundum, de quo *suprà*, num. 9. quia licet verum sit, quod ex iure, pacto, seu actione alterius non possit acquiri actio, vel defensio, verum prædicta conclusio intelligi debet in obligationibus, seu iure, verbis quæsito, vt in *d. l. stipulatio ista*, §. alteri. ff. de verborum obligat. Enimvero cum hoc sit personalissimum, non debet ad Tertios se extendere; secus autem in alia obligatione, seu iure quæsito, quia tunc possum me iurare de iure Tertij: argum. text. in *l. si pupilli* 6. §. si quis pecuniam, ff. de negotijs gestis, & ideo non adaptatur ad casum præsentis quæstionis, quæ non versatur in obligatione verbis quæsitâ.

²² Ad vltimum, de quo *suprà*, num. 10. respondetur, quod ex eo quod intrusus se tueatur ex iure Tertij, non fatetur absolutè se esse intrusum, cum solum dicat, ius habere ad excludendum actorem, non verò quod illud sit indistinctè illius Tertij, & consequenter suam turpitudinem non propalat, qua seclusa non impeditur, quominus se defendere valeat ex iure Tertij, & hæc responsio fundari potest argumento sumpto ex *cap. cum venerabilis* 6. de exceptionibus, ex quo probatur, quod excipiens se obtinuisse absolutionem ab excommunicatione, non fatetur fuisse excommunicatum, vt docet Couarruias in *cap. alma mater*, p. 1. §. 12. n. 1. vers. secundo his accedit quod liberatio, &c. de sententia excommun. vbi multas rationes adducit, quæ ad intentum

²³ conducunt. Idemque probat Mascardus de probat. conclus. 700. n. 3. qui n. 4. cum Cardin. in repetitione cap. perpendimus, in vltima colum. de sententia excommun. in 6. tradit, ex text. in *cap. exhibitâ*, de homicidio, vbi docet, quod petens sententiam super delicto, non ex eo fatetur commississe delictum: & ibidem alios allegat idem tenentes, ex quibus ad propositum dicendum videtur, quod si talis intrusus non dixerit expressè tale beneficium à se possessum pertinere & esse illius Tertij, ex cuius iure vult se defendere, sed tantummodo excipiat dicendo, beneficium esse suum, & ad se pertinere, licet alias ille retijus aliquod ius vel præensionem intendant, ex quibus sua possessio ali-

quod fomentum habere posset, vel proponeret aliquam aliam similem, vel æquivalentem exceptionem, tunc enim non ostendit, nec manifestat aliquam turpitudinem, quæ ipsum comprehendat sed solum allegat illud quod ei proficere potest, non excludendo, sed immo confirmando ius suum, ex illo quod pertinet ad talem Tertium; & consequenter nullam turpitudinem ostendit, quæ ipsum repellat ne se tueatur, & exinde audiendus erit in tali exceptione: provt resoluunt Compotstel. ex aliorum sententia in *dicto cap. mandatum*, & ibidem Cardinalis quæst. 2. 4. prope finem.

²⁴ Et licet hucusque dicta ita se habeant, intelligenda vel moderanda veniunt cum distinctione; nempe quod aut intrusus est notorius, aut non toleratus, iuxta ea quæ diximus *suprà*, quæst. 2. 7. nam in primo casu non poterit allegare, nec excipere contra actorem de iure Tertij, quia eo ipso quod notoriè constat de suo non iure, resultat, ipsum esse iniustum possessorem ex ipsa propalatione suæ turpitudinis, detinendo beneficium, quod non est suum, sed illius Tertij, de cuius iure excipit, ex quo palam fatetur suam intrusionem, & ex ea nullo modo commodum reportare debet, & ita intelligendus est Compotstella in *dicto cap. mandatum*, dum firmat hanc conclusionem, videlicet, intrusum non posse excipere de iure Tertij; quæ intelligenda est de intruso notorio, & non tolerato, qui fatetur illum Tertium habere ius in beneficio: & eodem modo intelligendi sunt Ioan. Andr. & Ioan. Cald. in *dicto cap. mandatum*, sub num. 39. & ibidem Card. quæst. 2. 5. & 2. 6. num. 7. Anchar. num. 5. in 6. quæst. Barbat. num. 64. vers. Compotstellanus refert, &c. Henr. in *cap. cum dilectus*, num. 9. vers. aut ius Tertij, &c. Paris. conf. 79. incip. Aduertendum est, num. 15. in 4. volum. & vnico verbo idem insinuat Hieron. Gig. in *Epitome de Intruso*, n. 101. vers. intrusus non admittitur, &c.

²⁵ At verò si intrusio non sit notoria, sed immo talis intrusus toleratus existat, tunc rectè poterit excipere & allegare de iure Tertij, dicendo, beneficium esse suum, & non præcisè illius Tertij, de cuius iure excipit ad excludendum agentem, vel proponendo quid simile, quod suum ius foueat; quo casu cessat turpitudinis considerata, ex qua ipse inhabilis redderetur ad excipiendum de iure Tertij; vt patet ex fundamentis ponderatis pro secunda sententia, quæ in hunc sensum intelligenda venit, eamque tuerentur Compotstel. in *dicto*

dicto cap. mandatum, & ibidem Card. in *dicto quæst. 2. 5. prope finem*, & alij proximè allegati, apud quos videre poteris, & ex prædictis ita concludendum est, &c.

QVÆSTIO LXVII.

An qui in beneficio allegatur intrusus, possit se tueri, & defendere ex duplici collatione, seu titulo, ad excludendam intrusionem.

S V M M A R I V M.

Intrusus in beneficio non potest se tueri, vel defendere ex duplici titulo, seu collatione ad excludendam intrusionem. n. 1.

Contrarium est verius. n. 4. & sequent.

Intellige vt n. 10. & sequent.

Electus ad prebendam non potest duas electiones prosequi, petendo confirmationem ex illis etiam si protestetur, se contentum altera. num. 1.

Actiones plures si alicui competant, cogitur eligere vnâ ex illis, nec postea poterit ad aliam redire. num. 2.

Titulum legitimum beneficij qui obtinuit, non poterit se inuare ex altero, nam quod meum est ex vna causa, non potest amplius fieri meum ex alia. n. 3.

Possidens beneficium potest ex duabus collationibus, siue titulis se defendere contra actorem. n. 4.

Intrusus ad excludendam intrusionem, potest contra actorem se defendere ex pluribus titulis. num. 4. & 6.

Possessio beneficij retardari non potest, si ipsius collatio legitime fuerit facta, ab habente potestatem. n. 4.

Defensionibus pluribus potest quispiam se tueri. num. 4.

Dictio Nullus, excludit omnem partem, etiam minimam, & comprehendit quidquid est comprehensibile ad eum effectum, ad quem proponitur. n. 5.

Nemo prohibetur pluribus exceptionibus se defendere, & in eius arbitrio est vti qua voluerit. n. 6.

Titulorum multiplicatio admittitur in beneficiis. n. 7. & 9.

Titulus validus si superueniat titulo inualido, poterit Beneficiatus se tueri ex illo, ad defensionem sui iuris. n. 8.

Collatio beneficij si sit inualida, poterit secunda obtineri ad sanandum titulum, & vtraque se tueri, cum per acceptationem vnius, non

Tract. de Intrusione.

consecetur alteri renuntiatum. num. 8.

Intrusus in beneficio si aliquis fuerit allegatus, poterit proponere ad suam defensionem duas vel plures collationes, seu titulos. numer. 8.

Institutus ad beneficium si dubitat an institutio sit nulla, vel vitiosa ex aliquo defectu, quomodo eam sanare possit. n. 9.

Titulus nouus beneficij si superueniat, non ex eo consecetur renuntiatum primo, & ideo Beneficiatus vtroque se inuare poterit. n. 9.

Titulorum multiplicatio admittitur in iure querendo; secus autem in iure quæsito, ad ipsum defendendum. n. 10. & 20.

Ius quæsitum valde differt à iure querendo, ad effectum cumulandi titulos, pro illorum defensione. n. 10. & 11.

Confirmatio Superioris est necessaria in iure querendo, quæ est quoddam decretum, quod ferri non potest super titulo incerto, & ideo in eo non admittitur multiplicatio titulorum, secus autem in iure quæsito. num. 12.

Ius quæsitum favorabilius est, quàm ius querendum, & exinde titulorum multiplicatio in illo admittitur, sed non in isto. n. 12.

Multiplicatio titulorum in actionibus circa eandem rem, & causam non admittitur, sed vna actione electa, non datur recursus ad aliam. n. 13.

Res absolute & legitime mea, non potest amplius fieri mea; secus autem si ex diuersis titulis, vel ex diuersa causa pretendam esse meam, ad me defendendum. n. 14.

Res mea si dubitatur an mea sit, vel non, potest amplius esse mea ex diuersa causa, vel titulo; secus si non sit dubium, sed notoriè constat de vero dominio meo. n. 15.

Possidens beneficium potest se tueri ex duplici titulo, siue collatione: quod extendit etiam ad illum, qui vult consequi possessionem. num. 16.

Intellige vt num. 20. & seqq.

Possessionem petens, vel ipsam defendens non petit decretum interponi, sed simpliciter petit factum tueri, vel exequi, & ad eum effectum admittitur titulorum multiplicatio. num. 17.

Collatio beneficij acceptata, facit vt beneficium dicatur esse illius qui acceptauit. n. 18.

Beneficium si est meum ex vna causa, non potest esse meum ex alia, maxime in agendo. num. 19.

Exceptio ex duplicato titulo admitti debet, sed non actio. n. 20.

Ius querendum dicitur, quando quis petit decretum ad ipiscenda possessionis. n. 20.

Possessio iam quæsitâ diuersa iudicatur quoad exceptionem, ac possessio querenda. n. 21.

Q 2 Possessio

Possessio quasi a attribuit de per se aliquem titulum in re possessa. n. 2. 1.

Titulorum multiplicatio non admittitur pro adipiscenda possessione, nisi dubium esset de prima causa, quia tunc admittibilis erit. num. 2. 2.

Titulorum multiplicatio pro adipiscenda possessione admittenda venit, quando non adest prauidium Terrij; secus autem si illud resuleret. n. 2. 3.

NON posse intrusum in beneficio allegare, vel se tueri aut defendere ex duplici collatione, seu titulo, ad excludendam intrusionem, suadet ex textu in cap. *ut quis duas* 25. de electione in 6. ex quo probatur, quod electus ad praebendam non potest duas electiones proficere, petendo confirmationem ex illis; etiam si protestetur se contentum altera, per quam consequi possit suae intentionis effectum, taliter quod si vnam eligat, non poterit ad alteram redire, cum sit impossibile, vtramque valere; ergo talis intrusus non poterit se tueri; & defendere ex duplici collatione, seu titulo, vt intrusio excludatur.

2. Secundò probatur ex l. *quod in herede* 9. §. *eligere*, ff. de tributaria actione, ex quo textu deducitur, quod quando plures actiones alicui competunt, cogitur vnam ex illis eligere, nec postea poterit ad aliam redire: quod quidem etiam adiuuatur ex l. *nemo*, §. *quoties*, ff. de regulis iuris, ergo similiter nec intrusus poterit vt duplici titulo, seu collatione.

3. Tertiò suadet ex eo, quia si quis allegat beneficium ad se pertinere ex vna collatione, vel titulo, non poterit ex altero se iuuare: quia si titulus est legitimus, iam ex eo consequutus fuit ius perfectum, cum illud quod meum est ex vna causa non possit ex alia meum fieri, §. *sic itaque discretis*, Instit. de actionibus, cap. *inter dilectos*, §. *ceterum memorati*, vbi Glossa verbo, *quod meum*, de fide instrumentorum, l. 3. §. *ex pluribus*, ff. de acquirenda possessione, ergo similiter intrusus non poterit allegare, nec se tueri ex duplici collatione.

4. His tamen non obstantibus, contrarium dicendum est, videlicet intrusum toleratum, possidentem beneficium, posse contra actorem se defendere ex duabus collationibus, siue titulis, allegando quod si ex vna esset intrusus, ex altera erat legitimè institutus, & consequenter intrusionem (si aliquam commiserat) purgatam existere.

Quod quidem suadet Primò, ex cap. *post electionem* 7. de concessione praebenda, vbi

deciditur, quod si constat, beneficium fuisse collatum per habentem potestatem, tam ratione primae, quam secundae concessionis, non debet possessio retardari per aliquam exceptionem, vt verba textus insinuant in §. *ipsius igitur*, in fine, ibi: *Tam ratione primae, quam secundae concessionis sibi assignatum, &c.* ergo duplex titulus assignari potest.

Quod patet etiam ex cap. *nullus pluribus* 20. de regul. iur. in 6. cuius verba talia sunt: *Nullus pluribus defensionibus vti prohibetur, &c.* Ergo intrusus poterit se defendere ex duplici collatione, ponderando verbum illud, *Nullus*, quod excludit omnem etiam minimam partem, & comprehendit quidquid in ipsa est comprehensibile ad eum effectum, ad quem proponitur, vt tradunt Seraph. *decis.* 843. num. 4. Cardin. Tuschus *practic. conclus. littera D. conclus.* 315. num. 2. & *conclus.* 316. num. 1. Noster Cenedo *post librum Canon. quast. in centur. singularium iuris, singul.* 67. & alij plures penes Barbof. in *tract. de diction. vsufrequentibus, dictione* 229. num. 2. & *sequen.* ergo intrusus erit comprehensus in illo verbo, *Nullus*.

Facit tertiò, quia nemo prohibetur se tueri pluribus exceptionibus, vt dixi *suprà*, in *quast. antecedenti*, num. 13. immò est in ipsius arbitrio ius eligendi, an velit vti personali, vel hypothecaria, aut alia actiones: l. *est in arbitrio* 14. C. de obligat. & actionibus, l. *finali*, C. de annali exceptione, ergo in nostro casu poterit intrusus excipere ex pluribus collationibus, & erit in eius arbitrio eligere quam voluerit & magis vtilem.

Quarò probatur, quia in beneficialibus datur multiplicatio titulorum; vt multoties declarauit Rota penes Peñam in *meis recollect.* tom. 2. *decis.* 1004. n. 8. & *decis.* 1103. num. 3. & vtrouique mea Annotatio alias allegat, & plures referens tradunt Gonzalez ad *regul.* 8. *Cancellaria*, §. 7. *Proemij*, num. 12. cum duobus *sequen.* Lotherius de *re beneficiari*, lib. 2. q. 46. num. 9. & *sequen.* vbi latè agit de hoc articulo.

Sequitur exinde, quod licet aliàs quispiam habuerit titulum inualidum, si postmodum alius legitimus superuenerit, poterit ex illo se iuuare, & consequenter vt duabus collationibus, cum per acceptationem vnus non censetur alteri renuntiatum, cap. *post electionem*, vbi Abbas, num. 4. de *concessione praebenda*, Felinus in cap. *in nostra*, num. 1. *vers. titulus multiplicatur*, de *rescriptis*, Punctim Rota in *meis recollect.* Peñae *decis.* 221. num. 4. vbi mea Annotatio alias refert; & exinde qui intrusus allegatur, poterit proponere ad suam defensionem

nem, duas, vel plures collationes, & hanc sententiam omnino tenendam iudico, provt etiam ipsam admittunt communiter Doctores, Selua de *benef. p.* 3. q. 19. ante n. 2. Lapus *alleg.* 132. num. 2. vbi additio Quintiliani Mandosij verbo, *post electionem, littera H.* alios plures allegat Cassadorus *decis.* 3. quae incipit, *Item fuit tentum, ante finem; de causa possessionis, & proprietatis, & in Regulas Cancellariae decis.* 22. incipit, *Pluries fuit dubitatum, circa medium*, latissimè Lother. plura cumulans ad intentum propositi dubij, lib. 2. de *re beneficiaria*, q. 46. vbi loquitur de intruso: & n. 9. cum *pluribus sequen.* fauet huic sententiae.

9. Et praedicti Doctores consulunt quandam vtilem cautelam, mente tenendam, & ideo placuit eam hic annexere; videlicet quod quando quis institutus ad beneficium, dubitat an instituens habuerit necne potestatem, vel fortasse, an institutio sit vitiosa ex aliquo defectu, tunc faciat se de nouo institui sine prauidicio prioris tituli, cui non renunciatur per superuenientiam noui tituli: nam cum sit confirmatorius, vel sanatorius primi, (ex rationibus supra adductis) erit vtilis, & se ex illo iuuare poterit, ad effectum vt securius, & efficacius vtraque collatione se defendere possit, cum in beneficialibus (vt dictum est) admittatur multiplicatio titulorum.

10. Quibus sic constitutis, non obstant fundamenta pro contraria parte ponderata: Nam ad primum (de quo *suprà*, in principio) responderetur (vltra id quod tradit Selua de *benef. p.* 3. q. 19. num. 7. qui distinguit inter actionem & defensionem,) quod text. in d. cap. *ut quis duas*, loquitur in iure, seu titulo acquirendo, quo casu non potest quis se iuuare, vel vt duobus, vel pluribus titulis, provt in d. cap. *ut quis duas*; secus autem si agatur de iure iam quaesito ad se defendendum, & excipiendum, vt in d. cap. *post electionem*, de *concess. praebenda*, quia tunc poterit quis allegare, & excipere ex duplici, & pluribus titulis: vt latè tradunt Calderinus post alios *conf.* 7. num. 2. & 19. & 20. *sub tit. de elect.* & alij quos refert & sequitur Lotherius in *d. q.* 46. num. 15. & 16. quibus iunge Barbof. in *collecl. ad text. in d. cap. Nullus pluribus*, de *regul. iur. in 6.* num. 3. qui latè discutit differentiam in iure quaesito, vel quaerendo, ad effectum cumulandi, vel non, titulos, pro defensione.

11. Et differentiam adducunt etiam Archid. in d. cap. *ut quis duas*; & post eum Calderinus *vbi proxime*, videlicet quod iura fauorabilia sunt, vt ius quaesitum retineatur, cum tunc nulla ambitio notari possit, &

consequenter concedenda est multiplicatio titulorum pro ipso iure tuendo: At verò in iure quaerendo diuersum est, nam in eo semper ambitio praesumitur, & exinde quidquid conducatur ad perpetrandum aliquid inhonestum, & minus legale excludi debet, & ideo in illo non datur multiplicatio titulorum.

Ex quo ait Lapus *allegat.* 8. num. 6. quem communiter sequuntur ferè omnes, & ante eum plures idem docuerunt, quod in iure quaerendo necessaria est confirmatio, quae est quoddam decretum, vel sententia quae super incerto ferri non debet, vt *Instit. de actionibus*, §. *curare, & litem eorum, litem si Decuriones*, ff. *quod cuiusque vniuersitatis, &c.* Secus autem in iure iam quaesito, quia tunc non agitur nisi de eo confouendo, quod quidem est fauorabile, & exinde admittitur in eo multiplicatio titulorum, provt latè concludunt Barb. & Lotterius *vbi proxime* qui n. 16. in *fine* testatur, ita fuisse declaratum à Rota in *vna Lunen. Sarzanen. Capellania* 20. Iunij, & 5. Decembris 1601. coram Cardinali Sacrato: ex quibus clarè satisfactum manet primae considerationi, pro contraria sententia adductae.

Nec obstat secunda (de qua *suprà* n. 2.) quia diuersimode philosophandum est in multiplicata actionum, quam in cumulatione titulorum: enim verò in actionibus non admittitur multiplicatio titulorum circa eandem rem & causam, sed vno titulo electo non datur recursus ad alium, vt in d. l. *quod in herede* §. *eligere*, ff. de tributaria actione, & in d. l. *nemo*, §. *quoties*, ff. de regulis iuris: at verò cum sub vna & eadem actione plures tituli contineri valeant, veluti si quis agat rei vindicatione, non impeditur quominus possit ipsam petere quod ad se pertinet ex titulo emptionis, vel successionis, vel alterius similis, & ideo nihil mirum quod licet aliàs actiones multiplicari non possint, tituli tamen non impediuntur, cum procedant ad effectum consequendi rem ex actione, ob quam quis intendit ad se pertinere, quapropter non valet argumentum ex multiplicata actionum, ad multiplicatam titulorum, nam manifesta patet differentia, vt aduertit Barb. in *collecl. ad text. in d. cap. nullus pluribus*, de *regulis iur. in 6.* n. 4. & 5.

Nec denique vrget vltima consideratio (de qua *suprà*, num. 3.) videlicet quod illud, quod est meum ex vna causa, non possit ex alia meum fieri, quia responderetur, regulam procedere quando res mea est purè, & absolute mea, tunc enim non possum illam facere meam ex alia causa, provt in d. cap.

inter dilectos; secus autem si ex eodem fonte illam præcedam ex diuersis titulis, quia ut ait Archid in d. cap. vi. quis duas, post principium, vers. nota tamen, &c. quando diuersi tituli sumunt originem ex eodem fonte, ita quod secundus iuri primo nihil adiciat, nisi ad effectum tantum impugnandi, vel tollendi oppositionem contrariam, aut defendendum primum titulum, nam in tali casu licet utriusque titulo; ex text. in leg. cum res 4. ff. de contrahenda emptione, & consequenter de nouo non efficitur mea, sed ipsam defendo ex diuersis titulis, quod quidem in iure nullam continet repugnantiam.

15 Vel secundo responderi potest, quod text. in d. cap. inter dilectos, §. ceterum, de fide instrumentorum, loquitur, quando non est dubium de re mea, sed notoriè constat de meo iure; & tunc quod meum est, amplius meum fieri non potest: secus autem quando dubitatur de prima causa, ex qua intendendo rem esse meam, tunc enim ad me defendendum possum excipere, & allegare secundam, vel alias causas, ut in d. cap. post electionem, de concessione præbendæ, & ita prædicta regula intelligenda est, quando res non est perfectè mea, sed dubitatur an sit vel non, ut cum pluribus tradit Barbosa in tract. Axiom. iuris vsufrequen. Axiom. 149. n. 2. & hunc intellectum ad d. cap. inter dilectos, docet Felinus ibidem, n. 19. vers. fallit tertio. Vnde cum in proposita quaestione, allegatio intrusionis reddat dubium illud ius quod obtinet intrusus; non est æquum, ut ipsi tollatur exceptio, non solum duplicis collationis vel tituli, sed etiam aliarum plurium collationum, seu titulorum, ad se defendendum pro excludenda intrusione, ut docent communiter Doctores in d. cap. post electionem, præcipuè Cardinalis in 2. notabili, in fine.

16 Quæ quidem procedunt, & habent locum nedum in eo, qui retinet possessionem beneficii, verum etiam in eo, qui vult ex duplici collatione ipsam consequi, quia id efficere potest ex illo duplici titulo, ut voluerunt Calderinus in d. conf. 7. incipiente, An cap. si quis duas, sub tit. de elect. & Lopus in d. allegat. 132. sub num. 2. vers. cuius dicta

17 coadiuuando &c. qui rationem assignat, nam petens possessionem, vel ipsam defendens, non petit decretum interponi, sed simpliciter petit factum tueri, vel exequi; & sic titulorum multiplicatio ad eum effectum non inducit aliquod inconueniens, vel iuris impossibilitatem; & ita ambo docent, tutum esse consilium, uti, & se iuuare utraque collatione.

Attamen licet hi. Doctores ita consulant, dubitat tamen cordatè Felinus, ipsos allegans in d. cap. inter dilectos, n. 19. vers. & hic nota, de fide instrumentorum, ubi ita ait: Et licet multi dicant; eorum decisio est mirabilis, quia collatio accepta facit beneficium dici meum, cap. si tibi absenti, de præben. in 6. Vnde si est meum ex vna causa, non potest esse meum ex alia, maxime agendo. Et ad cap. post electionem, dici posset, ut ibi per Abbatem, quod loquitur in eo, qui se defendebat, qui potest vni pluribus defensionibus, dicendo si istud non iuuat, adduco aliud, ut in Regula nullus pluribus, de regulis iuris, in 6. & ad hoc dicit textum similem non esse alibi: & hoc sentit Glossa in d. Regula, nullus, dum dicit, quod licet ex titulo duplicato non agatur ut hic, tamen bene excipitur, per dictum cap. post electionem. Vnde de d. consilio posset dubitari &c. Hæc Felinus; qui summa cum ratione dubium oriri testatur, maxime ex his quæ diximus supra, in præfati quaest. num. 10. & sequen. de iure quaerendo, in quo non admittitur titulorum multiplicatio.

Et negari non potest, ius quaerendum respicere illum actum adipiscendæ possessionis, & esse diuersum à iure quaesito in vim possessionis quaeritæ, quæ quidem de per se titulum attribuit, & consequenter in adipiscenda possessione diuersum iudicium efformandum est, quam in possessione iam quaesita pro ipsius defensione, ex his quæ diximus supra, num. 10. & sequenti.

Ex quibus difficile mihi videtur, ut pro possessione adipiscenda admittatur titulorum multiplicatio, cum illa influere debeat in vno titulo certo, nisi dicamus cum Felino, quod fortasse id intelligi posset, quando adesset dubium de prima causa, quia tunc secunda admissibilis esse posset; & in hunc sensum intelligendi sunt Lopus, & Calderinus.

Vel etiam dici potest, quod pro adipiscenda possessione poterunt tituli multiplicari, quando non adest præiudicium Tertij, & in his terminis locum habebit quod tradunt Lopus & Calderinus; secus autem si sequeretur aliquod præiudicium Tertij ex tali titulorum multiplicatione, pro assequutione possessionis, quia tunc solum ex aliquo titulo certo uti poterit, vt animaduertit Aymon Craueta conf. 171. n. 19. & 20. ex quibus finem imponimus huic quaestioni.

QVÆST.

QVÆSTIO LXVIII.

Cum intrusio sonet in delictum, quod non præsumitur nisi probetur, dubium oritur, cui incumbat onus probandi intrusionem, an asserenti ipsam esse commissam, vel dicenti se canonicè possidere, ad illam excludendam, ne perpetrata reperiatur.

S V M M A R I V M.

Delictum in dubio non præsumitur. n. 1.

Intrusio non præsumitur nisi clarè de ea constet, vel saltem per indicia vehementia. num. 1.

Parochianus, aut alius quispiam interesse habens, qui consentit in Rectorem, vel Beneficiatum, si contra eum agat, tanquam intrusum, tenetur probare intrusionem; alias absolucendus est Rector. n. 3. & 4.

Ordinarius non potest impugnare titulum Rectoris, vel Beneficiati, quando se fecit partem in illo. n. 4.

Eligens, vel electioni consentiens, nequit opponere, vel denunciare aliquid contra electum ab ipso, nisi ex noua causa. n. 4.

Intrusionem opponens contra Rectorem institutum, & immisum in possessionem per Episcopum, tenetur probare intrusionem, alias succumbet. n. 5.

Parochianus, vel alij interesse habentes, qui non consenserunt electioni Rectoris, possunt agere contra ipsum Rectorem intrusum, cui incumbit onus probandi titulum, si constat per indicia vehementia, non fuisse per Episcopum institutum, & in possessionem legitime immisum. n. 6.

Parochianus, vel interesse habens, potest petere ab Ordinario, ut cogat Rectorem ad exhibendum titulum sui beneficii, si ex indicibus vehementibus, vel aliunde præsumitur, esse intrusum. n. 7.

Titulum sui beneficii tenetur Beneficiatus exhibere Ordinario, quoties allegatur intrusus. n. 7.

Institutio, & collatio beneficiorum de iure solum pertinet ad Papam, eiusque Legatum à latere, vel ad Episcopum; & ideo si Beneficiatus allegetur intrusus, ex eo quod ab illis, vel altero eorum non fuit institutus, ei incumbet onus probandi. n. 7.

Intrusionem in beneficio si allegauerit Tertius, præcedens aliquod interesse, incumbet ei onus probandi intrusionem. n. 8.

Titulum beneficii non tenetur exhibere Beneficiatus ex sola assertione aduersarij. nu. 8. & 11.

Secus est in Ordinario. n. 13.

Reus non tenetur exhibere, vel reddere actori instrumenta, vel alia qua contra ipsum allegari, vel nocere possunt. n. 9.

Extende ut num. 11.

Onus probandi contra possessorem incumbit illi, qui allegat infestationem, vel nullitatem tituli ex quo possidet. n. 10.

Titulum suæ possessionis non tenetur quis exhibere ad petitionem partis petentis, non solum in prophanis, sed etiam in Ecclesiasticis. n. 9. & 10.

Quod extende etiam in beneficialibus. numer. 11.

Possessori colorato non incumbit onus probandi legitimitatem tituli, sed ei qui allegat possessionem esse nullam; secus autem si possessor petat illam ratam haberi. n. 12.

Ordinarius potest petere à possessore beneficii, ut exhibeat ipsius titulum, ad cognoscendum, an sit, nec ne, legitime institutus. num. 13.

Intrusionem qui allegat contra Rectorem, vel Beneficiatum possessorem, tenetur illam probare. n. 13.

Intrusi videntur, & sunt valde odibiles. numer. 14.

Executio contra intrusum fieri potest absque nouo processu, docto de intrusione. ibid.

Executoriæ capiunt intrusos. ibid.

Intrusus possessor regulariter non tenetur probare suam possessionem de tempore motæ litis, sed ille qui agit contra intrusum. numer. 15.



Hæc quaestio plura continet capitula, quorum aliqua ex agitatis supra, resoluta manent, provt materia de qua in ipsis disputauimus postulauit. Alia verò in præfati breuiter expendemus; pro quorum resolutione notandum est primò, quod in dubio delictum non præsumitur, l. merito, ff. pro socio, cap. estote, de regul. iur. & in hoc conueniunt communiter Doctores, & consequenter si aliàs clarè non constiterit de intrusione, vel saltem si non adsint indicia illam inducentia, non debet præsumi.

Quo supposito in præfati quaestione distinguendi sunt casus: nam aut Clericus agit pro iuribus, seu nomine beneficii, & ipsi obiicitur intrusio, de quo egimus supra, q. 33. vel quandoque agit petitoria ad ipsum

Q 4 sum

sum beneficium, de quo etiam egimus *suprà*, q. 53. & 54. & 65. seu quandoque agit possessorio, & de hoc differuimus *suprà* q. 51. vel quandoque non agit, sed contra ipsum agitur; & tunc aut molestatur ab Ordinario, qui dicit eum intrusum nisi titulum beneficij producat, de quo articulo aequaliter conducitur, quæ diximus *in questione antecedenti*, aut denique ab alio molestatur, de quo *in presenti questione* facendus est sermo.

3 Et pro clariori explanatione proponendi sunt aliqui casus: & Primus erit, quando qui agit, est parochianus, aut est patronus prætendens ius in beneficio, vel tandem est penitus extraneus, quia non est parochianus, vel patronus, de quo copiosè egimus *suprà*, q. 62. *per totam*; Et dicendum venit, quod si parochianus, aut alius quispiam interesse habens agat de intrusione contra Rectorem, vel Beneficiatum, in quibus tacitè vel expressè illi confenserunt, nullatenus poterunt ipsos impugnare, & exinde non tenebuntur Rector, & Beneficiatus probare suas Canonicas institutiones quoad ipsum Parochianum, vel interesse habentem, quia ut ait Archidiaconus *in cap. Ordinarius, de officio Ordinarij in 6.* non potest Ordinarius impugnare titulum Rectoris, quando in illo se facit partem, & latè probat Loterius plura referens *in tract. de re beneficiaria, lib. 2. q. 46. à num. 36. & sequen. præcipuè n. 42.* & patet ex text. *in c. nulli 8. de electione*; in quo probatur, quod eligens, vel electioni consentiens, nequit opponere, vel denunciare aliquid contra electum ab ipso, nisi ex noua causa; ergo similiter & à fortiori non poterit talis parochianus vel interesse habens oppositionem efficere contra intrusum, ab ipsis approbatum; & si illam intenterint, ad eos pertinebit onus probandi intrusionem.

5 Aut verò non consenserunt; & in tali casu, si illi Rector, & Beneficiatus fuerunt instituti, & in possessionem inducti per Episcopum, vel alium ad id potestatem habentem, & de eo notoriè constat, tunc ipse opponens tenebitur similiter probare intrusionem, & non prætensus intrusus, ut patet ex his quæ diximus *suprà*, *in d. q. 62. num. 6.*

6 Aut verò Parochianus, vel Ordinarius, vel interesse habens non consenserunt, nec constat, institutionem, & immisionem in possessionem fuisse factam auctoritate Ordinarij, sed immo de contrario, saltem per aliqua vehementia indicia, tunc si Rector vel Beneficiatus allegentur intrusi, ipsis incumbet onus probandi, & legiti-

mandi titulum, ut diximus *suprà*, *in d. q. 62. num. 7.* Et ratio deducitur ex eo, quia licitum est Parochiano, vel alij cuiuslibet interesse haberi petere ab Ordinario ut cogat Rectorem ad exhibendum titulum sui beneficij, & si ipsum non exhibeat, remoueat illum tanquam intrusum, & alterum præficiat, ex motiuis adductis *suprà*, *in d. q. 62.* & ex traditis per Fredericum de Senis *conf. 103. num. 2. & 3.* quem refert & sequitur Lotterius *in d. lib. 2. q. 46. num. 39.* Enimvero si Rector, vel Beneficiatus allegauerint se institutos, & in possessionem immisos ab alio quam ab Ordinario, vel Episcopo, erunt adstricti, & eis incumbet onus probandi titulum, ex quo prætendunt ius legitimum beneficij, aliàs iudicandi erunt intrusi, & pro talibus habendi, cum de iure communi institutio beneficiorum solum pertineat ad Papam, eiusque Legatum de latere, vel ad Episcopum, ut notat Glossa per eum textum *in cap. si à Sede 31. verbo, legato, de præbendis in 6.* Lotterius *ubi supra lib. 8. q. 2. num. 21. vers. sed in articulo simplicis iurisdictionis, &c.* Et consequenter si per Parochianum opponatur, Rectorem esse intrusum, ipsi Rectori incumbet onus probandi institutum, & in possessionem missum esse à legitimo Superiore ad id potestatem habente: quæ quidem conclusio æqualiter locum sibi vindicat in Patrono, vel in alio quolibet, cuius specialiter interest, ut patet ex his quæ diximus *suprà* *in sæpè allegata q. 62.* & ex traditis à Lotterio *in d. q. 46. num. 38. & 39.* qui plures refert idem concludentes.

In secundo verò casu, quando videlicet Beneficiatus molestatur, vel conuenitur ab alio penitus extraneo, qui prætendit beneficium ad se pertinere, vel ius in eo habere & exinde allegat, possessorem, seu detentorem esse intrusum; dicendum est, onus probandi incumbere illi prætendenti ius, & non esse cogendum possessorem ad probandum, vel exhibendum titulum per solam assertionem aduersarij, argumento text. *in l. qui accusare 4. C. de edendo, & in l. eum qui dicit ff. de probat.* cum similibus: Reus enim non teneret reddere, vel exhibere actori instrumenta, vel alia quæ contra eum allegari, vel ipsi nocere possunt, *l. 1. C. de edendo, cap. 1. de probat.* ubi communiter Doctores, & plures referentes docent Cenedo *in Collectanea ad Decretales, collect. 167. n. 6.* & Barb. *in collect. ad d. cap. 1. n. 13.* & patet ex *l. cogi 11. C. de petitione hereditatis*, quæ ita ait: *Cogi possessorem ab eo, qui expetit titulum suæ possessionis, dicere incivile est.*

Provt

10 Provt & etiam idem probat Glossa *in cap. 1. in verbo, obtinere, in fine, vers. secundam, cum alius agit, de regul. iuris in 6.* quam sequuntur Ancharanus *ibidem num. 10. vers. tertio casu principali*, Abbas *in cap. cum nostris, n. 2. q. 4. vers. cui autem incumbat.* & Imola *n. 27. vers. circa secundum, de concessione præbende, & ibidem ipse Imola allegat Compostel. in cap. capitulum, num. 5. 2. vers. cum impetrans, de rescriptis*, asserentem quod ad petitionem impetrantis vel agentis contra possessorem, non debet iste remoueri, nisi contra ipsum aliquid probetur, ex quo appareat ius non habere, & hoc fieri debere per allegantem, non vero per possessorem.

11 Quæ quidem regula extendenda est, & locum habet non solum in prophanis, sed etiam in Ecclesiasticis, & in beneficialibus, ut advertunt Couarru. *in regula, Possessor 2. p. §. 10. num. 9. vers. hinc & alia solemnis quæstio*, latè Azevedo *super librum 4. noua recopilationis tom. 2. tit. 1. ad l. secundam, de la iurisdiction Real*, qui plures allegat idem tenentes, eisque iunge Verallum *decif. 47. p. 2.* quem refert & sequitur Aloysius Riccius *in collect. decif. p. 2. collect. 459. vers. amplia quarto: copiosè Castillo tom. 7. de Tertijs, cap. 16. num. 4. & sequent.* & ideo onus probationis non incumbet intruso Reo & possessori in tali casu.

12 Nec contra superius dicta obstat textus *in cap. ex insinuatione 3. de procuratoribus*, ubi *in fine* deciditur, quod ille Archidiaconus possessor (de quo erat dubium) probauit suam canonicam institutionem: ex quo induci videbatur, quod etiam si esset possessor, ei incumberebat onus probandi, & exinde non bene proximè dictam resolutionem à nobis fuisse traditam. Quia respondetur, ideo illum Archidiaconum probauisse suam canonicam institutionem, quia ipsemet petebat suam possessionem ratam haberi, & consequenter ei incumberebat onus probandi, illam esse iustam & legitimam: vel secundo responderi potest, provt *ibidem* respondet Glossa *in verbo, probare potuerit*, videlicet, quod cum de iure communi non potuisset ille Archidiaconus habere illam præbendam, opus fuit ostendere dispensationem, propter notoriam iuris resistentiam, resultantem ex incompatibilitate; quod quidem non contradicit conclusioni, & doctrinæ à nobis propositæ.

13 Nec similiter obstat textus *in cap. ex frequentibus 3. de institutionibus, & in cap. relatum 21. de iure patronatus*, ex quibus deducitur, possessorem teneri titulos exhi-

bere, eique incumbere onus legitimandi suam canonicam institutionem; quia illa iura loquuntur in Ordinario, qui de iure potest petere à possessore, ut exhibeat titulum sui beneficij, ad hoc ut tanquam ludeat, & Ordinarius cognoscat, an sit, nec ne, canonicè institutus: quod quidem non licere Tertio agenti contra illum, docent Couarru. *in d. regula, possessor, secunda parte, §. 10. num. 9. vers. hinc & illa solemnis quæstio, &c.* Azevedo *ubi supra, ad d. lib. 4. noua recopilationis, tit. 1. ad l. 2. n. 5. vers. si tamen Index Ecclesiasticus, &c.* ubi citat Ludouicum Gomezium *in Regula de trienniali, quæst. 43.* optimè Lotterius *de re beneficiaria, d. lib. 2. quæst. 46. num. 36. & 37.* & in terminis intrusi ita concludit Mascardus *de probationibus, conclus. 937. n. 4.* qui ita ait: Asserenti igitur quem intrusum esse, incumbit onus probandi, &c.

14 Quæ quidem adeo vera sunt, ut idem etiam dici debeat in intrusione arentata, seu exequuta lite pendente: nam licet aliàs talis intrusus, qui mora lite se intrusit, valde sit odibilis in iure, cum contra eum deueniri possit ad executionem sine nouo processu, sed docto tantum de intrusione, nam apud omnes est in confesso exequutoriales capere intrusos, ut docet Crescentius *decif. 142.* quæ incipit, *Exequutoriales*, sub titulo *de re indicata*, & cum Lancelloto diximus *suprà*, q. 57. à n. 6. & sequen. & similiter intrusus non possit dare obiectus, ut latè differuimus *suprà*, q. 65. consequenter ex his videbatur dicendum, quod in odium ipsius intrusi debebat ei incumbere onus probandi, & iustificandi possessionem, & quod ante litem motam ipse erat possessor, ex quo aliquo modo coloraretur intrusio prætensa.

Tamen his non obstantibus, pluries fuit per Rotam declaratum, in tali casu onus probandi intrusionem incumbere agenti contra intrusum, & huic sufficere probare se esse possessorem ante sententiam, & motam litem, ut habetur in *decif. 14. alias 477.* quæ incipit, *Supposito*, &c. & *decif. 15. alias 478.* incipiente, *In causa quæstionis: sub tit. de probat. in nouis*, quas cum aliis penes Ægidium, Crescentium, & Ordinum refert & sequitur Lancellotus, eisdem fere verbis *suprà* relatis, *in suo tract. de attentatis, p. 3. cap. 26. sub tit. de probat. attentator. n. 43. & 44. ubi n. 45.* ita concludit.

Et ita in proposito potest esse regula, quod Titius qui est passus intrusionem, ad illam probandam debet docere de dicto secundo requisito, videlicet se fuisse in possessione rei, de qua litigatur, de dicto tempore

tempore litis motæ per omnes supradictas decisiones, dum in eis concluditur, quod onus probandi, quod is qui prætentur intrusus, possessionem fuerit ingressus post sententias, incumbit ei, qui allegat intrusionem, adeo quod si nihil probaret, non posset contra prætentum intrusum deueniri ad executionem &c. Hæc Lancelotus, qui in sequentibus numeris multipliciter ampliat, & declarat prædictam regulam, apud quem videre poteris, ne in hoc diutius immoremur.

Ex quibus concludendum est, quod onus probandi intrusionem incumbit ei, qui illam allegat contra intrusum toleratum, & possesorem.

QVÆSTIO LXIX.

Intrusio quomodo probetur.

S V M M A R I V M.

Intrusio ex variis causis probari potest per testes, & instrumenta. n. 1. & 2.

Intrusio attentata ut probetur, prius probanda est litis pendentia per eum qui illam allegat. n. 3.

Intrusio attentata concludenter probatur per instrumentum adeptæ possessionis post litem motam, quæ etiam probari potest per testes, vel per confessionem. n. 4.

I V I vs quæstionis resolutio faciliter reperietur, si ea quæ superius in quæst. 2. & sequen. differuimus, in memoriam reuocentur, in quibus enumerauimus species intrusionum, seu modos quibus aliquis dicitur intrusus, qui quidem resultant ex variis titulis, ex quibus intrusio probari possit, cum ex variis accidentibus quis committat intrusionem: quapropter si aliquis voluerit probare Titium esse intrusum, id efficere poterit probando per testes, vel instrumenta, quod ipse obtinuit beneficium à non habente potestatem conferendi, vt diximus supra, in d. q. 2. num. 16. & sequen. vel etiam si eodem prorsus modo probauerit aliquem ex quatuordecim modis enumeratis in d. q. 2. & aliis sequentibus, in quibus, & in aliis similibus incurritur intrusio, vt & etiam longa manu congerit Mascardus de probationibus conclus. 937. ferè per totam, vbi ad hunc effectum diligenter explicat dictos modos, seu casus ex quibus secundum eum num. 4. facile erit cuiilibet agenti, vel excipienti, deducere probationem suæ inten-

tionis, quam efficere poterit per testes, vel instrumenta, vt dictum est.

In intrusione verò attentata dubitari etiam potest, quomodo dignoscatur, eam esse incursum? Et dicendum est, prius fieri debere probationem litis pendentis per eum qui allegat ipsam litis pendentiam, vt docet Parisius conf. 47. num. 11. lib. 4. eaque sic probata, si Titius allegans Mæuium intrusum, probet quod tempore motæ litis erat in possessione, & quod Mæuius lite pendente ipsam fuisset ingressus, id efficere poterit vel per instrumenta, aut per confessionem partis, aut per testes, & concludenter apparebit per instrumentum possessionis captæ, factæ computo, & calculo ad tempus litis motæ: Quod idem iudicium formari potest ex confessione ipsius intrusi, & ex tempore quo testes deponunt; vt copiosè plures decisiones referens, & varios intellectus adducens tradit Lancelotus de attentatis 3. p. cap. 26. sub tit. de prob. attentat. à num. 60. incipiente, Quoad tertium, facilis videtur, &c. vsque ad num. 71. vbi plura cumulat ad hunc articulum conducentia; qui quidem cum careat difficultate, apud ipsum Lancelotum videre poteris, ne prolixè in hoc detineamur, vt ad alia difficiliora transire valeamus.

Ex quibus concludendum est, intrusionem commissam per aliquem ex modis enumeratis supra, in d. q. 2. & sequ. probari posse, vel per partis confessionem, aut per instrumenta, seu per testes, &c.

QVÆSTIO LXX.

Agenti petitorio ad beneficium vt obtinere possit, an sufficiat probare aduersarij intrusionem, vel ex iure suo debeat illam concludere.

S V M M A R I V M.

Agens petitorio tenetur probare aduersarij intrusionem ad excludendum Rectorem. numer. 2.

Titulum tenetur probare qui agit petitorio ex causa intrusionis, & si illum non probauerit, absoluendus venit Reus. n. 2.

Actore non probante absolui debet Reus. n. 2. & 5.

Iura magis abhorrent quod Reus possessor, etiam intrusus, remoueat, quam quod habens aliquod ius suspendatur ab ipsius consequentione. numer. 3.

Absoluere

Absoluere nocentem possessorem tutius est, quam innocentem non possessorem condemnare. numer. 4.

Beneficium petens tanquam suum, vel sibi debitum, tenetur concludenter probare ius suum; nec satis est probare, Reum in illo ius non habere. n. 4.

Reus licet ius non habeat, absolui debet ab impetitione actoris, quando de istius non iure constat. numer. 5.

De iure possessoris non est curandum, si constat de mente petitoris, etiam in beneficalibus. numer. 5.

Possessorem illegitimum remanere in possessione melius est, quam quod alter in eam vitiosè ingrediatur. n. 5.

Actor non potest obtinere ex eo, quod Reus excludi debeat. numer. 6.

Titulum beneficij iustificare tenetur, qui petit suam institutionem ratam haberi, vel suam electionem confirmari. n. 7.

Confessio intrusionis, facta à Reo prætenso intruso, non concludit intrusionem, vt ex sola confessione actor obtinere possit. n. 8. & 9.

Intellige vt n. 12.

Confessio intrusi in beneficio non tribuit titulum agenti de intrusione, vt ex sola confessione concludatur intrusio. n. 8.

Intellige vt n. 12.

Confessio coniugis super impedimento non concludit nullitatem matrimonij. n. 9.

Confessio partis non sufficit ad effectum adiudicandi beneficium ei, qui ipsum prætenedit, ne hac via pateat vitiosus ingressus. numer. 10.

Intellige vt n. 12.

Confessio aduersarij non concludit titulum beneficij, & exinde eius possessio nulli debet adiudicari, quin prius doceat de canonica institutione. n. 11.

Confessio partis nocet ei, si ad beneficium agatur possessorio: secus autem si petitorio. numer. 12.

Parochianus vel alius interesse habens, qui agit contra Rectorem ex eo, quod sit intrusus, an teneatur probare ius suum, an verò rincumbat Rectori, anceps est quæstio. numer. 13.

Parochianus agens contra Rectorem tanquam intrusum, non tenetur docere de intrusione, sed onus probandi incumbit Rectori. n. 14.

Sed contra. n. 17.

Intellige vt n. 21. & seqq.

Patronus qui fuit spretus, potest petere, vt annulletur presentatio propter contemptum, probato prius per ipsum se esse patronum. numer. 15.

Parochianitatis qualitas sufficit ad agendum contra Rectorem ex capite intrusionis. n. 16.

Intellige vt num. 20.

Rektor, seu Beneficiarius potest dare obiectus contra Parochianum seu actorem, & ex sua possessione se defendere, quam non tenetur iustificare in illa instantia, sed ipse agens debet probare nullitatem. n. 17.

Præsumptio tituli legitimi oritur ex possessione. numer. 17.

Delictum non præsumitur nisi probetur. numer. 17.

Confirmatio dari non potest, quin prius doceatur de titulo supra quem fieri debeat. numer. 18.

Institutus ad beneficium cum auctoritate Ordinarij, tutius remanet ex sola institutione, donec per impugnantem doceatur de contrario. n. 19.

Actor probare debet quod intendit, alias Reus absolui debet. n. 20.

Rektor institutus, & in possessionem immisus auctoritate Ordinarij, non tenetur probare titulum, si de eo notoriè constat; & si intrusio contra eum opponatur, incumbet agenti onus probandi; secus autem si de institutione canonica non constat, sed immo de contrario per notorietatem, vel per aliqua iudicia vehementia. numer. 21. & sequent.

Parochianus vel Patronus, qui consensit in Rectorem, vel Beneficiarium, non potest ipsum impugnare ratione tituli, secus si non consensit. n. 22.



Hæc quæstio ad duo capita reducenda est, vt resolutio desumi possit. Primum erit, quando quis agit ad beneficium prætendens ius in eo habere, & aduersarium esse intrusum: Secundum verò quando non agit ad beneficium consequendum, sed tantum petit ratione sui interesse, quod possessor tanquam intrusus à beneficio remoueat & alius in eo canonicè, & legitime præficiatur.

Et quoad primum, de eo qui agit petitorio ad beneficium tanquam ad se pertinet, dicendum est, quod non sufficit probare intrusionem aduersarij, vt beneficium agenti adiudicetur, sed quod tenetur probare ius suum legitimum, hoc est docere de titulo, taliter quòd si ipsum non probauerit, Rektor, vel Beneficiarius absoluendus veniat ab impetitione contra eum proposta, ex illa iuris regula vulgari, quod Actore non probante Reus absolui debeat: l. qui accusare C. de edendo. l. Actor, C. de probationibus, l. exiat 25. ff. de iure Fisci, cum aliis pluribus, & tradunt communiter Doctores: Quæ regula adeo est vera, vt procedat etiam

etiam & locum habeat contra fiscum, eo enim non probante, absolendus est reus, quamuis ipse assumpsisset in se onus probandi, in tantum vt adhuc data paritate probationum, absolui debeat, vt optimè cum pluribus aduertit Sebastian. Guazzinus in tract. de defensione reorum, defens. 29. cap. 1. sub tit. privilegia defensionis, &c. n. 2. & 6. & ferè per totam.

3 Ratio est, quia iura magis abhorrent, quod Reus, etiam intrusus in beneficio, si possideat, remoueatur à possessione, quam quod habens aliquod ius suspendatur ab ipsius consequitione, vt docet Ludouicus Romanus cons. 347. num. 5. & patet ex his quæ lato calamo diximus supra, q. 65. ferè per totam, quæ valde conducunt ad hunc articulum. Et vt ait Mascardus de probationibus conclus. 36. n. 7. in terminis prædictæ regulæ. tutius est nocentem possessorem absoluere, quàm innocentem: non possessorem condemnare, argumento textus in l. absentem, ff. de penis, & plura alia ad intentum videre poteris penes ipsum Mascardum: & in specie propositæ quæstionis concludit Felinus in cap. olim 25. de rescriptis num. 10. quod petens beneficium tanquam suum, vel sibi debitum, & consequenter fundans se in iure proprio, tenetur illud concludenter probare: nec satis esse docere, Reum in illud ius non habere: & ex eo textu ita colligunt Glossa vltima in cap. 1. de eo qui mittitur in possessionem, &c. lib. 6. vbi communiter Doctores, Glossa etiam penultima in cap. 1. vt lite pendente, eodem libro, & in cap. vltimo, verbo, debeat, de iurando, eodem libro, & ita tenuit Rota decis. vltima alias 827. quæ incipit, Nota quod materia qua alias, &c. sub titulo de except. in antiquis, & decis. 1. alias 27. quæ incipit, Fuit dubitatum utrum habens, &c. sub titulo de sequestr. possession. & fruct. in nouis, optimè Rebuff. in praxi, super regulam de non tollendo ius quæsitum, glos. 7. vbi n. 9. ita concludit:

5 Ideo quando constat de non iure agentis, licet Reus ius non obtineat, tamen absoluetur ab actoris impetitione, per l. finalem, C. de rei vindicatione, vbi non curamus de iure possessoris, si non constet de mente petitoris: Actore enim non probante Reus absolui debet: l. qui accusare, C. de edendo, etiam in beneficalibus: quia melius est istum remanere in possessione, quàm si alter vtiōsè ingrederetur eandem, vt decidunt Domini de Rota decis. 419. Not. an Reus in antiquis, sub tit. de exceptionibus, decis. 7. Hæc Rebuffus, cui consonat latè Felinus in d. cap. olim, n. 9. de rescrip. per hæc verba: Colligitur ex isto textu, quod ad hoc vt quis

consequatur beneficium, non sufficit probare de non iure aduersarij, nisi etiam agens probet de iure suo &c. & ideo dixit Butrius in cap. in presentia, secunda oppos. de renunciatione, 6 quod non sequitur: Exclusus est aduersarius, ergo ipse agens & petens debet obtinere, &c. Vique huc Felinus, qui late prosequitur præsentem articulum, apud quem omnino illum videbis, quia ad intentum plura congerit, & ibidem allegat Ludouicum Romanum cons. 347. qui n. 4. optimè concludit, declarationem super non iure Rei, non probare ius in beneficio actori competere, quia potest beneficium non esse agentis, nec conuenti: per tex. in l. inter te & me, in fine, ff. de excep. rei iudic. & in l. Pomponius, §. sed & is, ff. de procuratoribus, & in l. finali, C. de rei vindicat. & per alia fundamenta adducta ab ipsis Romano & Felino.

7 Quæ quidem conclusio similiter ampliari debet, vt idem etiam dicendum fit in eo, qui petit suam possessionem ratam haberi, aut suam institutionem decerni canonicam, ex eo quod peruulgauit fama, ipsum esse intrusum, & ad illam sanandam petit canonicationem suæ institutionis, & possessionis, tunc enim ipse tenebitur probare & iustificare ius suum, & legitimitatem tituli: vt colligitur ex cap. ex insinuatione 37. de rescriptis, & ibidem norant Imol. n. 10. vers. ideo pro declaratione, & Cardinalis in 9. opposit. & in cap. cum super, in 1. opposit. de concess. præben. & Innocen. in cap. 1. de confirmat. vtili vel inutili, qui etiam docet in d. cap. ex insinuatione, idem dicendum esse, si petat suam electionem confirmari, nam in tali casu tenebitur etiam titulum iustificare.

8 Notandum est insuper, quod licet ex confessione propria Rei constaret de intrusione, adhuc tamen si de iure suo actor nihil probauerit, absolendus erit Reus, nam ex tali confessione non oritur titulus legitimus, quem confessio, nec ipse confitens potest præstare ad qualificandam intentionem & probationem in ipso actore requisitam, vt post Compstetel, docuit Felinus in d. cap. olim, n. 10. vers. fortius dixit Compstetel, &c. Rom. in d. consilio 347. n. 4. in fine, Abbas in cap. ex conquestione, columna antepenultima, de restitutione spoliatorum, Mascardus, alios referens, de probationibus, conclus. 36. num. 31. vers. 4. ampliatur, Aloysius Riccius in collect. decis. par. 4. collect. 889. in fine vers. limita 5. &c. quibus iunge Rebuffum in praxi, super regulam de non tollendo ius quæsitum glos. 7. n. 4. Mandof. super regulam 18. de rescrip. sub tit. de atate pro canonicatibus &c. q. 7. n. 5. Boeriu decis. 293. num. 2.

num. 2. qui sumit argumentum à simili, de matrimonio carnali, in quo non statuitur confessioni coniugis super eorum impedimento, vt in cap. super eo, de eo qui cognouit consanguineam, &c. & plures allegans docet latè Sanchez de matrimonio, lib. 2. q. 45. n. 33. & sequen. ergo idem dicendum erit de matrimonio spirituali, contracto per Beneficiarium cum Ecclesia, vt non sufficiat ipsius confessio de intrusione ad effectum vt ex ea sola probata remaneat intrusio: & circa hunc articulum plura congerit Boerius vbi proximè, apud quem videre poteris.

10 Quod etiam roboratur ex his quæ decisa sunt per Rotam in antiquis decis. 42. alias 244. quæ incipit, Nota quod vbi positio partis &c. sub titulo, de testibus & attestacionibus in qua fuit resolutum, quod confessio partis non sufficit ad effectum adiudicandi beneficium, cum nec etiam expressa ad hoc sufficiens sit. Et ratio est, ne per hanc viam vitiosus ingressus ad beneficium pateret, cap. unico vbi Glossa verbo, vitiosus, de eo qui mittitur in possessionem, in 6. & optimè tradit Boerius decis. 89. n. 1.

11 & 2. vbi resoluit quod confessio aduersarij non concludit titulum beneficij, & nulli debet ipsius possessio adiudicari, quin prius doceat de titulo, qui quidem cum non possit apparere, nec concludatur nisi ex canonica institutione, cap. ex frequentibus cum concordantibus, de institutionibus sequitur exinde quod confessio nihil poterit operari ad tribuendum aliquem titulum aduersario, vt ipsum vincere possit & concludere de intrusione, vt agenti beneficium adiudicetur.

12 Hæc autem intelligenda, & declaranda veniunt, videlicet confessionem non nocere, quando scilicet agitur petitorio: at verò si possessorio agatur, tunc proderit talis confessio, veluti si confiteatur, intrusum inductum fuisse in possessionem ab eo, qui de iure vel consuetudine potuit ipsum aduersarium inducere, hæc namque confessio sufficiens erit ad consequendam restitutionem, vt concludunt Felinus in d. cap. olim, n. 10. vers. limita secundo, Boerius in d. decis. 89. & decis. 293. n. 3. quos refert & sequitur Quintilianus Mandofius ad d. regulam 18 in d. q. 7. n. 5. circa medium, quod idem voluit Anton. in cap. in literis, colum. 10. vers. numquid autem coloretur, de restitutione spoliator. Alias autem limitationes, & declarationes ad suprad. ta videre poteris penes Cosmam Guimier in pragmat. sanctione sub tit. de pacificis possess. §. Ordinarij, in glossa, verbo, Ordinarij inquirant, colum. 3. n. 3.

Tract. de Intrusione.

vers. quia inferior, & ibidem latè agit, & Felin. in d. cap. olim, à n. 9. vsque in finem de rescript. cum Boerio in d. decis. 293. qui omnes circa præsentem quæstionem quoad primam partem de eo qui prætendit ius habere in beneficio ad illud consequendum plura congerunt notatu digna: ex quibus concludendum est in 1. cap. huius quæstionis, actorem agentem petitorio, teneri ius suum probare, docendo de legitimo suo titulo: nec sufficere ad vincendum, ostendere non ius Rei: vt patet ex fundamentis supra adductis.

13 Et deueniendo ad secundum casum quando scilicet aliquis agit ad beneficium consequendum ratione sui interesse, & ex eo petit, vt intrusus in beneficio remoueatur, v.g. Parochianus, vel Patronus, quibus negari non potest, ipsos interesse habere, vt in Ecclesia sit institutus, & in possessionem immixtus legitimus Rector, seu Beneficiarius, vt latè diximus supra, quæst. 62. à num. 6. cum seqq. Dubium igitur oritur, an talis interesse habens, teneatur probare ius suum, & ostendere, quod sit Parochianus, & Patronus, & insimul propalare causas, propter quas ille prætensus intrusus remoueri debeat. Et videtur dicendum, ipsis non incumbere, sed Rectori vel Beneficiario: argumento sumpto ex cap. veniens, el. 2. vers. P. Subdiaconus noster, &c. de testibus, ex quo probatur, quod ille P. Subdiaconus, qui in specie illius textus litigabat, probauit post litem contestationem, se canonicè esse talem: ergo eodem modo Rector seu Beneficiarius ad idem erit adstrictus contra interesse habentem, qui contendit remoueri illum tanquam intrusum.

15 Secundo facit, quia Patronus qui fuit spretus, petere potest vt propter contemptum annulletur præsentatio, vt latè probat Viuianus in praxi iuris patronatus, lib. 8. cap. 2. à n. 7. & sequ. attamen vt id efficere valeat, tenetur prius probare, se esse patronum: argumento textus in cap. decernimus, 16. quæst. 7. ergo similiter Rector seu Beneficiarius tenebitur prius ostendere & legitimare titulum ex quo intendit excludere intrusionem contra eum, vel eos, oppositam.

16 Tertio quia eo ipso quod vt Parochianus fuit admixtus ad agendum contra Beneficiarium vel Rectorem prætensum intrusum, non est amplius aliquid inquirendum, cum constet de sua qualitate, quæ sufficit ad causam prosequendam, iuxta ea quæ diximus supra, quæst. 62. à num. 13. & sequen. & patet ex cap. ex parte 7. de testibus, vbi ille laicus fuit admixtus ad agendum, R. dum,

dum, & presbyter contra quem opponere intrusionem & illegitimitatem tituli, probavit exceptionem: ergo, &c.

17 Sed contra hanc partem clamant quae diximus supra, q. 65. & 68. ubi resolutum reliquimus, quod Rector seu Beneficiatus possessor potest dare obiectus contra Actorem parochianum, vel alium interesse habentem, & se tueri ex possessione, nec teneri ipsam iustificare, sed quod ille vincere debet per non ius actoris: ergo qui contra illum egerit, tenebitur probare id quod intendit; non verò Rector seu Beneficiatus, cum ipse fauat praesumptio legitimi tituli ex possessione; nam delictum non praesumitur donec probetur, ut diximus in quaest. 68. num. 1.

18 Nec contra hanc secundam conclusionem obstant argumenta superius ponderata, num. 14. & sequenti. nam ad text. in d. cap. veniens, respondetur, quod in specie illius textus non deciditur, quod ille Subdiaconus teneatur post litem contestationem probare, ut admitteretur ad contradicendum, sed tantum, ut confirmationem prosequeretur, quod fieri nequit, nisi docto de causa, & titulo, supra quem confirmatio cadere posset; cumque hoc esset fundamentum suae intentionis, nihil mirum, textum decidere, ut talis probatio requiratur: quod quidem quam sit diuersum ad nostrum casum, clarè patet.

19 Nec similiter vrget secundum, nam satisfit ex eo, quod in dict. cap. decernimus, eo ipso quod aliquis sit institutus ad beneficium auctoritate Superioris, habet pro se praesumptionem tituli legitimi, & consequenter praecise requiritur quod volens titulum impugnare, vel ratione contemptus habitus, cum esset patronus: aut ratione alterius iuris ad se pertinentis: prius de eo docere debet, ut contra Ordinarij institutionem aliquid opponere possit: quod quidem secus est in ipso instituto ab Ordinario; iste namque ex sola institutione tutus remanet, donec per impugnantem de contrario doceatur; & consequenter hoc argumentum potius fauet secundae sententiae quam primae.

20 Ad tertium denique respondetur non sequi argumentum, videlicet constat quod est parochianus, quod sufficit ad causam prosequendam, ergo non tenetur probare oppositionem: nam antecedens est verum, non tamen ex eo sequela deducitur, nam eo ipso quod agere proponit, probare tenetur quod intendit, alias Reus erit absolvendus ex dictis supra in quaestione 62. 65. & 68.

In hoc articulo existimo, pro vera illius resolutione, distinctione vtendum esse, quam adduximus supra, quaest. 62. num. 2. & sequenti. & quaest. 68. à num. 3. & sequenti. scilicet quod aut notoriè constat talem Beneficiatum, aut Rectorem esse institutum, & in possessionem immissum cum auctoritate Ordinarij; vel similiter est notum, ipsum agentem consensisse electioni seu praesentationi talis praesentis intrusi, & tunc onus probandi omnino incumbet agenti; at vero si de eo non constat, sed immo de contrario, videlicet non esse institutum, & in possessionem immissum cum auctoritate Ordinarij per notorietatem, vel saltem cum legitimis fundamentis, coniecturis, vel indiciis vehementibus, etiam extraiudicialibus, tunc Rector seu Beneficiatus tenebitur docere de suo iure: ut patet ex fundamentis adductis in dicta quaest. 68. & ex congestis per Fredericum de Senis cons. 103. incipiente, Parochialis cuiusdam Ecclesiae, &c. qui in terminis disputat hunc articulum, & postquam varia argumenta pro vtraque parte proposuit, tandem num. 2. circa medium, suam interponit sententiam per haec verba:

Ad hoc dicendum videtur, quod si iste Parochianus in istum consenserit, ut in Rectorem, tacite, vel expresse, non possit ipsum ulterius impugnare ratione eius tituli, quia non potest hoc Episcopus; ut dicit Archidiaconus in cap. Ordinarij, per hoc cap. nulli, de electione lib. 6. cum similibus: si verò consensit, tunc dicendum est quod si ille Presbyter est institutus per Episcopum, & inductus in possessionem, & de hoc constat, tunc Parochianus qui negat ius, quia dicit eum non canonicè institutum, habet hoc probare, ex quo constat ex facto interueniente auctoritate Ordinarij. ff. de probationibus, l. ab ea, &c. Si verò non constat quod auctoritate Ordinarij fuerit institutus, & quod in eum, nec ipse, nec Ordinarius consenserit, potest petere (cum sua interest) ab Episcopo, vel Legato, quod ipsum cogat, ut ostendat titulum, & si non ostenderit, quod ipsum amoueat, & alium praeficiat, &c. Haec Fredericus.

Ex quibus, cum praedicta distinctione quoad hanc partem concludendum est, quod tunc Rectori vel Beneficiato incumbet onus probandi, quando non fuerit institutus, & in possessionem immisus auctoritate Ordinarij, nec interesse habens, qui agit contra illum, in ipsum consensit; at verò si cum auctoritate habentis facultatem ad eum effectum, fuit iuxta formam iuris institutus, & in possessionem immisus,

sus, vel consensit in ipsum, licet alias diuersos habeat defectus, ex quibus titulus aliquo modo possit infringi, eo tamen non obstante, tunc pertinebit probatio infectionis tituli ad eundem agentem de intrusione, qua legitime non probata absolvendus erit Reus ab impetitione Actoris ex motiuis & fundamentis ponderatis in dicta quaest. 65. & 68.

QVÆSTIO LXXI.

An Ordinarius possit inquirere de intrusione contra Beneficiatum, & in tali casu cui incumbat onus probandi canonicam institutionem, vel intrusionem.

S V M M A R I V M.

Libellus offerri debet, ut contra aliquem iudicialiter procedi possit. n. 1.

Ordinarius an repellat possit, tanquam suspectus, quando procedit per viam inquisitionis. n. 2. & sequenti.

Titulum exhibere tenetur Beneficiatus, quoties ab Ordinario petitur, quando per viam inquisitionis procedit. n. 3. & sequenti.

Clericus subditus non potest appellare à correctione, quam Superior ei iniungit, si procedit per viam inquisitionis. n. 3. & 30.

Exceptio suspicionis opposita contra Ordinarium procedentem per viam inquisitionis non impedit, quominus Beneficiatus, contra quem agit, teneatur docere de titulo, & causam iustificare. n. 4.

Libellus vel alia iudicialis indago non est necessaria, quando Ordinarius procedit per viam inquisitionis. n. 5.

Episcopus inquirens in visitatione, non potest tanquam suspectus recusari. n. 5.

Ordinarius sine aliquo iudiciali strepitu potest per viam inquisitionis inuestigare an Beneficiatus sit intrusus, vel non, & illum priuare, constituto de intrusione. n. 6.

Intellige ut n. 7. & sequenti.

Possessor beneficij per longum tempus non tenetur exhibere titulum Episcopo, etiam si procedat per viam inquisitionis. n. 7. & 45. cum sequenti.

Secus si possessio esset recentis. n. 8. & sequenti.

Titulum suae possessionis tenetur ostendere Beneficiatus, quando ad instantiam Iudicis legitimi petitur, ut ipsum exhibeat. numer. 8.

Possessor decennialis beneficij habet titulum contra. de Intrusione.

loratum, & ideo non potest molestari, vel ipsum ostendat. n. 9. & 10.

Possessor triennalis beneficij non potest molestari neque in possessorio, neque in petitorio, dummodo non sit violentus, aut alio legitimo impedimento detentus. n. 9.

Titulum non tenetur exhibere beneficij possessor ad instantiam partis; secus si Iudex Ecclesiasticus procedat ex officio. n. 10.

Episcopus si tacite vel expresse consensit in Beneficiatum, non potest amplius ex officio illum compellere ut titulum exhibeat. n. 10. & 11.

Ordinarius quando procedit per viam inquisitionis, potest compellere possessorem beneficij, ut probet suam canonicam institutionem. n. 12. & 13.

Titulum exhibere tenetur possessor beneficij, quando Episcopus ex officio illum inquirit. num. 13.

Quod extende ad Praelatos inferiores. n. 17.

Episcopus in spiritualibus potest cogere possessores, ut titulum exhibeant, cuius virtute possident. n. 13.

Quod extende etiam ad Ordinarios inferiores. num. 17.

Episcoporum munus est, expellere intrusos in beneficiis; & illos priuare, iuxta subsistente causa. n. 13.

Clericus tenetur officio Iudicis titulum beneficij exhibere, quoties ab ipso petitur. n. 14.

Titulum suae possessionis regulariter in profanis quis exhibere non tenetur, secus in spiritualibus, & beneficialibus. n. 15.

Beneficium sine canonica institutione possideri non potest. n. 15.

Beneficiatus tenetur ostendere titulos, quando Ordinarius ex officio inquirit. n. 15.

Indagatio titulorum beneficialium, facta per Episcopum ex officio, potius tendit ad extraiudicalem inquisitionem, quam ad iudicium aliquod formale. n. 16.

Ordinarij dicuntur habere ius instituendi, vel destituendi de beneficijs. n. 17.

Ordinarij inferiores habentes ius instituendi vel destituendi, possunt ex iusta causa priuare beneficijs; & consequenter quando per viam inquisitionis procedunt, cogere valent, ut possessores titulos exhibeant. numer. 18.

Intrusus possessor beneficij, vel obtinens plura incompatibilia, potest cogi ab Ordinario, ut titulum, & dispensationem exhibeat. num. 19.

Quod extende etiam si illa beneficia sint in diuersis Diocesis, nam quilibet ipsarum Ordinarius habet ad id facultatem. num. 20.

Ordinarius potest per edictum sub poena ex-

communicationis compellere Beneficiatos, ut titulos suarum possessionum exhibeant, & si fuerint contumaces, procedere ad vacationem qua ipso iure incurritur. num. 21. & 22.

Passessor etiam pacificus beneficij tenetur ostendere titulum, cum Superior ex officio innuit, non obstante regula de Triennali. num. 22.

Edicta generalia Episcoporum iubentia exhiberi titulos, vel dispensationes obtinentium plura beneficia, non se extendunt ad simplicia, vel non obtenta contra ius. n. 23.

Passessor recens beneficij tenetur ostendere titulum ipsius, quoties petitur ab Ordinario procedente ex officio, dummodo in illum non consenserit tacite vel expresse. n. 24. & 25.

Limita ut n. 26.

Beneficiatus collitigans, quando nominat eum, cum quo litigat, sub nomine beneficij super quo litigat, censetur sic nominato ius suum renunciare. n. 25.

Ordinarius qui consensit tacite vel expresse in Beneficiatum, potest assumere onus probandi, quod fuit deceptus, & ex inde quod ille est intrusus. n. 26.

Possessio diuturna si sit contra ius, non est sufficiens, ut non teneatur possessor docere de titulo. n. 27.

Ordinarii sub gravi pena compellere debent obtinentes plura beneficia, ut exhibeant dispensationem virtute cuius illa possident. num. 28.

Possessor beneficij non tenetur exhibere titulum Ordinario, si iste se constituat partem, & tunc id sit, quando iniuste procedit, vel iudicialiter coram Superiore. n. 29.

Intellige ut ibidem.

Appellatio non datur à præcepto Ordinarii iubentis per viam inquisitionis, ut possessores beneficiorum titulos exhibeant. n. 30.

Appellatio non admititur à correctione morum, quam facit Episcopus per viam inquisitionis. n. 30.

Possessor antiquus non potest cogi ab Ordinario ad exhibendum titulum, si eum petat. n. 31.

Tolerantia Episcopi diuturna facit presumere titulum legitimum beneficij, nam visitando de titulis inquirat, cum non sit credibile ipsum permittere aliquem sine canonico titulo diu possidere. n. 32.

Mulier quæ diu tacuit in matrimonio, suspecta redditur, si postea proclamet pro impotentia, vel alio impedimento viri. n. 33.

Accusator qui multum distulit accusationem, suspectus redditur. n. 33.

Dolus presumitur in accusante, si diu distulit accusationem. n. 33.

Taciturnitas Ordinarii in inquirendo titulum beneficij, inducit ipsius approbationem. n. 34.

Temporis diuturnitas facit perdere & perire probationes rerum. n. 35.

Solemnitas extrinseca licet non presumatur, tamen ex diuturnitate temporis presumitur. n. 36.

Vetustas temporis supplet titulum, & inducit presumptionem pro possessore. n. 36.

Titulus legitimus presumitur in possidente ex diuturna possessione. n. 37. & 45.

Diuturna possessio beneficij operatur, ut possidens non teneatur exhibere titulum, si ab Episcopo petatur, dummodo non sit de nouo creatus, vel diu fuerit absens propter legitimum impedimentum. n. 38. & sequen.

Episcopus potest compellere Beneficiatum ad titulum exhibendum, & ad verificandum saltem per iuramentum. n. 39.

Diuturnitas temporis facit presumere titulum in possidente, dummodo concurrat cum aliis adminiculis. n. 40.

Possessori si resistat ius commune, nihil operatur diuturna possessio ad effectum ut non teneatur exhibere titulum, si à Superiore petatur. n. 42.

Lex generaliter, & indistinctè loquens, generaliter & indistinctè est intelligenda. num. 42.

Titulus legitimus non producit in actu cuius resistit. n. 43.

Titulus beneficij Ecclesiastici non potest acquiri per prescriptionem. n. 44.

Possessio recens & diuturna quæ dicitur. n. 46.

Tempus antiquum quoddam sit ad effectus iuris. n. 46.

Possessio triennalis beneficij dicitur diuturna, seu antiqua possessio. n. 47.

Intellige ut n. 49.

Recens possessio erit illa que triennium non compleuerit; antiqua vero, eo completo. num. 47.

Triennium possessionis non est longum tempus, quod quidem secundum subiectam materiam numerandum est. n. 48.

Possessio triennalis pacifica sufficit ad effectum iustificationis tituli beneficij, & illa probata possessor molestari non potest. n. 49.

Triennalis possessio pacifica beneficij est melior titulus de mundo. n. 50.

Beneficiatus possessor per decennium non potest ab Ordinario compelli, ut titulum exhibeat, etiam si procedat per viam inquisitionis, quia illud tempus dicitur longum. n. 51.

Tempus longum dicitur decennium ad effectum, ut possessor beneficij non teneatur exhibere titulum si ab Ordinario petatur, etiam si procedat per viam inquisitionis. n. 51.

si procedat per viam inquisitionis. n. 51.

V T



T huius quæstionis resolutio clarior fiat, supponamus casum, seu speciem cum Hostiensis in cap. licet Heli 31. de simonia, videlicet quod Ordinarius dicit Clericum Beneficiatum, & possessorem beneficij in eo esse intrusum, & ex hac causa ipsum conuenit, ut titulum exhibeat, seu canonicam institutionem, qui quidem respondet, se titulum legitimum obtinere, eum sit pacificus possessor, & si contra eum aliquand intenditur opponi, libellus offeratur, & tunc de suo iure docebit, cum ad id iuxta canonicas sanctiones cogi non debeat, nec teneri respondere, nisi cum libelli oblatione: ex textu in cap. inducia, el 2. §. offeratur, 3. q. 3. ibi, offeratur ei, qui vocatur in iudicio libellus, &c. & in cap. 1. de libelli oblatione, Suarez de Paz in praxi, temp. 4. num. 1. & 2. & tradunt communiter DD.

Verùm Ordinarius replicat, velle procedere non ex actu iudiciali, sed per viam inquisitionis, ex eo, quia beneficium tanto tempore vacauit, quod eius collatio, per ius deuolutum ad ipsum pertineat, & dispositio.

Beneficiatus autem ex eodem motiuo allegat, non teneri titulum exhibere, nec etiam per viam inquisitionis, tum quia tutus est ex possessione, tum etiam quia ipsum Ordinarium suspectum habet, nam causam intentat, & prosequitur ad proprium commodum, & utilitatem.

Ex quibus dubium oritur, an Ordinarius in illo actu inquisitionis possit tanquam suspectus recusari, vel an Beneficiatus possessor teneatur docere de titulo, & ad id cogi valeat.

Et in proposito dubio dicendum videtur tale Beneficiatum teneri ad docendum, & exhibendum titulum, & ad ipsum iustificandum, nec posse per recusationem impediri. Quod quidem suadet ex eo, quia Clericus subditus non potest appellare à correctione, quam Superior ei iniungit, ut deciditur in cap. ad nostram 3. de appellat. vbi communiter Doctores idem docent, & patet ex Concilio Trid. sess. 2. cap. 1. in fine, de reformatione, ibi Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet suspendat, &c. & late tradunt Sigismundus Scaccia in tract. de appellat. q. 17. limit. 2. 6. num. 9. Barb. in votis decisuris canonicis, lib. 1. vot. 4. à n. 74. & sequen. & alij penes ipsos, ergo multo melius exceptio suspicionis non impediet, quominus Beneficiatus teneatur docere & exhibere titulum; nam hoc præceptum Ordinarii simile est correctioni: quia si Beneficiatus cum minus le-

gitimo titulo possideat beneficium, ipsum retinebit iniuste, & cum peccato, decipiendo animas fidelium; quod quidem Ordinarius omnimodo euitare debet: ergo poterit petere, ut Beneficiatus exhibeat titulum, ipsæque erit adstrictus ad illum iustificandum.

Secundò, quia quoties Ordinarius procedit per viam inquisitionis ex officio, non indiget libello, vel aliis solemnitatibus iudicialibus, ne inquisitio differatur, cum in similibus casibus regulariter periculum sit in mora; & exinde Episcopus procedens in visitatione per viam inquisitionis, non potest tanquam suspectus recusari, ut statuitur in Trident. sess. 7. cap. 8. de reformat. & cum Thom. Velasco tom. 1. allegat. iuris, allegat. 70. n. 7. Curia Philip. p. 1. §. 7. n. 10. Armend. in addit. ad recop. leg. Navarra, lib. 1. tit. 6. de visit. l. 5. §. 2. n. 7. & 8. tradit Barb. in declarat. ad d. cap. 8. Trident. in ultima impressione de anno 1642. Ergo in presenti poterit Ordinarius inquirere sine aliquo iudiciali strepitu, an Beneficiatus sit intrusus vel non, seu an canonicè possideat, & ipsum cogere, ut titulum prober, ex quo possidet, & eo non probato, sed constito de intrusione, licebit illum priuare beneficio, iniuste & sine colore retento; quod quidem ope exceptionis suspicionis nullatenus impediri debet, & ita per hæc fundamenta docuit Hostiensis in cap. licet Heli, num. 4. vers. sui officij, de simonia, & ibidem Felinus num. 17. Abbas in cap. cum nostris, num. 24. in fine, vers. & ibi beneficia, de concessione prebendæ, quòdque procedere sine difficultate tradit Lotterius de re benef. lib. 2. q. 4. 6. num. 37. quem cum aliis allegauimus supra, q. 68. num. 13. quibus iunge Parisium de resignationibus benef. tom. 2. lib. 1. q. 4. num. 34. & sequen. Riccium in collect. decision. collect. 889. & alij plures penes nostrum Cenedo in collect. ad sextum, & Clementinas collect. 18. n. 2.

Hanc autem sententiam restringunt communiter Doctores, ut habeat locum, dummodo talis Beneficiatus non sit possessor per longum tempus, quia tunc non erit adstrictus ad docendum vel exhibendum titulum, ut resoluunt Riccium in d. collect. 889. limit. 4. Vbi, quod quando possessor beneficij qui agit ad iura, seu pensionem Ecclesiæ debitam, haberet possessionem recentem, debet probare titulum, secus si possessio esset antiqua, nec ad esset aliqua mala præsumptio contra possidentem, &c.

Et magis in specie Zerola in praxi, p. 1. 8. verbo, Bullæ, vers. ad quintam licet regula, &c.

R 3 vbi

vbi postquam firmavit, quod quando agitur contra Clericum possessorem beneficii, tenetur ad instantiam Iudicis interrogantis ostendere titulum suae possessionis, &c. quam regulam ad aliud intentum limitat, & ad nostrum pergit in hunc modum:

⁹ Limitatur secundò, quando quis possederit per longum tempus, vt per decem annos & concurrat bona fama, Innocentius & Abbas in cap. illud, colum. 4. de presumptionibus, Bald in l. sine, C. de probat. Gomez q. 26. de trien. possessore; vbi concludit per extensum, quod qui possidet per decem annos, habet titulum coloratum, in tantum quod non possit molestari. Et ratio est quia hoc videtur inducere tolerantiam Ordinarij, vt dicit Anchar. in cons. 117. Gomez q. 24. colum. antepenultima, de triennali possessore, & in q. 43. & Leo X. Bulla 16. quae incipit, In eminenti, dicit, quod qui possidet per triennium beneficium, non potest molestari nec in petitorio, nec in possessorio, dummodò non sit violentus possessor, aut legitimo impedimento detentus. Hæc Zerola Cui iunge Azeuedum super librum ¹⁰ 4. nouæ recopilationis, tit. 1. ad l. 2. qui postquam num. 5. cum pluribus docuit, possidentem beneficium non teneri titulum exhibere ad instantiam partis, iuxta magis communem opinionem; pergit num. 6. & ita concludit: Si tamen Iudex Ecclesiasticus ex officio, & non ad partis petitionem procederet contra possessorem beneficii, vt titulum suae possessionis ostenderet, teneretur tunc ostendere & exhibere, secundum Gomezium in regula de Triennali, q. 43. hanc communem opinionem asserentem. Sed an tunc cum officio suo procedit Prælati, sufficeret possedisse per decem annos beneficium pacificè, vt excusaretur Beneficiarius ab exhibitione tituli? D. Co-uarru. in cap. possessor, p. 2. §. 10. num. 9. inquit quod si Prælati tacitè vel expressè possessionem approbavit, etiam solum triennium sufficeret, puta si Prælati ipse possessorem illum ad titulum sui beneficii ordinavit, vel ab eo eidem fuerit tradita possessio; nam cum tunc non sit censendum absque titulo Ordines fuisse collatos, vel possessionem traditam, nihil mirum, si & in hoc casu possessor triennalis titulum ostendere non teneatur Prælati, ex officio illum petenti: & vsque huc Azeuedus & conducunt quæ diximus supra, quæst. 68. num. 13.

¹¹ Ex quibus resultat, quod vbi Episcopus tacitè, vel expressè consensit; non potest ex officio amplius subditum molestare, &

compellere ad producendum & exhibendum titulum. Et quia materia hæc elegans, & quotidiana est, ac in praxi frequens, opus erit in ea tantisper immorari, pro cuius explanatione duo capita constituenda sunt: Primum, an Possessor beneficii teneatur probare suam canonicam institutionem, suumque legitimum titulum, quando Ordinarius inquirendo dicit, ipsum esse intrusum, & an ad id cogi possit. Secundum, quando teneatur, & compelli possit.

Et quoad primum, dicendum est licere ¹² Ordinario, quando procedit per viam inquisitionis, compellere possessorem beneficii vt titulum exhibeat, ad dignoscendum an canonicè, nec ne, possideat; vt docet textus in cap. ex insinuatione, §. ceterum, & ibi Glossa, verbo, probare potuerit, de procuratoribus, & tradunt Hostiensis in d. cap. licet Heli, de simonia, Baldus in l. cogi, vers. quare opponitur, C. de petitione hereditatis, vbi concludit, quod in spiritualibus (quæ sine titulo possideri non possunt) potest quispiam cogi officio Arch. episcopi, vel Episcopi, vt titulum exhibeat, cum ad ipsorum munus pertineat, expellere intrusos in beneficiis, & ipsos illis priuare, si possideant sine legitimo & canonico titulo: quod quidem videtur etiam de mente ipsius Baldi in l. in ciuile, in prima oppositione, vers. Item si tenet, C. de furtis, vbi simpliciter resoluit, Clericum teneri officio Iudicis titulum exhibere: idemq; docuit in l. 2. vers. porro, C. quem admodum, & quando Iudex, &c. Angelus in l. qui in aliena, §. sed etsi non adierit, ff. de acquirenda hereditate, Doctores in cap. ordinarij, per illum textum, de officio Ordinarij in 6. & in cap. 1. de regul. iur. eodem libro, latè Castillo tom. 3. de Tertijs cap. 16. num. 6. & sequen. Cenedo plures referens in collect. ad 6. & Clementinas, collect. 18. num. 2. & in specie Flam. Paris. de resignat. benef. tom. 2. lib. 1. q. 14. n. 35. & seqq.

Ratio autem huius conclusionis est, quia ¹⁵ licet regulariter quis cogi non debeat ad titulum suae possessionis exhibendum, vt deciditur in l. cogi, C. de petitione hereditatis, & omnes Doctores fatentur; id tamen in beneficialibus locum non habet, ex eo quia beneficium sine canonica institutione possideri non potest: cap. unico, vt Ecclesiastica beneficia, cap. 1. de regulis iuris in 6. & consequenter quando Ordinarius ex officio inquirat titulos, tenebitur Beneficiatus illos ostendere, vt cum pluribus docet Parisius vbi proximè, num. 34. & alij supra allegati.

Et hoc ex eo erit, nam talis indagatio ¹⁶ potius tendit ad extraiudicalem inquisitionem ex officio, quam ad aliquod iudicium

cium formale, quæ quidem inquisitio de iure proprium munus est Episcoporum, iuxta textum in d. cap. Ordinarij, vbi communiter Doctores, de officio Ordinarij in 6. ideòque nihil mirum, quod Episcopis, & Archiepiscopis hoc specialiter concedatur, quod quidem sine difficultate procedere tradunt Lotterius de re benef. lib. 2. q. 46. num. 37. & Parisius in d. tom. 2. lib. 1. q. 14. n. 35. & alij plures.

¹⁷ Et hæc conclusio locum sibi vindicat, non solum in Episcopis, verum etiam in alijs quibuscunque inferioribus Ordinarijs, habentibus ius instituendi, vel destituendi ex priuilegio, aut consuetudine; hi namque Ordinarij dicuntur, vt cum Decio, Rebuffo, & Flaminio Parisio docet Garcia de benef. §. p. cap. 4. num. 2. & consequenter quod diximus de Archiepiscopis, & Episcopis, extenditur ad alios Ordinarios inferiores, ex his quæ tradunt Gloss. in d. cap. Ordinarij, verbo, Locorum: Gratian. tom. 2. discip. forens. cap. 212. n. 31. & 38. Tambur. de iure Abbatum, tom. 1. disp. 1. q. 4. num. 1. & sequen. & alij plures relati per Barb. in tract. de appellatua verb. iuris significatione, appellat. 177. qui varias Roxæ decisiones referunt idem resoluentes.

¹⁸ Vnde cum hi possint, iuxta subsistente causa, priuare beneficiis, consequenter quando procedunt per inquisitionem ex causa intrusionis, cogere poterunt Beneficiatos ad exhibendos titulos; argumento textus in cap. praterita 5. de offic. delegati, & l. 2. ff. de iuris. omnium iudicium.

¹⁹ Secundò ampliatur vt fortius idem procedat contra possessorem plurium beneficiorum incomparabiliū, is namque tenetur & compelli potest per Ordinarium inquirentem, ad ostendendum titulum dispensationis, vt patet ex d. cap. Ordinarij, vbi DD. communiter admittunt hanc ampliationem, quos sequitur Lotterius in d. lib. 2.

²⁰ q. 46. num. 36. & 37. in tantum vt idem dicendum sit, etiam si Clericus illa plura beneficia possideat in diuersis Dicecesibus, nam quilibet Ordinarius ipsarum in cuius Dicecesi obtinet beneficium poterit compellere ad dictam exhibitionem, vt per Gloss. in d. cap. Ordinarij, verbo, Ordinariorum; & patet ex text. in cap. cum nullus, de temporib. ordinan. & in cap. per singulas, 9. q. 3. & ad hunc articulum faciunt tradita per Barb. in pastor. part. 3. allegat. 111. num. 7. & sequen.

²¹ Quæ quidem compulsio exhibitionis titulorum fieri potest per Ordinarium cum pœna excommunicationis, vt docent Archidiaconus, Dominicus, & ceteri in d. cap.

Ordinarij; taliter quod si per se naturaliter facta monitione, aut per edictum, seu statutum contra inobedientes in exhibitione, & ostensione titulorum, fuerint contumaces, poterit Ordinarius procedere ad vacationem, quæ ipso iure incurritur: vt testatur Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. num. 222. per hæc verba: Vacat ipso iure beneficium per non ostensionem tituli; seu dispensationis, coram Ordinario, postquam Beneficiatus monitus fuerit; cap. Ordinarij, §. quod se forte vbi Glossa verbo, eo ipso, de officio Ordinarij, lib. 6. qui textus renouatur à Concil. Trid. sess. 7. cap. 5. Gonzalez gloss. 15. num. 62. Maffobriano in praxi habendi concursus, requisito 1. dub. 2. num. 23. Possessor enim etiam pacificus, tenetur probare, & ostendere titulum cum Superior ex officio inquirat: Maffcardus, &c. & etiam Ordinarius potest non obstante regula de triennali compellere possessorem ad ostendendam dispensationem, Flor. de Mena variar. lib. 3. q. 23. num. 61. cum sequen. &c. Hæc Barbosa. Ex quibus colligitur, incurri posse prædictam pœnam ob contumaciam in non exhibendo, vel ostendendo titulum: vt tradunt Felinus in d. cap. licet Heli, & alij plures communiter in d. cap. Ordinarij.

Quam tamen conclusionem declarant ²³ ipse Felinus vbi proximè, vers. limita primo, & Ancharanus consl. 56. incipien. Duplicatione, vt non procedat, si beneficia essent simplicia, vel non obtemperata contra ius inam in talibus casibus edicta generalia nihil operantur, ad effectum vt ex illis tantum teneatur possessore exhibere titulum; quamuis aliàs si ex officio tali possessori Beneficiato particulariter intimarentur, adstrictus remaneret ad exhibitionem: & idem dicendum est secundum Cardinalem conf. 33. incip. Licet in Curia Romana, &c. quem refert, & sequitur Felinus vbi supra, vers. secundo limita, &c. videlicet si compariturus habebat iustam causam credendi, quod Episcopus non intenderat ipsum in edictis comprehendere: ex eo quia iam ipsi de sua dispensatione plenam fidem fecerat; ex quo credere poterat, monitoria seu edicta de eo non loqui, & exinde non teneri ad exhibitionem: tunc enim dicendum videtur ipsum non comprehendi in pœna edicti. Ex quibus, quoad hoc primum Caput, ita concludendum erit.

Circa secundum, quando videlicet Beneficiatus sit adstrictus ad titulum exhibendum, & quando ab Ordinario ad id cogi possit, Doctores communiter, & præcipuè Abbas in d. cap. licet Heli, num. 22. declarando Hostiensem ibidem, & alij plures

plures penes Cenedo *in collect.* 18. & infra citandi distinguunt, an factum seu possessio sit recens, aut antiqua; & concludunt, quod licet in primo casu possessionis recentis teneatur titulum ostendere, ut aduertit Mascardus *de probationibus, verbo, Beneficium conclus.* 180. n. 21. & sequen. nihilominus tamen iste casus subdistinguentur est biformiter: Primò, quando Prælatus in tali Beneficiario consensit, & tacitè vel expressè suam approbationem præstitit, quia videlicet aliquid fuit exequutus, ex quo approbatio argui potuit, putà quia ab ipso accepit procurationem, vel ad titulum illius beneficii eundem ordinavit; iuxta tradita per Innocentium *in cap. veniens, de filiis Presbyterorum*, tunc enim titulum docere non tenebitur; argumento sumpto ex *cap. dilecto 25. vers. propter quod institutionem præfatam nullam, &c. de præbendis, & in cap. ex ore 4. in vers. reuerentiam exhibuit, de his que* 25 *fiunt à maiore parte Capituli*: Ex quo probatur, quod colligans quando nominatum, cum quo litigat, sub nomine Beneficii super quo litigat, censetur sic nominatus suum renuntiare; ut cum Panormitano, Boërio, & Dyno, docent Rebuffus *in tract. nominat. q. 1. n. 9.* latè Azevedo *super librum 4. nouæ recopilationis ad l. 2. de iurisdictione Real. n. 5. & 6.* & diximus *supra q. 1. n. 9.* Ergo similiter quando Ordinarius consensit in talem Beneficiarium, cessat obligatio exhibendi titulum, cum ab ipso iam sit approbatus: & ita resoluunt Archid. Geminian. & Francus *in d. cap. Ordinarij, idem Archid. in cap. contra morem, distinct.* 100. Ioannes Andr. *in d. cap. 1. de regal. iuris in 6. Abbas & communiter Doctores in d. cap. licet Heli, n. 23.* vbi Ananias qui testatur de communi n. 27. idem Abbas *in cap. nihil 14. de electione.*

26 Notandum est autem, quod hic casus limitari debet ut non procedat, si Prælatus velit probare Beneficiarium esse intrusum, ex quo fuit deceptus, & consequenter institutionem non esse canonicam, tunc enim poterit assumere onus probandi, & per eam viam compellere ad titulum ostendendum: ut resoluunt Felinus *vbi supra, n. 8.* & Doctores proximè allegati; & latè docet Mascardus *de probat. conclus.* 1377. incipit, *Titulum presumi ex diuturno temporis cursu, n. 127.*

27 Secundò sublimitatur prædictus casus, nisi ius commune resistat possidenti, ut accideret in eo, qui duo beneficia incompatibilia possideret; tunc enim consensus & approbatio Superioris nihil operari possit; ut docent Glossa *in d. cap. Ordinarij, verbo,*

exhiberi: Abbas & Felinus quos refert & sequitur Lotterius *in d. lib. 2. q. 46. n. 36. & 37.* Glossa *in pragmatica sanctione, sub tit. de pacificis possessoribus, §. Ordinarij, verbo, inquirant, n. 24. vers. si tamen ius commune esset contra possidentem*: Quod quidem dispositum reperitur in *extranaganti Ioan. XXII. quæ incipit, Ut quos virtutis &c. sub tit. de officio Iudicis Ordinarij*, vbi in §. *ut autem præmissorum fructus &c.* decernitur, quod omnes Ordinarij sub graui poena compellant obtinentes plura beneficia incompatibilia ad exhibendum, & ostendendum dispensationes, quarum virtute illa possident, necnon ipsorum titulos; alias quod procederent contra obtinentes, etiam vsq; ad priuationem; ut aduertit Philip. Prob. ad Ioan. Monac. *in d. cap. Ordinarij, num. 13.* & ita prædictus casus limitandus venit.

Sicut etiam limitari debet & tertio, ut non procedat, si Superior vel Ordinarius se constituat partem; tunc enim possessor beneficii liber erit ab exhibitione tituli coram ipso faciendâ; ut sentit Glossa *in cap. conquerente 7. verbo, volueris, de restitutione spoliatorum*, quam sequuntur Flaminius Parisius alios referens *lib. 1. de resignationibus beneficiorum, q. 14. num. 38.* Cassadorus *decis. 8. num. 1. & 2. super reg. Lotterius in d. q. 46. num. 42. qui num. 43. declarat, tunc Ordinarium se constituere partem, si aut iniuste procedat, vel etiam si iuste, sed iudicialiter coram Superiore, ut annotauit Rota coram Coccino in eius impressis decis. 193. num. 5.*

Aduertendum tamen est in hac limitatione, quod temperanda veniat in casu, quo Ordinarius se constituisset partem, defendendo suam sententiam, latam contra Clericum, qui aliàs legitime ab ipso requisitus ut titulum exhiberet, noluit eum ostendere; quia tunc proxima illa limitatio locum non habebit: ut aduertit Felin. post Anan. *in d. cap. licet Heli, n. 9. vers. secunda conclusio*: vbi latè agit de materia.

In secundo verò casu subdistingtionis 30 quando videlicet Ordinarius non consensit tacitè vel expressè, in beneficii possessorem; dicendum est, posse compellere eum ad titulum exhibendum: argumento sumpto ex his quæ notantur *in cap. ex sequentibus, de institutionibus, & probant Abbas in d. cap. licet Heli, num. 24.* & alij *suprà relati*. Quod quidem in tantum est verum, ut à tali præcepto non admittatur appellatio: ex traditis *in pragmatica Sanctione, tom. 2. in d. §. Ordinarij, num. 24. in d. vers. si tamen ius commune, pag. mihi 82. colum. 2. in 2. editione, vbi rationem assignat; quia sicut non*

non datur appellatio à correctione *cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellatione. Concilium Trident. sess. 22. de reformat. cap. 1. ibi, Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat, &c.* & latè tradit Sigismundus Scaccia *q. 17. limit. 26. n. 9.* provt diximus *suprà, n. 3.* ita similiter non poterit appellatio suspendere mandatum factum ab Ordinario iubente per viam inquisitionis, quod Beneficiatus titulum exhibeat: ut concludit etiam Mascardus *de probationibus, in dicta conclus. 180. num. 19.*

31 Deueniendo iam ad secundum casum propositum *suprà, n. 24.* quando videlicet factum est antiquum, ex eo quod Beneficiatus per multum tempus & diu possessionem pacifice continuauit, tunc enim dicendum est, liberum remanere ab exhibitione tituli, nec ad id ab Ordinario cogendum esse, ut de nouo illud ostendat: hæc autem antiquitas ex quanto tempore sit desumenda, dicemus *infra, n. 47. & sequen.*

32 Ratio autem huius conclusionis multis fulcitur documentis: & Primò quia per diuturnam Episcopi tolerantiam titulus canonicus præsumitur; nam visitando inquirunt de titulis: & consequenter non est credibile, ipsum voluisse permittere, aliquem possidere beneficium sine titulo canonico: ut declarat Rota penes Gregorium XV. *decis. 57. n. 7. & 8.* & aduertunt Castillo *tom. 7. de Tertius, cap. 6. n. 4. vers. tradiderunt etiam, Azevedo ad lib. 4. nouæ recopilationis ad l. 2. n. 6. & sequen.* & alij plures penes ipsos.

33 Huius argumenti ratio enervari potest argumento sumpto ex *cap. 1. de frigidis & maleficiatis, ibi, Quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit, &c.* Ex quo colligunt Hippolytus *conf. 82. n. 47. & conf. 111. n. 8. & 9. & conf. 17. n. 45.* & Farinacius *in praxi criminali tom. 1. lib. 1. tit. 5. de indicij & tortura, quest. 46. num. 103.* quod si accusator multum distulit accusationem, redditur hæc suspecta; nam ex tarditate dolus præsumitur: sic similiter in præsentem casu argui potest à paritate, de muliere diu differente proclamare de impotentia viri, & de accusatore tardo in proponenda accusatione.

34 Secundò roboratur prædicta resolutio, quia per taciturnitatem tanti temporis, videtur Ordinarius approbasse titulum, & ei consensisse, ex traditis à Parisio *de resignat. benefic. lib. 1. quest. 13. num. 11. & seqq.* vbi plura congerit ad intentum conducuntia: cui iunge Ludouisium, seu Gregorium XV. *in d. decis. 57. num. 7. & 8.*

Tertio quia in tali casu non possunt de 35 facili probationes haberi, cum sæpenumero ex longinquitate temporis pereant, & dependantur ex inaduertentia, & negligentia seu incuria hominum.

Tandem quia licet solemnitas extrin- 36 seca non præsumatur, *l. quæcumque 13. §. final. ff. de publiciana in rem actione*, cum aliis pluribus; attamen ob temporis diuturnitatem præsumitur, ut docent Glossa *in cap. peruenit, verbo, fatigari, vers. unde bene respondet Papa, &c. de emptione & venditione, Gratianus tom. 2. discept. forens. cap. 291. num. 72. & tom. 3. cap. 520. n. 33.* nouissimè Francisc. Niger Cyriacus *tom. 1. controuersiarum forens. controuers. 111. num. 8. & sequent. & controuers. 162. num. 31.* & alij 37 plures, & alij plures, quia vetustas supplet titulum, & inducit præsumptionem pro possessore, Cyriacus *vbi proximè, controuers. 5. num. 120. & sequent.* & ita multoties declarauit Rota coram Peña, ut habetur *in meis recollectis ipsius tom. 1. decis. 678. n. 7.* vbi annotatio mea alias allegat idem decedentes, Stephan. Quaranta, & plures penes ipsum *in summa Bullarij, verbo, Alienatio, num. 46. vers. præsumuntur solemnitates, pag. mihi 34.* & consequenter cum per diuturnam possessionem titulus legitimus præsumatur, dicendum videtur, non teneri Beneficiatum diu possidentem titulum exhibere, etiam si ab Ordinario fuerit requisitus: Et ex his fundamentis præter supra allegatos, ita docent communiter Doctores *in d. cap. licet Heli*, ut per Felinum *n. 10. vers. tertia conclusio, & plures refert Mascardus de probationibus, verbo, beneficium, conclus. 180. num. 22.*

Hæc autem conclusio variis modis à 38 Doctoribus limitatur: nam dicunt non procedere, si Prælatus de nouo fuerit creatus, vel diu absens propter captiuitatem, vel aliud simile legitimum impedimentum, quia tunc rectè poterit per viam inquisitionis petere, ut talis diuturnus possessor exhibeat titulum, aut saltem per iuramentum probeat se legitimum esse possessorem, ut docent Abbas *vbi supra*, & Mascardus *in d. conclus. 180. n. 24.*

Felinus tamen *in d. cap. licet Heli, n. 12.* 39 dicit esse superfluum hanc limitationem: enim verò licet Episcopus sit nouus, aut antiquus, semper erit in eius arbitrio exigere tale iuramentum à possessore beneficii: quæ quidem Felini annotatio mihi placet: cum cesset prædictæ rationes, ex quibus Doctores resoluunt, quod Beneficiatus diuturnus possessor, liber existit ab exhibitione tituli, præcipue quia per recusatio- nem

nem iuramenti, contra eum indiceretur vehemens intrusionis præsumptio; & ita quoties Episcopus petierit à Beneficiato verificationem tituli ex iuramento, fatendum est, ipsum esse adstrictum ad illud faciendum: & exinde hanc limitationem non esse necessariam.

40 Secundò limitatur, vt hæc diurnitas cadat cum aliis adminiculis, puta integritas conferentis & possidentis, & insimul exercitium, & vsus pacificus possessionis; aliàs non debet acquiescere Ordinarius per solam diurnitatem: vt aduertunt Abbas in d. cap. licet Heli, circa 7. colum. & Felin. n. 13. vers. secundo limita & c.

41 Tertio limitatur, nisi Superior vellet assumere onus probandi intrusionem contra diu possidentem, iuxta ea quæ diximus supra, n. 26. & ita tradunt Dominicus in d. cap. Ordinarij, Abbas, & Felinus in sæpè allegato cap. licet Heli, n. 14.

42 Vltimò limitatur, nisi ius commune resistat possessori, quia licet per hoc diurnum aliis tutus reperiatur; in tali tamen casu adhuc erit obnoxius ad exhibitionem, vel ad aliam legitimam probationem: argumento sumpto ex d. cap. Ordinarij, quod quidem generaliter & indistinctè loquitur, & ideo generaliter & indistinctè intelligendum est: l. 1. §. generaliter, ff. de legatis præstandis, l. de pretio ff. de publiciana in rem actione, cum vulgatis, Gratian. tom. 2. d. sept. forens. cap. 278. n. 23.

43 Et ratio est, quia titulus produci non potest cum resistentia iuris, ex his quæ notant Doctores in cap. 1. de regul. iur. in 6. per eum textum; & variis rationibus & argumentis latè probat Barb. in collect. ad d. cap. 1. n. 3. & 4.

44 Et exinde oritur, quod tituli beneficiorum Ecclesiasticorum acquiri non possunt per præscriptionem, vt cum Caldas Pereira de renouat. emphyt. q. 15. n. 22. tradit Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. n. 225. qui ex aliis pluribus multa cumulat in d. collect. ad cap. 1. de regul. iur. in 6. n. 6. & in specie huius limitationis ita concludit Mascard. in d. conclus. 180. n. 29. circa medium: quod quidem pluries etiam fuit decisum in Rota in impressis per Coccinum decis. 475. n. 3. & Seraphinum decis. 974. & coram Peña in meis recollectis ipsius tom. 1. decis. 232. n.

45 11. vbi ita ait: Sed omnem tandem difficultatem tollebat allegatio Lapi 89. fundata super sola pacifica possessione tanti temporis, Cassador. decis. 2. de causa possessionis & proprietatis, n. 1. Possessio enim tanti temporis inducit præsumptionem quod ille esset verus titularis, alias non permanisset tanto tempore in possess-

sione: Ancharanus cons. 117. incipit, Satis impertinens, n. 2. & c. Hæc Peña; & ibidem mea Annotatio alias decisiones allegat, idem decementes; ex quibus prædicta resolutio satis concluditur, & liquida manet.

Pro coronide tamen non erit absre inuestigare, sed immo necessarium ad hunc articulum, quænam dicatur possessio recens, & quæ antiqua, ad effectum resolutionis propositæ: Et omnibus his, quæ disputant Doctores, quodnam tempus requiratur, vt antiquum aliquid iudicetur, de quo plura cumulant, & optimè Peña in meis recollect. tom. 1. decis. 678. & tom. 2. decis. 1286. vbi plures annotauit; restringendo tamen hunc articulum ad terminos propositæ quæstionis, dicendum videtur, triennium sufficere; argumento sumpto ex Clementina 1. de sequestratione possessionis & fructuum, ex qua in vers. dum tamen triennio pacificè & c. probatur, quod illa erit recens possessio, quæ ante triennium fuerit constituta; ergo quæ fuerit completa post triennium dicetur antiqua: & ita videtur innuere Anan. in d. cap. licet Heli, n. 35. Suarez tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 6. n. 8. & alij penes Bonacinam tom. 3. tract. de suspensionibus omnibus in particulari, disp. 3. q. 8. punct. 7. propof. 1. n. 5. & ambo plures referunt idem tenentes.

Sed Felinus ibidem in d. cap. licet Heli, n. 1. dubitat, quòd triennium absolute dici possit longum, seu diurnum tempus: nam secundum subiectam materiam numerandum est longum, seu paruum tempus: vt declarant Glossa in Clement. 1. verbo, ad tempus modicum, de rebus Ecclesie alienandis vel non, & Bonacina vbi proximè, qui id probabilius iudicat.

Pro vera autem huius articuli resolutione, ita distinguendum iudico: nam aut agitur de iustificando titulo Prælaturæ, vel Præbendæ seu beneficij pacificè possessi per triennium: & tunc si molestetur ab aliquo, triennium illud completum erit longum tempus, ad effectum vt non indigeat aliqua tituli exhibitione: iuxta disposita in regul. 33. Cancellaria, incipiente, Item statuit & ordinavit: sub tit. de trienn. poss. nam triennalis possessio beneficij pacifica, est melior titulus de mundo, secundum allegationem Lapi 89. quam semper sequuta fuit Rota, vt per Seraphin. decis. 316. n. 2. & Peña in meis recollect. tom. 1. decis. 232. n. 2. & in aliis pluribus, & tradunt communiter Doctores, & consequenter quoad canonizationem tituli beneficalis ne Beneficiatus possessor molestetur, sufficere, & erit longum tempus, triennium completum,

tum, ad effectum dictæ regulæ Cancellariæ: & in hunc sensum intelligendi sunt Doctores afferentes, triennium esse longum tempus.

51 At vero si loquamur ne beneficiatus teneatur exhibere titulum Ordinario, quando per viam inquisitionis illum petit, quia præsumitur legitimus, propter diurnitatem: in tali casu fatendum est, decennium requiri, & esse necessarium, vt communiter docent Doctores, etiam in terminis dictæ Clementine 1. de rebus Ecclesie non alienandis, iuxta tradita per Menoch. lib. 2. de arbitrarijs, casu 5. num. 8. vbi plures allegat idem tenentes, & ibidem refert septem opiniones, latèque calamo agit de materia, apud quem videre poteris; & penes Thomam Sanchez in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 7. cap. 26. num. 38. & 39. vbi dicit hanc sententiam communem, & tenendam esse, & ibi alios refert, quibus iunge Zerolam in praxi p. 1. verbo, Bullæ, vers. ad quintum, Gregorium XV. decis. 57. num. 8. Peña in meis recollect. tom. 2. decis. 1085. num. 19. & alios innumeros.

Ex quibus ad terminos propositæ quæstionis concludendum est, longum, seu diurnum tempus numerandum esse ultra decennium, iuxta ea quæ aduertunt prædicti Doctores, & præcipuè Sanchez, & ab eo allegati: & ex his huic quæstioni finem imponimus, vt ad alias transitum facere possimus.

QVÆSTIO LXXII.

An successor in beneficio, v. g. ex causa resignationis, cui opponitur de intrusione Auctoris, veluti quia tempore resignationis ius non habebat, teneatur illius titulum legitimum probare & iustificare.

S V M M A R I V M.

Resignatarius, vel alius quispiam successor in beneficio, non tenetur iustificare titulum antecessoris. n. 1.

Successor beneficij non tenetur iustificare titulum antecessoris, sed sufficit quod iste obierit in pacifica possessione. n. 2. & 20.

Quod intellige non solum in primo, sed etiam in alio quocunque successore. n. 8.

Tituli beneficijs iustificatio facienda à suc-

cessore in beneficio pro antecessore, æqualiter fieri debet pro antecessore mor. no civiliter, ac naturaliter. n. 3.

Ratio eadem vbi viget, eadem etiam vigere debet iuris dispositio. n. 3. & 8.

Titulus antecessoris in beneficio probatur ex eo, quod tempore mortis naturalis deceffit in possessione pacifica, & quod pro vero Beneficiato fuit habitus. n. 3.

Successor beneficij ex causa permutationis probat titulum compermutantis, ex eo quod habitus, & reputatus fuit pro legitimo titulari. num. 4.

Titulum beneficij qui impugnat, tenetur probare illius infectionem. n. 4.

Quod extendit tam respectu permutationis, quam resignationis, vel alterius modi succedendi per mortem naturalem. n. 5.

Successori in beneficio si opponatur, quod suus auctor erat intrusus, iustificat ipsius titulum, si deceffit in pacifica possessione, & quod fuit reputatus pro tali Beneficiato. num. 5. & 20.

Successori in beneficio ad iustificandum titulum antecessoris, sufficit probare, ipsum deceffisse in possessione, & in eius vita fuisse reputatum pro vero Beneficiato. n. 6.

Quod extendit vt locum habeat, non solum in successore per mortem naturalem, vel civilem; sed etiam in nominato primo, vel vltiori loco. n. 7. & 8.

Successor beneficij non tenetur iustificare titulum antecessoris, etiam si aduersarius intendat probare illius infectionem; nam sufficit quod decefferit in pacifica possessione per triennium. n. 9.

Possessor triennalis titulum legitimum habere dicitur, licet aliàs infectionem habuerit, & illa possessio teneatur successorem ne teneatur iustificare titulum antecessoris. n. 9.

Successor beneficij non tenetur iustificare titulum prædecessoris, qui per triennium possedit, etiam si titulum illegitimum habuisset, & postea de eo ei notum esset. n. 10.

Mala fides Auctoris non nocet successori in beneficio, cum sit personalis, quæ ipsius personam non egreditur, neque ei præiudicare debet. num. 11.

Possessor triennalis beneficij, tam verus quam præsumptus ex communi reputatione, confert titulum, ne teneatur illum iustificare. num. 12.

Successor beneficij ne teneatur titulum antecessoris probare, requiritur, quod iste sit triennalis pacificus possessor, & quod communiter fuerit reputatus pro tali Beneficiato. num. 13. & 20.

Possessio triennalis Beneficiati, & communis reputatio copulatimè requiruntur, vt illius successor

- Successor non teneatur ipsius titulum iustificare. n. 13.
- Successor beneficij tenetur iustificare titulum sui Auctoris, si aduersarius intendat probare, antecessorem non habuisse titulum, nec per triennium possidisse. n. 14.
- Quod intellige ut ibidem.
- Successor beneficij si ante successione impugnavit titulum Auctoris, & postea molestetur, tenebitur ad iustificandum ipsius Auctoris titulum. n. 15.
- Antecessoris intruso in beneficio si fuerit nota successor qui molestatur, erit iste adstrictus ad iustificandum illius titulum. n. 16.
- Iudex infamis, excommunicatus, vel servus, si ex errore communi iudicium ferat, erit validum: fallit tamen si illi, inter quos sententia fertur, sciant defectum, nam tunc sententia erit nulla. n. 17.
- Error communis facit, ut sententia lata à Iudice infami, excommunicato, vel seruo, sit valida. Quod fallit si contendentibus sit notus ille defectus. n. 17.
- Exequitor literarum Apostolicarum excommunicatus non potest conferre Beneficium, nisi sit occultus, vel ex errore communi pro legitimo reputatus, quia tunc valebit, dummodo impedimentum non sit notum ei, cui collatio est facienda. n. 18.
- Successor beneficij non potest se iuuare triennali possessione antecessoris, si sciebat eum esse intrusum, vel alio canonico impedimento laborantem. n. 19.
- Successor beneficij tenetur titulum antecessoris iustificare, si ante ipsius obitum fuit lis mota, & pacifice non deceffit. n. 20.
- Intellige ut n. 21.
- Possessor pacificus dici non potest, qui in vita, vel morte, molestiam iuridicam fuit, vel iuris; iudiciale, vel extraiudiciale sentit. n. 21.
- Intellige ut n. 22.
- Prescriptio completa non interrumpitur per litem superuenientem. n. 22.

Hæc quæstio apud dueros Doctores disputata reperitur, & omnes vno ore fatentur, Resignatarium, & alium quemcunque successorem in beneficio non teneri, nec esse adstrictum ad iustificandum, vel docendum titulum prædecessoris: ex ea ratione quia successor in beneficio vacante per obitum, nullatenus tenetur iustificare titulum Auctoris, sed sufficere, mortuum esse in pacifica possessione, etiam si minùs legitimus existeret titulus ipsius, & consequenter nec titulum docere. Cum igitur eadem vigeat ratio in moriente naturali-

ter, ac in moriente ciuilitate, exinde dicendum venit, quod vigere debet eadem ius dispositio: l. illud, ff. ad legem Aquiliam, l. quæ dâ §. Nummularios ff. de edendo, cum vulgaris, & proinde sufficere resignatario allegare pacificam Auctoris possessionem, nam præsumitur continuata vsque ad diem resignationis, & cum ea præsumptione erit tutus ne indigeat illam iudicialiter probare, sed satis erit, quod talis Rector resignans fuisset reputatus, & habitus pro vero Rectore illius Ecclesiæ, vt docent Hostiensis & Imola, & communiter Doctores in cap. illud, de præsumpt. & in cap. innotuit, de eo qui furtim ordines suscepit, Mascardus de probationibus, conclus. 175. num. 1. & 2. & conclus. 1378. num. 4. Lapsus allegat. 89. incipiente, In Dei nomine, Anien, num. 8. vers. venio ad secundum, vbi Additio Quintilianii Mandosij litera R. alios allegat; quibus iunge Ludouicum Romanum (qui dicit rem claram esse) conf. 465. & alios plures penes Flaminium Parisium de resignationibus beneficiorum, tom. 2. lib. 10. q. 4. vbi num. 1. testatur de communi: & n. 4. refert plures Rotæ decisiones idem declarantes.

Quæ quidem resolutio adeo est vera, vt multipliciter extendi & ampliari debeat: Et primò, locum habet etiam in successore ex causa permutationis, qui si probauerit, compermutantem, habitum & reputatum fuisse pro legitimo Titulari, non indigebit alia iustificatione, taliter quod si illius titulus impugnetur, onus probandi incumbet impugnanti: vt decisum fuit per Rotam in nouis, decis. 4. alias 109. quæ incipit, Agenti & petenti beneficium, sub titulo de rerum permutatione, & tradant Abbas in cap. cum Venerabilis, num. 2. 4. & Felinus num. 11. de exceptionibus, Boërius decis. 150. num. 3. & 12. & in specie Milis in repertorio, verbo, Permutatio, vers. permutans beneficium si agat ad beneficium, & c. pag. mihi 305. Cosmas in pragmatica sanctione, verbo, Ordinarij inquirent, num. 2. vers. vbi dicunt quod agens pro beneficio, & c. Calderinus conf. 10. de rerum permutatione, quos refert & sequitur Parisius in d. lib. 10. q. 4. num. 5. vbi testatur de communi, & num. 6. idem extendit, vt procedat non solum in impetrante, seu successore per mortem ciuilem, videlicet per resignationem, vel permutationem (vt dictum est) verum etiam ampliari debeat.

Secundò in successore per mortem naturalem: cui namque si opponatur, quod suus Auctor intrusus extiterat, satisfiet probando, communem illius reputationem pro vero Rectore, nec indigebit ipsius titulum iustificare si in pacifica deceffit possessio-

ne:

- ne: vt late tradunt Lapsus in d. allegat. 89. vers. venio ad secundum cap. vbi Quintilianus Mandosius lit. R. alios allegat, quibus iunge Mascardus de probat. conclus. 1378. num. 14. & alios penes Parisium in d. n. 6. vbi testatur de communi, qui cõcludit cum Rebuffo in tractatu nominat. q. 17. num. 66. quod sufficit successor, probare, prædecessorem in possessione beneficij deceffisse, & quod in vita pro vero Beneficiario fuisset reputatus, nam in vtroque casu tam de obitu ciuili, quam naturali, locum habet prædicta ampliatio: pro vt etiam concludit Cassadorus decis. 2. num. 4. & sequen. vbi late disputat an successor beneficij teneatur iustificare titulum sui prædecessoris; & decis. 4. num. 5. & 6. de causa possessionis & proprietatis.
- 7 Tertiò ampliatur, vt idem dicendum sit in nominato; nam ei sufficit probare prædecessorem deceffisse in possessione beneficij, & quod dum vixerat, reputabatur pro vero beneficiario, vt in terminis resoluit Rebuffus alios allegans in tractatu nominationum, q. 17. n. 27. vers. decimonono quarto an teneatur nominatus, & c. vbi testatur, ita alias fuisse decisum in Senatu, & idem tenet Quintilianus Mandosius cum Rebuffo in additione ad dictam allegationem Lapi 89. litera I. quæ est vltima, in verbo, Caput vnicum, q. 10. vbi intelligit hanc ampliacionem cum eodem Rebuffo in nominato tantum ab Vniuersitate, non vero à particulari.
- 8 Quartò ampliatur etiam, vt habeat locum non solum in immediato successore, sed etiam in secundo, vel tertio, aut vltioribus, ac quoad primum, & consequenter eadem etiam vigere debet iuris dispositio: l. illud, ff. ad l. Aquiliam, l. à Titio, ff. de furtis, cum vulgaris: & ita fuisse conclusum in Rota testatur Mandosius vbi proximè, q. 11. qui plura congerit pro vtraque parte circa articulum huius ampliacionis, apud quem videre poteris.
- 9 Insuper & Quintò ampliatur, vt procedat, etiam si per aduersarium titulus infectus Auctoris proberetur, & quod illius vigore capta fuit possessio, quia adhuc in tali casu successor non erit adstrictus ad iustificandum titulum sui prædecessoris: Et ratio est, quia cum triennalem possessorem titulum legitimum habuisse credatur, exinde sequitur, quod licet infectio tituli à Tertio proberetur, ex eo non concluditur per necesse, quod alium legitimum titulum non habuerit, & sicut in antecessore sola illa triennalis claudit os, sic similiter

Tract. de Intrusione.

in successore; vt singulariter aduertit Mandosius vbi supra, q. 9. vers. hæc autem opinio comprobatur, & ad intentum allegat decis. 21. Crescentij, quæ est vltima, alias 261. & incipit Successor non tenetur, sub titulo de probat.

Sextò ampliatur vt procedat, etiam si concurrente triennio, & communi opinione prædecessoris sciret successor, illum esse intrusum, quia per hoc non infertur præiudicium ei, vt adstrictus remaneat ad probandum titulum antecessoris, quia pro se sufficit, quod per triennium ille possederit & quod ex communi opinione, & reputatione habitus, & reputatus fuerit pro legitimo possessore; vt cordatè resoluit Mandosius vbi supra, q. 6. plura ad intentum cumulans, qui præter alias optimam rationem assignat, videlicet quod illud vitium (si aliquod erat) numerandù & iudicandum erat personale, & vt tale, atque ipsius mala fides, & vitium personale successor nocere non debeat; iuxta textum in l. si nulla, vbi Bartol. & communiter Doctores c. de acquirenda possessione, ex quo probatur, quod vitium personale non impedit quominus possessor, ad quem res peruenit: eandemq; detinet titulo & bona fide, vsucapere potest: ergo idem dicendum videtur in propòsita ampliacione.

Præterea amplianda est prædicta resolutio, etiam si possessio prædecessoris esset præsumpta in tempore obitus ciuilis, vel naturalis: vt probant Cassadorus decis. 3. in principio, ibi, quia putatinius obiecit in possessione pacifica trium annorum, & c. sub titulo de causa possessionis, & proprietatis, Paris. conf. 1. num. 61. lib. 1. & conf. 37. incipient. Attendatur, & c. num. 6. volum. 4. quos allegat, & sequitur Mandosius vbi supra, q. 15. quibus iunge Ludouicum Gomezium super Regulam de triennali, q. 46. ex eo namq; quod probetur, possessorem priùs possidisse, præsumitur etiam, quod ipse possedit tempore cessionis, vel obitus, ex qua præsumptione hæc ampliatio admittenda venit in fauorem successoris, vt lato calamo docuit Mandosius in additionibus ad dictam allegationem 89. Lapi q. 25. quæ est vltima, vbi pro vtraque parte copiosè differit hunc articulum, licet alias contra dictam ampliacionem non leuia fundamenta obtare videantur.

Et licet prædictæ ampliaciones ita procedant, intelligendæ tamen, & declarandæ veniunt variis modis. Et primò dummodo prædecessor possidens sit pacificus possessor per triennium vsque ad diem resignationis, seu permutationis, aut obitus; tunc

S namque

namque si antecessor diceretur intrusus, & constaret de tali triennali possessione successor non erit obnoxius ad probandum titulum, sed sat erit communis reputatio in simul cum illa triennali possessione; quæ quidem duo copulatiuè requiruntur, taliter quod non sufficit communis reputatio de per se, nec triennium solum, sed vtrumque simul desideratur: nec communis reputatio sola operatur canonizationem tituli legitimi antecessoris, sed triennalis possessio præcisè est necessaria, vt successor omninò excusetur ad iustificandum titulum antecessoris: vt multoties declarauit Rota in recentioribus Farinacij tom. 2. decis. 309. & penes Coccinum in eius impressis, decis. 475. num. 3. & Penam in meis recollectis, tom. 1. decis. 702. num. 4. Caputaquen. decis. 6. n. 4. p. 1. & latè docent plures, relati per Mascardum de probationibus, conclus. 175. n. 3. qui aduertunt, quod licet Lopus in d. allegat. 89. loquatur de possessione longissima, hoc est saltem decennali, intelligi tamen debere de triennali, & ita Palatium inconcusè obseruare testantur Casadorus, & Achilles, quos ipse Mascardus allegat, & idem tenent alij relati per Parisium (qui hanc declarationem etiam amplectitur) in tract. de resignationibus beneficiorum, lib. 10. tom. 2. q. 4. n. 10.

14 Secundò declarantur, vt non procedant, si aduersarius intendat probare quod antecessor antea titulum aliquem non habuit ex triennali, hoc est, quod non fuit triennalis possessor, nec pro tali communiter reputatus, videlicet pro Prælato, Rectore, seu Beneficiario, tunc enim vt successor obtineat, tenebitur probare contrarium; secus autem si intenderet probare aduersarius non titulum Auctoris propter infectionem, nam in tali casu successor non indigebit probatione tituli antecessoris: vt diximus supra, in 5. ampliatione, n. 9. & ita optimè, & latè distinguit Mandosius in additionibus ad d. allegationem 89. Lapi, in verbo, caput vltimum, quod est etiam vltimum ipsius allegationis, in q. 9.

15 Tertio declarandæ sunt prædictæ ampliationes in casu quo successor prius impugnasset titulum Auctoris, vt cum Bellamera, Casadoro, & alijs tradit Parisius in d. q. 4. num. 14. vbi testatur, ita fuisse declaratum per Rotam in Asculana sancti Ioannis 22. Nouembris 1557. quibus iunge Mandosium vbi proxime, q. 5. qui circa medium docet cum Abbate, Felino, Ludouico Romano, conf. 347. incip. Quoad articulum, &c. hanc regulam plures habere limitationes, apud quos ipsas videre poteris.

Quartò declarantur, nisi inualiditas tituli antecessoris triennalis sit nota successor, veluti quia ei notoriè constabat, illum verè esse intrusum, licet aliàs de contrario communis adesset reputatio; quia tunc non procederet dicta allegatio 89. Lapi, ad effectum vt subsistat ex triennali possessione; vt cum pluribus tradit Mandosius vbi supra, q. 7. qui rationem assignat, sumpto argumento de Iudice infami, excommunicato, vel seruo, qui licet aliàs ex errore communi faciat sententiam validam, ex l. Barbarius Philippus, de officio proconsulis, vt latè diximus supra, q. 29. Attamen si illi inter quos sententia fuit lata, sciant defectum Iudicis, & quod ille error communis erat falsus, tunc talis error non validat sententiam, vt docet Milis in repertorio, verbo, error communis, vers. idem si communis opinio, &c.

Quod idem suadetur argumento sumpto de exequutore excommunicato occulto, conferente beneficium; nam si recipienti collationem notum erat, talem exequutorem esse excommunicatum, non sustinebitur collatio, etiam si in contrarium adesset error communis; secus tamen si ignoraret: vt cum Abbate, & Hieronymo Paulo, probat Mandosius in d. q. 7. & ex hac doctrina communiter concludunt Doctores, quod dicta lex Barbarius limitari debet in prædictis casibus: ergo in nostro pariformiter dicendum est, successorem scientem intrusionem antecessoris, vel quod alio canonico, & legitimo impedimento laborabat, nullatenus se iuuare posse triennali illius possessione: & consequenter dispositionem Regulæ de Triennali, iuxta doctrinam à nobis superius traditam, declarandam fore.

Quinto declarantur, vt locum non habeant si lis fuerit mota contra prædecessorem, ante completum saltem triennium, vel decennium, taliter quod non pacificè obierit, vel decesserit eo tempore non concluso; tunc enim successor tenebitur iustificare titulum prædecessoris, vt cum Lapo, & Casadoro decis. 2. de causa possessionis, & proprietatis, resoluit Mandosius vbi supra, q. 17. Nam regula est, quod vt successor non teneatur titulum antecessoris iustificare, requiritur quod iste omnino decedat saltè in pacifica possessione: quod quidem non verificatur, quoties possessor quidem non molestiam, vel contradictionem iuridicam iuris, vel facti, tam iudicialem, quam extraiudicialem; vt probant Guido Papæ conf. 134. Casadorus decis. 9. de causa possessionis & proprietatis, & consequenter in

in tali casu successor erit adstrictus ad iustificandum titulum antecessoris. Quod intelligit & limitat Mandosius in d. q. 17. in fine, quando lis mota fuit ante longum tempus possessionis habitæ per antecessorem, secus autem si per longum tempus possidisset; tunc enim etiam si ante obitum lis mota fuisset, non indigebit successor iustificatione tituli. Et ratio est, quia in tali casu, cum iam ille præscriptionem acquisiuisset, contra quemcunque titulum habentem, vel ius prætendentem, succedit regula, quod præscriptio completa non interrumpitur per litem superuenientem post completum tempus datum à iure ad præscribendum: iuxta textum in cap. auditis, in fine, de presumptionibus.

Alias declarationes, & ampliationes videre poteris penes ipsum Mandosium vbi supra, & latè penes Flaminium Parisium de resignationibus beneficiorum lib. 10. q. 14. vbi plura congerunt, & copiosè agunt de materia huius quæstionis: apud quos videre poteris ne diutiùs immoremur, cum breuitati consulamus.

QVÆSTIO LXXIII.

An exequutor datus ad tradendam alicui possessionem Beneficij, Amoto quolibet intruso seu illicito detentore, possit procedere ad inquirendum de intrusione, & sic cognoscere, an possessor sit legitimus, vel intrusus.

S V M M A R I V M.

Exequutor Apostolicus datus ad tradendam possessionem cum clausula, Amoto quolibet intruso, vel illicito detentore, an possit remouere possessorem, antequam ei constet de intrusione. n. 1. & seqq.

Iudices conseruatores cognoscere non possunt, nisi de manifestis iniurijs, & violentijs, num. 2. & 9.

Exequutor Apostolicus cum clausula, Amoto, &c. potest remouere à possessione non solum intrusum manifestum, sed etiam occultum. n. 3.

Exequutor cum clausula, Amoto, tenetur audire possessorem, si excipiat de validitate tituli; & tunc debet procedere iuris ordine seruato. n. 3. & 4.

Clausula, Amoto, ex sui natura requirit, vt Tract. de Intrusione.

exequutor procedat, iuris ordine seruato, & citatis citandis. n. 4.

Exequutor cum clausula, Amoto, licet alias sit merus, si tamen possessor excipit de validitate tituli, sit mixtus, & de eo cognoscere debet, & ab eius sententia datur appellatio. num. 5.

Quod intellige dummodo gratia non sit verificata; quia tunc non potest retardare executionem. n. 6.

Exequutor cum clausula, Amoto, tenetur exequi commissionem, nec potest audire possessorem, si præcessit aliqua res iudicata, & negotium fuit iam discussum; quia tunc est merus. num. 7.

Clausula, Amoto, si addatur, sine vitio spoliij, & attentatorum, vel constito de intrusione, tunc exequutor ante executionem citare debet intrusum. n. 8.

Iudices conseruatores sunt delegati, & ideo non possunt cognoscere, nisi de manifestis iniurijs, & notorijs violentijs. n. 2. & 9.

Iudex delegatus non potest cognoscere ultra causam delegatam, & personas comprehensas in delegatione. n. 9.

Iurisdictio delegata non prorogatur de casu ad casum, nec potest fieri illatio de vna delegatione ad alteram diuersam. n. 10.

IN hac quæstione dicendum videtur, exequutorem datum ad tradendam possessionem beneficij cum clausula Amoto quolibet intruso, vel illicito detentore, non posse illam tradere remouendo possessorem, nisi constet, ipsum notoriè esse intrusum, & consequenter quod palam & manifestè pateat de intrusione; argumento sumpto ex Iudicibus conseruatoribus, qui quidem nullatenus cognoscere possunt, nec habent iurisdictionem, nisi pro notorijs iniurijs, & manifestis violentijs, iuxta textum in cap. 1. & finali, de officio delegati in 6. & cum pluribus latè probaui in meo Pastoralis Regularium, p. 1. claus. 4. n. 3. & claus. 10. n. 17. & p. 2. q. 26. num. 4. ergo similiter talis exequutor non poterit procedere, nec amouere possessorem sub prætextu intrusionis, si notoriè de ipsa non constiterit.

His tamen non obstantibus contrarium 3 resoluendum est, videlicet talem exequutorem habere cognitionem, & posse procedere non solum contra notorium possessorem intrusum, sed etiam contra occultum, quem quidem vt talem amouere valebit à possessione: Vnde si excipiat non esse intrusum, sed immò quo licitè, & canonicè possidet, tunc exequutor tenebitur ipsum audire, & cognoscere an sit intrusus, & iniustus

iustus possessor, & si ei constiterit esse intrusum, tenebitur ipsum remouere; si verò de contrario, eum absoluet ab instantia, nam talis exequutor, etiam cum clausula, *Amoto*, &c. habet cognitionem, & potest iudicium ferre de colore tituli, iuxta *decisionem* Achillis 5. *vi lite pendente*, quam etiam fuit secuta Rota penes Gregorium X V. *decif. 335. n. 12.*

4 Certum est enim, quod hæc clausula, *Amoto*, ex sui natura requirit, vt exequutor procedat iuris ordine seruato, & citatis citandis, & consequenter tenebitur procedere cum causæ cognitione, vt docent Garcia de beneficiis, 6. p. cap. 3. n. 50. & plures allegans Salgado de supplicatione & retentione Bullarum, 2. p. cap. 34. n. 146. & fuit dictum in causa *Murinen. Parochialis* 3. Julij 1617. coram Buratto, impressa in posthu. 5 *Farinac. tom. 2. decif. 562. n. 3.* & tunc licet talis exequutor videatur merus, attramen per exceptionem validitatis tituli oppositam per possessorem, redditur mixtus, vt resoluunt Gonzalez ad regulam 8. *Cancellaria, glossa 9. §. 1. in annotat. contra nullitatem, n. 237.* Garcia de beneficiis, in d. 6. p. cap. 1. num. 48. & sequen. Moneta in tractatu de commutat. vltim. volunt. cap. 11. n. 467. & alij plures penes ipsos, quibus adde Salgadam *vbi proximè, in d. cap. 34. num. 147.* & multoties declarauit Rota, vt in *recentioribus tom. 2. decif. 52. n. 2. & decif. 159. num. 3.* Duran. *decif. 414. n. 2. & decif. 437. n. 3.* & exinde cognoscere debet de validitate, vel inualiditate tituli, & ab eius sententia datur appellatio, vt cum Seraphino *decif. 1056. n. 2. & 3.* & Mantica *decif. 324. n. 3.* docet Salgado *vbi proximè, n. 148.*

6 Quæ quidem intelligenda sunt, quando gratia non est legitime verificata, & literæ non sunt expeditæ sub intrusione, quia tunc exequutor non debet retardare executionem literarum Apostolicarum; vt docent Moneta in d. cap. 11. n. 467. Gonzalez in d. *glos. 9. n. 237.*

7 Secundò intelligenda, & iudicanda sunt vera, quando non præcessit aliqua res iudicata, & negotium non fuit discussum; tunc enim exequutor erit mixtus, & cognoscere tenebitur, an possessor sit legitimus, vel intrusus; Glossa in cap. *pastoralis, §. quia verò, verbo, & si sciat, de officio delegati.* At vero si iam præcessit aliqua sententia, & negotium fuit discussum, in tali casu erit merus exequutor, nec poterit ordinem iudicalem seruare, sed solùm exequi commissionem, vt cum pluribus docet Gonzalez in d. *glos. 9. §. 1. n. 236.* quibus iunge Salgadam in d. *tract. de retent. Bullar. 2. p. cap.*

34. n. 147. vbi refert varias Rotæ decisiones, idem decedentes.

Quæ quidem conclusio, amplianda est etiam, & intelligenda est, dummodo simpliciter commissio fuerit concessa cum clausula *Amoto*: at verò, si ei superaddita fuerit alia, videlicet, *sine vitio spoli, & attentatorum*, vel *constititio de intrusione*, secus erit, nam tunc in omnem euentum citandus erit intrusus, ex traditis per Garciam de *benef. 6. p. cap. 3. n. 50.* & copiosius per Marchesanum de *commiss. sub titulo, de commissione appellationis ab exequut. Breuium Apost. tom. 1. p. 1. cap. 1. n. 139. pag. 229. in impressis Romæ, anno 1615.* & ita concludendum est, in prædictis casibus posse cognoscere talem exequutorem cum dicta clausula *Amoto*, an possessor sit legitimus, vel intrusus.

Nec obstat, quod diximus *suprà, n. 2. de Iudice conseruatore*: nam æquiparatio non adaptatur: enim verò Iudex conseruator est delegatus, cap. 1. & vltimo, de officio delegati, in 6. & dixi in meo *pastorali Regular. p. 1. claus. 10. num. 9. & 13.* ex quo sequitur, quod non poterit cognoscere, nisi in his, in quibus delegatio fuerit commissæ, tam quoad causam delegatam, quam quoad personas, & consequenter illatio fieri non debet de vna delegatione ad alteram diuersam, cum iurisdicctio delegata non prorogetur de casu ad casum: vt latè probat Marchesan. de *commiss. in d. tom. 1. p. 1. sub tit. de commiss. appellationis in possessorio Egidiane in mandato de manutenendo, &c. §. 2. num. 154. pag. mibi 1014.* & ideo non valet argumentum de casu Conseruatorum, ad casum propositæ quæstionis; quæ quidem ita decidenda videtur.

QVÆSTIO LXXIV.

Ordinarius, cùm teneatur curare, ne beneficia possideantur per intrusos; quæritur, an si ipse sciat aliquem esse intrusum, quem Delegatus Papæ mandat in possessionem induci, possit ei violenter resistere.

S V M M A R I V M.

Iudex ordinarius non potest resistere Delegato Papæ, mandanti vt Beneficiatus mittatur in possessionem beneficij, etiam si aliquo vitio

vitio laboret, propter quod immitti non debeat. n. 1.

Ordinarius Iudex non debet violenter resistere mandato Iudicis delegati, n. 2. & 6.

Intellige vt n. 7. & sequen.

Delegatus Papæ, quoad causam sibi commissam, maior est omnibus Iudicibus inferioribus ipso Papa. n. 3.

Delegatus Papæ repræsentat personam delegatis, & honorari debet sicut ipse Papa quoad causam sibi commissam. n. 4.

Delegatus Papæ potest iubere Ordinario, vt suam sententiam exequatur, etiamsi sit minus iusta. n. 5. & 17.

Inferiores non possunt præiudicium inferre reservationibus Apostolicis, vel illas diminueri per ipsorum pacta priuata. n. 6.

Ordinarius resistere poterit mandato Delegati, seruando iuris ordinem, videlicet interponendo appellationem. n. 7. & 17.

Ordinarius Iudex non debet violenter resistere mandato Delegati Papæ, sed apud ipsum instare, vt à præcepto desistat, interponendo appellationem. n. 8. & 17.

Appellare licet à Delegato Principis. n. 8.

Iurisdicctio Iudicis suspensa remanet post appellationem legitime interpositam ab ipsius sententia, & ideo supersedere debet. numer. 9.

Clausula, Appellatione remota, regulariter remouet omnem appellationem, sed si legitime fuerit interposita à sententia exequutoris, hac non obstante, supersedere debet donec causa appellationis ventilatur. num. 9.

Ordinarius potest resistere Delegato, ne ipsius sententia executioni mandetur, si ille ab eo grauetur, secus autem si à Tertio. n. 10.

Delegatus si grauet partem, poterit hac supplicationem, & appellationem interponere. num. 10.

Quod intellige vt n. 11.

Oppressus iniuste à Iudice, potest impune auxiliium implorare, cum cuiuslibet liceat sibi impune auxiliari. n. 11.

Ordinarij Iudices non debent permittere, vt missi à Curia Imperiali vexentur, aut quod in aliquo sui subditi molestentur. n. 12.

Ordinario licet resistere violenter Delegato, iubenti mittere in possessionem intrusum notorium, & manifestum. n. 13.

Iudici licet resistere violenter, si ei iubeatur, vt exequatur sententiam iniustam. num. 13.

Iniustitia vbi est notoria, receditur à regulis iuris. n. 14.

Declarat vt n. 15.

Extende si ex illa non sequatur damnum irreparabile. n. 16.

Tract. de Intrusione.



NON posse Ordinarium resistere Delegato Papæ, mandanti immitti in possessionem Beneficiatum, etiam aliquo vitio laborantem, propter quod immitti non debeat, decidit textus in cap. *si quando* 8. de officio, & potest. Iudicis delegati, per hæc verba, *Ordinarius Iudex non debet Iudicis delegati mandato resistere violenter &c.* & probat Maranta de ordine Iudiciorum, 4. p. *distinct. principali 5. n. 45. vers. item potest delegatus, sub titulo, Iudicium Ordinarium & delegatum &c.* & latius in fine tractatus, *disp. 1. n. 13.*

Et ratio est, quia delegatus Papæ, quoad causam sibi commissam, maior est omnibus aliis Iudicibus inferioribus ipso Papa, cap. *studusti, de officio Legati, cap. sane* 11. de officio & potestate Iudicis delegati, Salgado de Regia protectione, p. 4. cap. 3. n. 26. & cap. 4. n. 18. & cum pluribus dixi in meo *Pastorali Regul. p. 2. q. 1. n. 20. & q. 26. num. 16* & hoc ex eo, quia repræsentat, & gerit vices ipsius Papæ, cap. 1. *distinct. 94.* & docent Gratianus *tom. 1. discip. forens. cap. 106. n. 38.* Bordonus in suis resolutionibus, & consiliis Regularibus *tom. 1. resol. 7. q. 6. n. 9. vers. tum* quia delegatus repræsentat personam delegantis: vbi plures allegat, & dixi in meo *Pastorali Regularium, in d. 2. p. q. 2. n. 10.* & consequenter talis delegatus honorari debet, sicut ipse Papa quoad causam ei commissam, d. cap. 1. *distinct. 94. & cap. sane* 11. de officio delegati, & ideo iubere potest Ordinario, vt suam sententiam exequatur, cap. *pastoralis* 28. §. *quia verò de officio delegati*, prout resoluunt Archidiaconus Ioann. Andreas, Domin. Franch. & Monach. in cap. *si eo tempore, de rescriptis* in 6. optimè Maranta in fine tract. de ordine cognit. *disp. 1. n. 4.* Iacobus à Graffis de Capua in suis aureis decisionibus p. 1. lib. 2. cap. 10. n. 23. qui hoc extendit, vt locum habeat, etiam si sententia esset iniusta: ad idem Belluga in speculo Principum, rubr. 11. §. *tractandum, n. 4. in fine*, latè Maranta in d. *disp. 1. n. 4.*

Ex quo colligitur, quod cum Ordinarius sit delegatus inferior, in causa ipsi commissæ, Gratian. *tom. 1. discip. forens. cap. 3. n. 65. & sequen.* Fragofo de regim. *Christiane Reipub. p. 1. lib. 4. disp. 10. n. 3.* & alij plures per me allegati in meo *Pastor. Regul. p. 1. claus. 10. n. 7. & 9. & p. 2. q. 16. n. 5. in fine*; sequitur, quod non poterit illius mandato violenter resistere, argumento textus in cap. *cum inferior*, 16. de maioritate & obedientia; & ponderari potest ad intentum quod docuit Gonzalez super Regul. 8. *Cancellaria, glos. 45. §. 1. n. 69.* videlicet, quod in potestate inferiori

inferiorum non est, nec admitti debet, ut per ipsorum pacta priuata præiudicium, aut impedimētū inferatur reservationib⁹ Apostolicis, vel illas quoquo modo diminuere, ex ratione proximè tradita, & consequenter idem dicendum est ad effectum, ne Ordinarius violenter resistere possit decretis, & proniōnibus Iudicis delegati.

- 7 Diximus id efficere non posse violenter: nam seruato iuris ordine permissum erit ei non obedire, veluti appellationem interponendo, & si ea non obstante Delegatus instet, & velit in possessionem violenter immittere talem intrusum; in eo casu poterit Ordinarius ipsi resistere: argumento sumpto ex d. cap. si quando 8. de officio & potestate Iudicis delegati, in finalibus verbis, ibi, *Ordinarius Iudex non debet Iudicis delegati mandato resistere violenter; sed apud ipsum instare, ut differat eos in possessionem mittere, donec nobis rei veritas innotescat, &c.* & ita notant post Innocentium in d. cap. si quando, Abbas & Felinus num. 2. vers. fallit 1. Decius, num. 5. vers. quarta conclusio, Maranta in d. disputatione 1. num. 13. ibi, cum etiam à Delegato Principis sit permissum appellare, etiam, C. de appellationibus, & facit ad intentum cons. 89. Oltradi n. 3.

- 9 Et ratio est, quia post appellationem interpositam, iurisdicctio Iudicis suspensa, & impedita remanet, & superfedere debet; iuxta textum in cap. pastoralis 28. §. præterea, de officio & potestate Iudicis delegati; in tantum, ut etiam si commissio fuisset obtenta cum clausula, *Appellatione remota*, quæ regulariter remouet omnem appellationem, ut docent Emanuel Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 8. art. 13. in fine, Marches. de commiss. p. 1. cap. 8. num. 82. pag. mihi 303. Scaccia de appellat. quest. 16. limit. 1. n. 94. & 105. casu 4. Riccius in collect. p. 1. collect. 135. illa non obstante, si fuerit interposita, Iudex primo loco datus debet superfedere in executione, donec causa appellationis ventilatur, ut patet ex d. §. præterea, & probat Matthæus Colerius in tract. de processibus executiuis, tom. 2. lib. 1. ad titulum de sententia & re iudicata, in commentarijs ad cap. inter ceteras. 9. num. 19. pag. mihi 155. qui tractatus reperitur post librum Cæsaris Ruginelli ad Cæsareas constitutiones, in titulo de appellationibus, typis mandatum Coloniae anno 1653. Idemque insinuat ipsemet Ruginellus §. 2. cap. 2. num. 59. qui docet, hoc intelligendum esse in exequutore facti meri, non verò iuris, prout in nostro casu.

- 10 Hæc autem subdeklaranda veniunt, ut

locū habeant, si talis Ordinarius resistens, fuerit ipse qui ab eodem delegato grauatur; secus autem erit, si alius Tertius, veluti possidens beneficium; in quo mandat delegatus, ut intrusus in ipsius possessionem mittatur, quia tunc iste, & non Ordinarius resistere poterit, interponendo appellationem, & supplicationem, ita Innocentius quem ceteri sequuntur, in d. cap. si quando, num. 2. vers. hoc autem intelligendum, de officio & potestate Iudicis delegati.

Quod quidem intelligi debet, nisi Ordinarius vocaretur ab ipso grauato: nam in tali casu quamuis sua non interfit, poterit ei resistere, argumento sumpto ex text. mirabili 12. l. si contra, C. de executoribus, & executoribus, lib. 12. authent. de mandatis Principum, §. deinde competens, vbi deciditur, quod Ordinarij Iudices nullatenus permittant à Curia Imperiali missis iniuste & ultra modum aliquid exequi, nec in aliquo suos subditos lædere: de quo articulo latè agit Salgado de Regia protect. par. 4. cap. 4. ferè per totum, præcipue num. 15. & seq. n. 48. vsque in finem: apud quem videre poteris, & in terminis prædictæ subdeklarationis docet Abbas in d. cap. si quando n. 2. vers. & propterea, vbi concordat Innocentium cum Bartolo in l. prohibitum, C. de iure fisci, lib. 10. vbi docuit, quod iniuste oppressus à Iudice potest impunè auxilium implorare, & quod quilibet potest impunè sibi auxilium implorari.

Secundo notandum est, quod licet Ordinario violenter resistere delegato, si ei iuberet mittere in possessionem notorium, & manifestum intrusum: Negari enim non potest, tale mandatum esse iniustum, & consequenter ipsius executionem violenter impediri posse iuxta Glossam in cap. ex literis 29. verbo, denuntiationis, de officio & potestate Iudicis delegati, & aliam Glossam in cap. non debet, verbo, penam, 11. q. 3. quæ ita ait: *Si ergo constet tibi, quod sententia Iudicis est iniqua, potes Iudici violenter resistere &c.* & ibidem plura ad intentum adducit, & latè probant Maranta in d. disp. 1. num. 25. Abbas in d. cap. si quando, quem ibidem sequuntur Felinus num. 2. vers. quarto fallit, Decius n. 4. vers. tertio Abbas concludit &c.

Et ratio est, quia vbi iniustitia est notoria, receditur à regulis iuris communis; ut latè tradunt Andr. Sicul. cons. 38. Alexand. cons. 17. incipien. Requisitus, col. 2. lib. 1. Romanus in l. si vero, §. de viro, in 23. fallent. ff. soluto matrimonio, optimè Rolandus cons. 37. n. 14. vers. quinto, & vltimò adducitur, lib. 1. de quo vide Salcedum in pract. criminali, cap. 150. sub tit. & si opus fuerit ad dictarum pænarum executionem seculare brachium imploratis,

ploratis, vbi num. 12. latè agit de hoc articulo.

- 15 Et quamuis Imola in d. cap. ex literis, intelligat illam Glossam in d. verbo, denuntiationis, quædo scilicet iniustitia est notoria, & manifesta, simulque damnum irreparabile, & videtur eodem prorsus modo insinuare Cardinalis in d. cap. si quando, & exinde ex ipsorum doctrina videatur deduci, non procedere proximè dictum notabile in præsentī casu; nam ex eo quod notorius Intrusus in possessionem beneficij mittatur, exinde Ordinario resistenti non videatur oriri damnum irreparabile, cum per appellationem, vel alia iuris remedia possit se tueri, & defendere, cum quibus reparat damnum quod resultat ex præcepto immitendi in vim decreti, ab ipso delegato prouisi.

- 16 Sed reuera prædicta declaratio, seu notabile admittendum est equaliter, tam quoad damnum reparabile, quam quoad irreparabile, cum in vtroque casu rationes quæ vigent, æqua lance procedant: & ita Decius vbi supra declarat, & tenet, quod illa Glossa in d. c. ex literis, & doctrina Abbatis habent locum, etiam si damnum esset reparabile vel irreparabile, idemque videtur de mente Imolæ ibidem, dum subdit: *Considera quod alterum istorum videtur sufficere, &c.* & consequenter admittit vtrumque casum: quod quidem etiam sentit. Idem Felinus in d. c. si quando, in d. vers. quarto fallit.

- 17 Ex quibus concludendum est in præsentī quæstione, quod quoties Delegatus iubet Ordinario, ut aliquem in possessionem beneficij immittat, quamuis constet eum esse intrusum, non debet illi violenter resistere, dummodo intrusio non sit notoria & manifesta, taliter quod ferè ab omnibus sit nota; nam in primo casu tenebitur precibus, & monitionibus apud ipsum instare, ne suam sententiam, & mandatum exequatur, donec Papa consulatur: quod si facere renuerit, ipse Ordinarius erit adstrictus ad obediendum, ut patet ex d. cap. Pastoralis, §. quia vero, de officio & potestate Iudicis delegati, & docent Nauarrus tom. 3. in relectione ad caput, cum contingat, remedio 1. n. 6. de rescriptis, Maranta in d. q. 1. n. 4.

& communiter Doctores, in d. cap. si quando, de officio & potestate Iudicis delegati.

QVÆSTIO LXXV.

Ordinarius cum procedere possit ex officio contra intrusum, si ei constiterit de intrusione, an illum remouere valeat à beneficio, & tunc quaeritur, ad quem pertineat collatio post remotionem factam.

S V M M A R I V M.

Collatio beneficij vacantis ex confidentia pertinet ad Sedem Apostolicam. n. 1.

Quod extendit etiam ad Beneficium vacans per intrusionem. n. 2.

Intellige ut n. 3.

Beneficium vacans per intrusionem conferendum est per Sedem Apostolicam, si habeat aliquam reservationem generalem, seu specialem. n. 3.

Collatio beneficij vacantis ex causa intrusionis pertinet ad Ordinarium, si aliàs ipse erat collator. num. 4.

Declarat ut num. 5. & seq.

Collatio beneficij vacantis in Curia, vel si semestris fuerit lapsus Ordinario collatori, pertinet ad Papam. n. 3. & 8.

Semestre datum de iure, ut Ordinarius conferat beneficia ad ipsius collationem pertinentia, non currit à die vacationis, sed notitia, quæ debet esse certa & clara. n. 5. & 6.

Notitia vacationis beneficij, ut semestre computetur ad effectum deuolutionis, debet esse clara & manifesta, nec sufficit dubia. n. 6. & 9.

Declarat ut n. 7.

Episcopus tenetur visitare singulis annis diocesim, & inquirere titulos beneficiorum, an canonicè, vel per intrusionem possideantur, & consequenter presumitur in eo scientia intrusionis, ad effectum deuolutionis, si intra semestre collatio per ipsum non fiat. num. 8.

Intellige ut num. 9. & 10.

Deuolutio ob non factam collationem beneficij vacantis per Ordinarium collatorem, currit à die, quo Collator scire potuit & debuit vacationem. n. 10.

Scientia vacationis beneficij presumitur in Episcopo ex visitationibus, cum inquirere debeat de validitate titulorum, dummodo beneficium vacauerit de iure, vel de factis & ideo si intra semestre non contulerit, da-

itur deuolutio ad Sedem Apostolicam; secus autem si de iure vacauerit, & non de facto. num. 11.

Vacatio beneficij ex causa intrusionis, est vacatio de iure, sed non de facto. n. 11.

IANC quaestionem mouet Parisius in tract. de confidentiis, q. 68. n. 66. vbi resoluit, collationem beneficiorum vacantium ex confidentia pertinere ad Sedem Apostolicam, ex dispositione constitutionis Pij IV. quæ incipit, *Romanum Pontificem: sub dat. Romæ 16. Kalendis Nouembris de anno 1564* & habetur in Bullario nouissimo Cherubini de anno 1655. tom. 2. in constitutionibus eiusdem Pontificis constit. 85. pag. 119. vbi in § 5. incipiente, *Ac quascumque*, talia beneficia remanere Sedi Apostolicæ reseruata, decernitur.

2 Quod idem statutum, & innouatum reperitur per aliam constitutionem Pij V. incipientem, *Intolerabilis multorum perversitas*, &c. & habetur in eodem Bullario in d. tom. 2. constit. 85. pag. 282. ex quibus resoluit Parisius vbi supra, beneficia vacantia per confidentiam, Sedi Apostolicæ esse reseruata, idemque docuerat in tract. de resignat. benef. lib. 2. q. 16. n. 28. & consequenter dicendum videtur, pariformiter procedere in beneficio vacante per declarationem intrusionis, factam ab Ordinario.

3 Verum Zerola in praxi, p. 1. verbo, *Intrusus, vers. ad tertium est distinguendum*, &c. distinguit, an talis beneficij collatio, (scilicet intrusi) pertineat ad Sedem Apostolicam, veluti quia vacantis in Curia vt in cap. 2. de prebendis in 6. (de quo latè Barbosa plures referens in pastor. p. 3. allegat. 57. num. 22.) vel quia Ordinario lapsus fuit semestre ad prouidendum, vt in cap. 2. de concess. prebenda, Gonzalez ad regulam 8. Cancellaria, §. 3. Proximij alios referens, n. 5. & latè Barbosa vbi proximè, allegat. 58. num. 12. vel ex aliqua alia generali, vel speciali reseruatione, quia tunc talis collatio pertinet ad Papam.

4 At verò si collatio pertineat ad Ordinarium, tunc ipse conferet, argumento text. in cap. Ordinarij, §. quod si forte, ibi, *Per eos, ad quos collatio pertinet, liberè personis idoneis conferantur*, &c. de offic. Ordin. in 6. & in cap. licet Episcopus, 28. ibi, *possit alteri de iure conferri*, &c. de prebendis, eodem lib. 6.

5 Sed contra hanc vltimam partem opponi potest, id sustineri posse, dummodo talis Intrusus non fuisset per diuturnum tempus in intrusione detentus; si verò per longum tempus (hoc est vltra semestre) tunc licet aliàs ad Ordinarium pertineret

collatio, excludi debet, cum per deuolutionem ad Sedem Apostolicam transitum effecerit: iuxta text. in cap. licet 3. de supple. da negligentia Pralatorum, cap. quia diuersitatem, de concessione prebenda, & latè tradunt Garcia de benef. p. 10. cap. 2. num. 1. & sequen. Gonzalez ad regul. 8. §. 3. Proximij, num. 5. quem refert, & sequitur Barb. in pastor. p. 3. allegat. 58. num. 12. & consequenter ad Papam, & non ad Ordinarium collatio beneficij vacantis ex causa intrusionis pertinet, si intrusus per diuturnum tempus permanferit.

6 Sed respondet Zerola vbi supra, id intelligendum fore iuxta dispositionem dictorum iurium, videlicet quod illud semestre ibidem præfixum Ordinario ad conferendum, non currat à die vacationis, sed à die notitiæ ipsius, vt tradunt Gutierrez lib. 1. Canoniar. quest. cap. 28. & alij penes Garciam in d. 10. p. cap. 2. num. 17. quibus iunge Barb. in d. allegat. 58. num. 5. & consequenter à die quo ipsi Ordinario constituitur de tali vacatione ex causa intrusionis, quæ non verificatur, si notoriè illi non sit manifesta; Enimverò talis notitia debet esse clara, & patens nec sufficit, quod sit dubia, vt declarauit Rota in vna Burgen. Canonicius 28. Martij 1583. coram Bubalo, & in alia Maceraten. Beneficij 1. Junij 1594. coram Litta, teste Garcia in d. cap. 2. num. 28. & 29. cum sequen. quem cum aliis refert & sequitur Barb. in d. allegat. 58. num. 6. in fine, & num. 19. & exinde cum clarè Ordinario non constiterit de illa intrusione; non potest ei currere tempus, donec declaretur intrusio, & exinde ad eum collatio pertinet.

8 Sed replicari potest, quod in casu propositæ quaestionis sufficere, vt hæc scientia sit præsumpta, taliter quod fat sit, vt eam habeat de tempore quo collator scire potuit, vel debuit, veluti in Episcopo, qui singulis annis tenetur visitare dioccesim, & inquirere titulos beneficiorum, an Canonice, vel per intrusionem possideantur; vt disponitur in Concil. Trident. sess. 7. cap. 8. de reformat. ex quo colligitur, non posse Episcopum ignorare titulum, virtute cuius Beneficiatus obtinet beneficium, & exinde præsumitur, ipsum sciuisse, vel saltem scire debuisse, an possidens sit intrusus, vel non, & consequenter habuisse sufficientem notitiam, ad effectum deuolutionis, ex visitationibus per eundem Episcopum factis; vt cum pluribus resoluunt Garcia, varias Rotæ decisiones referendo, in d. cap. 2. nu. 27. cum sequen. & Barb. in d. allegat. 50. num. 6. quapropter dicendum videtur, quod quoties

QVÆSTIO LXXVI.

Beneficium intrusi si sit reseruatum, & vacet ex causa intrusionis, illius collatio cum pertineat ad Sedem Apostolicam, dubium oritur, an tale beneficium veniat in reseruatione.

S V M M A R I V M.

Beneficium reseruatum vacans ex causa intrusionis, conferri debet per Papam. n. 1. & 3. Limita vt n. 10. & sequen.

Papa si promotus concedat reseruationem beneficiorum, intelligitur de beneficiis prius canonicè obtentis. n. 1.

Intellige vt n. 11.

Beneficium vacans per intrusionem non venit in reseruatione. n. 1.

Intellige vt n. 3. & sequen.

Reseruaciones sunt odiosæ, & ideo restringende, quia detrahunt de iurisdictione ordinaria. n. 2.

Reseruatio extenditur ad beneficia obtenta, non solum de iure, sed etiam de facto. n. 3.

Inverdicto Ecclesiastico quando supponitur terra alicuius Domini temporalis, extenditur ad omnem terram, quam obtinet, tam de iure quam de facto. n. 4.

Reseruatio beneficiorum videtur ambitiosa, quando est facta ad instantiam partis, secus si fiat motu proprio. n. 5.

Reseruatio facta per verbum, Obtinet, reseruetur ad dispositionem iuris, secundum substantiam materiam. n. 6.

Verbum, Obtinet, positum in reseruatione, idem sonat, quod actualem detentationem, & non ius. n. 6.

Verba in dubio intelligi debent secundum propriam significationem. n. 7.

Vsus loquendi attendi debet in quacunque materia, etiam odiosa. n. 8.

Prelatus intrusus, & minus legitimus, si sit toleratus, & communiter pro legitimo reputatus, erit Prelatus, & Dominus prelature. num. 9.

Reseruatio facta à Papa cum clausula, Quando beneficia vacauerint, vel alia simili, referri debet ad vacationem de iure, non verò de facto. n. 10.

Collatio beneficij reseruati si vacet per affectionem alterius, ab ipso iure incompatibilis, pertinet ad Papam. n. 11.

Papa

ties beneficium vacat ex causa intrusionis, pertinebit collatio ad Sedem Apostolicam, & non ad Ordinarium.

9 Cui obiectioni respondet Zerola in praxi, p. 1. in dict. verbo, *Intrusus*, quod si facta prima visitatione per Ordinarium ignorauerit intrusionem, postmodum verò in aliis notitiam habuerit, tunc ab eo tempore computanda est scientia, vt sit locus deuolutioni, ne Ordinarius conferre valeat, cum non currat tempus nisi à die verisimilis scientiæ, quæ non præsumitur ex prima visitatione, licet ex sequentibus præsumi possit.

10 Verum hæc solutio non satisfacit, cum Ordinarius tam exactè, & diligenter teneatur inquirere titulos in prima, quam in sequentibus visitationibus, & consequenter illa præsumpta scientia, quæ ex eis oritur, influit, vt illud tempus sex mensium datum à iure ad conferendum currat, à die quo collator scire potuit, vel debuit, vt plura cumulans docet Garcia in d. cap. 2. num. 26. & sequen. Vnde cum Episcopus scire potuerit, & debuerit in quacunque visitatione, an Beneficiarius legitime & canonicè possideat beneficium, æqualiter operari tenetur in prima, ac in sequentibus visitationibus; & consequenter differentia considerata à Zerola quoad hunc articulum adaptari non potest: quamuis alias negari non possit maior notitia ex pluribus, quam ex vnica visitatione, sed quoad effectum huius scientiæ præsumptæ sufficere videtur prima visitatio.

11 Quare meliùs respondet Abbas post Rotam in cap. quia diuersitatem, num. 7. in vltimo notabili, de concess. prebenda, videlicet quod prædicta sententia locum habere, & procedere potest, quando insimul beneficium vacauit de iure, & de facto: ex eo quia nemo erat in eius possessione, saltem coloratè, nam tunc ex visitatione præsumitur scientia in Episcopo, & ex eo datur deuolutio ad Sedem Apostolicam; secus autem quando de iure solum, & non de facto vacat, prout est vacatio, quæ oritur ex intrusionem, nam in tali casu scientia ipsius non præsumitur, donec cum effectu intrusio dignoscitur; & ideo ab eo tempore semestre est numerandum, vt deuolutio locum habeat, & vt Ordinarius conferre possit, vel non: & iuxta hanc distinctionem intelligenda veniunt quæ diximus supra in hac quaestione, & videntur etiam de mente ipsius Zerolæ in d. verbo, *Intrusus*, §. ad tertium est distinguendum, vers. quia hoc intelligitur, &c. Ex quibus ita concludendum videtur.

Papa quando reservat beneficia, non intelligit de vacatione de facto, sed de iure. n. 12.

Debitores soluentes Prælati putativo, hoc est, habito pro vero & legitimo, liberationem consequuntur; secus vero si constabat esse intrusum. n. 13.

Beneficium quandoque possideri, & obtineri potest, sine canonica institutione. n. 14.

Reservatio beneficij facta per Papam operari potest ex possessione, licet aliis possessor sit intrusus, si tamen non sit notorius, vel habeat aliud impedimentum, inficiens titulum & possessionem. n. 13. & 14.

In quæstione antecedenti, n. 3. diximus, quod si beneficium intrusi sit reservatum, collatio ipsius pertinet ad Papam, ex quo dubitari potest, an tale beneficium veniat in reservatione, & dubium oritur ex dispositione textus in cap. si gratiosè 5. de rescriptis in 6. vbi Glossa verbo, Canonice, ex quo probatur, quod si Papa concedat promotore, retentionem beneficiorum, non intelligitur concessum tale rescriptum de beneficiis prius non canonicè obtentis, & consequenter non porrigitur ad illa beneficia, quæ per intrusionem sunt obtenta; ergo in præsentis casu non veniet in reservatione tale beneficium vacans per intrusionem.

2. Secundo, quia reservationes sunt odiosæ, & ideo restringendæ; ut docet Glossa in cap. præsentis, verbo, sed reservationes beneficiorum, &c. de officio Legati in 6. & plures referens tradit Gonzalez ad regul. 8. §. 6. proæmij, num. 6. & sequent. quia detrahunt iurisdictioni ordinariæ, optimè Lotterius de re beneficiaria, lib. 2. qu. 32. n. 101. & 102. & lib. 3. quæst. 12. num. 48. Mandosius ad reg. 32. de impetrandis benef. vacantibus per obitum, &c. & ad regul. 1. quæst. 5. num. 2. & concludunt communiter Doctores, ergo dicendum videtur, tale beneficium non venire in reservatione.

3. Contrarium tamen decisum reperitur per Rotam decis. 8. aliàs 273. quæ incipit, Nota quod ubi Papa reservat, &c. sub tit. de electione, in antiquis, quæ ita ait: Vbi Papa reservat beneficia, quæ obtinet Titius, & Titius de facto obtinet unum beneficium, de quo ipso iure est privatus, quia incompatible, reservatio ad illud beneficium, quod obtinet de facto, videtur extendi, quia Beneficiorum collatio ad Papam pertinet, ideo non mirum, si per reservationem, tale beneficium ad Papam sit devolutum: cum ista verba; Beneficia quæ obtinet Titius, sint verba generalia, & videntur intelligi, sine de iure siue de facto, dum tamen

sit in possessione: argumento legis, stipulatio ista, §. si quis forte, ff. de verb. obligationibus. Nec in isto casu est necesse, quod Titius obtineat, dum tamen detentionem, seu possessionem habeat, seu ei incumbat: ut notatur in simili in cap. si sententia, de sententia excommunicationis, lib. 6. per Archidiaconum, vbi dicitur, quod quando mandatur, terræ alicuius Domini interdicto supponi, extenditur mandatum ad terram, quam tenet Dominus tam de facto, quam de iure: ad idem facit cap. 1. de postulatione Prælatorum, vers. nec valet: Et istud tenet communiter Audientia: licet contra videatur cap. si gratiosè, in fine, de rescriptis, lib. 6. Et quia reservatio videtur ambitiosa, quando est facta ad instantiam partis, secus si motu proprio, secundum Collect. & Freder. de Senis, ut notatur per Ioan. Andr. in cap. præsentis, super verbo, Finitur, de officio Legati, lib. 6. ad quod facit lex his in princip. ff. de religio. & sumptibus funerum, &c. Hæc Rotæ cui consonant Alex. in cap. Clementis, 16. distinct. & latè Collect. in cap. tuis, circa medium, vers. & facium præmissa, de præbend. vbi hanc quæstionem movet, & ad partes arguit, & tandem se remittit ad notat. per eum in cap. final. de sorilegijs, vbi in 6. colum. in principio, in qu. 20. vers. quid si Papa, &c. idem concludit quod Rota: eamque sequitur etiam Simonet. in tract. de reservationibus, quæst. 50. vbi à n. 12. cum sequent. variis rationibus & argumentis roborat prædictam opinionem.

Primò quia verba debent intelligi secundum subiectam materiam, l. quæro, ff. locati, l. stipulatus, ff. de usuris, Gonzalez ad regul. 8. glos. 48. num. 51. & sequ. & docent communiter Doctores, & licet verbum, obtinere, secundum subiectam materiam referatur ad iuris dispositionem, ut in cap. 1. de regul. iur. in 6. & in cap. 1. de eo qui mittitur in possessionem, eodem lib. 6. (quæ iura loquuntur in propria significatione verbi, obtinere, ut idem sonet quod actuale detentionem, & non ius; l. stipulatio, §. hæc quoque, de verb. obligationibus.) In dubio tamen verba debent intelligi secundum propriam significationem, l. cum lege, ff. de testamentis, cap. ad audientiam 12. de decimis, Card. Tuschus tom. 8. lit. V. concl. 91. Mantica de coniecturis vltimarum voluntatum lib. 8. tit. 18. num. 35. Rota recentiorum tom. 1. p. 1. decis. 352. n. 1. cum aliis, ergo, &c.

Secundò, quia in quacunque materia, 8 etiam odiosa, vsus loquendi attendendus est: l. librorum, §. quod tamen Castus, vbi Bartol. & communiter Doctores, ff. de legatis tertio, l. Labeo, ff. de supellect. legata, Surdus cons. 313. num. 8. & cons. 454. n. 18. Mantica

de

de coniect. lib. 3. tit. 8. num. 1. Mandos. super regul. 28. q. 3. num. 1. in fine, & latè dixi in meo foro conscientie, siue Pastoralis interno p. 3. vol. 5. num. 11. sed secundum communem vsum loquendi, illud verbum, obtinet, vel tenet, intelligi debet, siue de iure, siue de facto: ut docet Glossa, & communiter Doctores in l. stipulatio ista, §. hæc quoque, & verbo, stipulatio, & verbo, ad possessionem, ff. de verb. significat. ergo extendi debet, tam de iure, quam de facto.

9. Tertio quia (ut diximus supra, q. 29.) ex iuris dispositione Prælati, etiam intrusus, si sit toleratus, & pro legitimo reputatus, est Prælati, & Dominus prælati ratione tolerantie; ergo similiter dicendum est, quod in reservatione venient beneficia intrusi tolerati, quæ de facto possidet, cum ratione tolerantie sit dominus talium beneficiorum: quam sententiam disputant Milis in Repertorio, verbo, Obtinere, & Mandosius in Regul. tertiam reservat. q. 13. qui n. 1. & 2. cum Bellencino de charit. subsid. q. 121. & q. 122. concludit, verbum, Obtinere, referri ad ius, licet possessio non sit habita.

10. Qua opinione retenta, limiranda est primò, si reservatio à Papa fuerit facta cum clausula, Quando beneficia vacauerint, vel alia simili, tunc enim vacatio referri debet ad vacationem quoad ius, non verò quoad possessionem: argumento sumptro ex Clementina 1. in prin. vers. neutro &c. ut lite pendente, & tradit Gonzalez alios referens ad regul. 8. glos. 6. num. 151. & sequent. & in specie Bellencinus in d. q. 122.

11. Secundo limitat etiam ipse Bellencinus vbi proxime, in eo qui beneficium obtineat de facto, v. g. in beneficio incompatible, quod ipso iure vacabat, & de iure alicui non debebatur, nec aliquod præiudicium Tertio inde sequebatur: quia in tali casu collatio talis beneficij vacantis per intrusionem, ad Pontificem pertinebit, & in eo tantum casu (ait Bellencinus) reservatio locum habebit, & non in contrario: qui respondere conatur ad decis. 12. aliàs 593. de præben. in antiquis, quæ incipit, Quod si aliquis impetrat &c. & repetita reperitur decis. 5. de rescript. in eisdem antiquis, vbi contrarium decisum videtur. Et contra Bellencinum insurgit Simonet. in tract. de reservat. in d. q. 50. n. 10. vbi n. 11. dicit, valde mirandum, quod non viderit dictam decis. 12. in antiquis, apud quem hunc articulum consulere poteris; & penes Mandos. super d. regul. 3. q. 13. qui defendit Bellenc. & responderet ad argumenta contraria, & faciunt quæ dicemus in sequenti quæst.

12. Ad ea verò quæ in contrarium ponde-

rantur in præsentis quæstione, pro prima opinione considerari potest, quod caput, Gratiosè, intelligi debet, quando constat, possessorem beneficij esse violentum occupatorem vel intrusum; quia tunc eius beneficia non censentur reservata, prout tenet Collect. in cap. finali, q. 10. de Sorileg. Quod quidem ita intelligendum est ex sententia Simonetæ in d. q. 50. n. 17. vers. ex prædictis inferitur per ultimam supradictam rationem &c. Enimvero Papa non intellexit de illa detentione, quæ iuris adminiculo caret, sed de ea quæ à iure consideratur: & ideo videmus, debitores soluentes Prælati putativo, habito pro vero & legitimo, liberationem consequi; non verò illos qui soluerint Prælati notoriè intruso, ut latè diximus supra, q. 32. & ex hac doctrina, & declaratione, cessant omnes difficultates & argumenta quæ contra hanc ultimam sententiam suboriri poterant; nam intelligenda sunt de vacatione beneficij per notoriam intrusionem, non verò de illa, quæ aliquo iuris legitimo fomento sit munita; nam ut tradit Barbosa in collect. ad text. in cap. 1. de regulis iuris in 6. n. 4. beneficium possideri, & obtineri potest quandoque sine canonica institutione, & consequenter reservatio operari potest; licet aliis possessor sit intrusus; si tamen non sit notorius, vel non habeat aliud impedimentum, quod de iure inficiat titulum & possessionem: ex quibus, & ex dicendis infra, in q. sequenti, ita concludendum videtur.

QVÆSTIO LXXVII.

An si Papa reservat beneficia per verba genitivi casus, putà, Petri, vel Pauli, an veniant beneficia, in quibus sunt intrusi, & sic, an sola possessio, seu detentatio debeat attendi.

S V M M A R I V M.

Reservatio beneficij facta à Pontifice per verba genitivi casus non operatur ex sola possessione, & detentione, sed ex iure, & dominio. n. 1. & 2.

Sed contrarium est verius. n. 3. & seq. Genitivus casus appositus in aliqua lege, vel dispositione, proprie, & de per se dominium importat; non verò solam possessionem, seu detentionem. n. 1.

Intelligit

Intellige vt n. 6. & seq.

Genitiuus casus dominium significat, nisi consuetudo loquendi repugnet. n. 2.

Interdictum Ecclesiasticum oppositum in Terris alicuius Regis, extenditur ad omnes terras, quas de facto, aut de iure possidet. num. 3.

Reseruatio beneficij facta per verbum, obtinuerit, refertur ad ius tantum, & non ad possessionem. n. 4.

Fallit quando facta per verbum genitiui casus, comprehendit tam beneficia canonicè obtenta, quam ea in quibus aliquis se intrusit. num. 5.

Genitiuus casus appositus in lege, vel statuto, quandoque importat nudam detentationem, non verò dominium. n. 6.

Intellige vt num. 7.

Genitiuus casus appositus in dispositione, seu lege, non debet restringi ad dominium. num. 7. & 8.

IN hoc dubio propositæ quæstionis dicendum videtur, quod si Papa reseruat beneficia per verba genitiui casus, non debet attendi sola detentatio, & possessio, sed ipsum ius, & dominium auctoritate Glossæ in cap. 1. verbo, *erram propriam*, &c. de postulatione Prælator. vbi concludit, quod Genitiuus propriè, & de per se dominium importat, non verò solam possessionem, seu detentationem: quod etiam probat alia Glossa marginalis, per eum textum in l. *seruum Titij* 49. verbo, *Titij*, littera E. ff. *mandati*, quæ ita ait: *Genitiui eam esse vim hinc colligunt, vt dominium significet, nisi consuetudo loquendi repugnet*: de quo vide Glossam in l. 2. in principio, verbo, *non quia Papyrius*, ff. *de origine iuris*, ergo reseruatio facta per Genitiuum non poterit operari ex sola possessione, & detentatione.

Contrarium videtur decisum per Rotam decis. 8. alias 373. sub tit. *de elect. in antiquis*, cuius verba retulimus supra, in q. antecedenti, n. 3. ex qua constat, quod interdictis terris Regis, extenditur interdictum ad terras quas de facto obtinebat; & sic illud Genitiuum, *Regis*, operatur detentationem: & ex hac doctrina decidit *ibidem* Rota illam quæstionem, quoad reseruationem, propter illud verbum, *obtinere*, vt diximus in quæst. antecedenti: quasi idem sentiat, & concludat, vbi reseruatio esset facta per verba Genitiui casus: & ita hanc sententiam sequitur Simoneta in tract. *de reseru.* q. 51. pro qua faciunt quæ annotauimus supra, in quæst. antecedenti, num. 6. & sequen. & quæ latè congerit ipse Simoneta *ibidem*,

apud quem videre poteris, ne in hoc longius detineamur.

In hac controuersia Quintilianus Mandos. in regula 3. *reseruatoria*, quæst. 13. num. 1. in fine, & num. 2. vsque in finem concludit cum Millis in Repertorio, verbo, *Obtinere*, & Barthol. Bellenc. olim peritissimo Rotæ Auditore, in tract. *de charitat. subsid.* q. 121. & q. 122. quod verbum, *obtinere*, refertur ad ius tantum, & non ad possessionem, & consequenter reseruationem non extendi nisi ad vacationem quoad ius: & subdit Mandos. quod hoc non procedit, quando reseruatio facta fuit per Genitiuum, quia tunc quandoque detentationem, & non solam dominium denotat: & ex hac doctrina dicendum iudico, quod in reseruatione facta per verbum genitiui casus, veniunt etiam beneficia, in quibus aliquis fuit intrusus.

Licet enim verò de propria, & stricta significatione, Genitiuus appositus in lege, siue statuto denotet dominium, ex iuribus supra allegatis, n. 1. & 2. attamen multoties etiam detentationem, & non dominium importat: vt cum Millis in Repertorio, verbo, *Genitiuum ab homine prolatum*, &c. concludit Mandosius plura ad intentum cumulans vbi supra in d. q. 13. num. 4. qui declarat dictam decis. 8. alias 273. de elect. in antiquis, & pro hac opinione conducunt quæ docuit Simoneta in d. tract. *de reseru.* q. 51. apud quem & Mandos. videre poteris.

Et fortassè hæc opinionum contrarietas 7 sanari potest, vt prima procedat inspecto iuris rigore, in quo Genitiuus denotat ipsum ius, & dominium, & non solam possessionem, & in hunc sensum Glossæ & doctrinæ supra allegatæ pro prima opinione intelligendæ veniunt: quod quidem licet 8 ita se habeat, aduertit tamen Mandos. vbi supra, num. 4. non esse restringendum Genitiuum ad solum dominium; & ita ait: *Tamen denotat plerumque detentationem, & non dominium, l. 2. in principio, iuncta glossa, in verbo, Non quia, ff. de origine iuris, l. 1. in principio, S. ait Prator, & l. 3. ff. Nauta, Causones, & stabularij; dixit enim in principio quod cuiusque saluum foret receperit, &c.* Postea declarat extendi ipsam dispositionem ad bona, etiam ad alium spectantia; & sic ille Genitiuus, cuiusque, non solum dominium, sed nudam detentationem designat; Anton. de Butrio in cap. 1. colum. penultima, de postulatione Prælatorum, Abbas & alij in cap. quia, de iudicijs, Millis in Repertorio, verbo, *Genitiuum ab homine prolatum*, &c. Hæc Mandosius. Et exinde iuxta hanc doctrinam procedere potest, & intelligi dicta decis. 8. Rotæ

Rotæ alias 273. vt prædicta contrarietas eaderet, & vt ambæ opiniones in concordiam redigantur.

QVÆSTIO LXXVIII.

An si Papa reseruaret beneficia, quæ obtinet Titius, cum vacauerint, seu ea vacare contigerit, veniant etiam beneficia, in quibus Titius est intrusus.

S V M M A R I V M.

Beneficia obtenta per intrusionem non consentur comprehensa in reseruatione facta per Papam de beneficiis, quæ Titius v. g. obtinebat. num. 1.

Intellige vt n. 4.

Reseruatio Beneficiorum quæ Titius obtinet, non extenditur ad beneficia, quæ per intrusionem obtinebat. n. 1.

Vacatio beneficij refertur ad ius, & titulum; non verò ad possessionem. n. 2.

Intrusus in beneficio caret titulo canonico, & ideo de iure per ipsius mortem non vacat ex eius persona. n. 2.

Beneficium vt vacare dicatur, non est necessè titulum iustificare, sed sufficit, quod Beneficiatus tempore mortis haberetur pro legitimo possessore. n. 3.

Quod intellige vt n. 4. & 8.

Papa in Beneficiis habet plenissimam potestatem, quæ vberior est in Beneficio vacante, quam in pleno non vacante de facto. n. 5.

Papam velle præiudicare iuri Tertij non est præsumendum. n. 5. & 6.

Beneficiatus habens beneficium reseruatum à Papa cum speciali reseruatione, non potest illud permutare, nec efficere quod ei libuerit. num. 6.

Beneficia vt sint reseruata, sufficit quod Beneficiatus de facto illa retineat. n. 7.

Intellige vt n. 4. & 8.

IN c. quæstionem in terminis resoluit Bellencinus in tract. *de charit. subsid.* q. 122. vbi tenet, eam tantum beneficia esse reseruata, in quibus Titius ius, & canonicum titulum habebat, & consequenter non comprehendit obtenta per intrusionem: & rationem assignat, quia vacatio refertur ad ius, non ad possessionem: vnde cum beneficium in quo Titius est intrusus, ex sua persona de iure vacare non possit, quia Canonico titulo ca-
Traet. de Intrusione.

ret, ex his quæ lato calamo congerit Barb. in collect. ad text. in cap. 1. de regulis iuris in 6. num. 2. ex consequenti non erunt reseruata beneficia, obtenta per intrusionem, pro quo Bellencinus allegat textum in Clement. 1. in principio, vers. *neuro*, &c. vt *litem pendente*: & hanc opinionem disputat (licet confusè) Milis in Repertorio littera O verbo, *Obtinere*, vers. *an ille qui de iure, vel quæ de facto, &c.* num. 5. & eam sequitur Quintilianus Mandos. super regulam 3. q. 13. vers. *verior*, & *aguior*: vbi latè agit de hoc articulo.

Contrarium tamen decisum expressè reperitur per Rotam decis. 12. ad finem. sub tit. *de præben. in antiquioribus*, vbi refert, Clementem declarasse, quod vt beneficium dicatur vacare ex persona alicuius, non est necessarium, titulum illius iustificare, sed sufficere, quod tempore vacationis haberetur, & teneretur pro vero, & legitimo Beneficiario, vt patet ex decis. 4. alias 109. quæ incipit, *Agenti & petenti beneficium*, &c. sub tit. *de rerum permutatione, in nouis*, & decis. 10. quæ incipit, *Nota, agentis & petenti beneficium*, &c. sub eodem tit. *de rerum permutatione, in antiquis*, & ad corroborationem huius sententiæ conducunt quæ diximus supra, q. 29. & q. 76. n. 9. de Prælato tolerato: & hanc Rotæ opinionem sequitur Simonet. *de reseru.* q. 52. qui respondet fundamentis contrariis.

Sed ipse Bellencinus in d. q. 122. nu. 8. 4 satisfacere conatur ad d. decis. 12. distinguendo, videlicet quod aut ius talis Beneficiati, seu titulus beneficij de facto possessi non existebat penes aliquem, sed quod vacabat, & in tali casu procedat decisio Rotæ: Aut verò tunc temporis ius, & titulus beneficij erat penes alium, licet sola possessio existeret penes intrusum, aut penes eum cui beneficium fuerat reseruatum, & in tali casu procedat contraria opinio.

Et rationem diuersitatis assignat idem 5 Bellencinus: quia scilicet quamuis Papa in beneficiis habeat plenissimam potestatem, negari non potest, quod ipsam obtinet vberior in beneficio vacante, quam in pleno, & non vacante; nam aliàs derogaret iuri alterius: quod non est præsumendum: & consequenter iuri Tertij præiudicaretur, hoc est iuri illius, penes quem verus titulus beneficij, seu ipsum beneficium existeret, 6 nam cum magno præiudicio tale beneficium reperiretur reseruatum, quod ei summo perè noceret, nam impeditus remaneret, ne posset illud permutare, nec efficere quod de eo vellet, & ideo non est credibile, voluisse Papam tale præiudiciū inferre.
T Quam

- 7 Quam distinctionem sequitur Sarnen. *super Regulam, de impetrando beneficiis vacantibus per obitum familiarium, quest. 23. & Cassadorus decis. 2. num. 2. sub tit. de constit.* qui postquam dixit, quod ut beneficia censentur referuata, sufficiat quod de facto sint retenta: ita concludit: *Licet contrarium censcat Bellencinus, & postea concordet, quod si ius beneficii, aut titulus non reperitur in aliquo, procedat decisio: ita ut reseruatio effectum sortiatur in obtento de facto tantum: Aut reperitur, & non habeat locum: & hac distinctio mihi placuit, & placet, quia nemo dicit, quod reseruatio beneficii quod Tuberus de facto obtinet, prauidet ius habenti, &c.* Hæc Cassadorus.

Et quamuis Quintilianus Mandos. *super Regulam 3. reseruatorem in d. q. 13. n. 6. in fine*, dixerit, materiam esse satis disputabilem: verum ipse adhæret huic distinctioni duorum ex primariis Rotæ Auditoribus, à quorum auctoritate ego non auderem recedere, & sic cum prædicta distinctione ipsorum opinioni acquiesco: maximè cum ex ea prædicta decisio satis videatur elucidata, præcipuè cum exinde cessent plures discordiæ, & iurgia, quæ ingenia possent torquere, & in hunc modum iudico hanc quæstionem decidendam fore.

QVÆSTIO LXXIX.

Cum beneficium vacans, ex priuatione propter intrusionem, conferri debeat per eum, ad quem collatio pertinet, dubitari potest, an collator id efficere possit, intruso non vocato.

SVMMARIVM.

- Collatio beneficii vacantis, ex causa intrusionis fieri debet per eum, ad quem de iure pertinet ius conferendi. n. 1.*
Intrusus debet vocari, antequam ipsius beneficii collatio fiat, etiam post sententiam declaratoriam intrusionis. n. 1. & 4.
Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 5. & seqq.
Lex imponens penam priuationis ipso iure non sortitur effectum ante prolationem sententiae, declarantis delictum. n. 2.
Delictum intrusionis priuat ipso iure beneficii. n. 3.
Possessio eligendi residens penes Tertium, im-

pedit, ne is possit eligere, ad quem de iure pertineat electio. n. 4.

Collatio beneficii vacantis ex causa intrusionis fieri potest per legitimum collatorem, non vocato intruso, quamuis aliàs vocatio sit necessaria, ut à possessione amoveatur. n. 5.

Beneficium Curatum vacat ipso iure per ademptionem secundi, & potest fieri collatio de primo, non vocato Rectore. n. 5. & 7.

Beneficium vocans ipso iure, licet non vacet de facto, potest conferri ab habente potestatem, etiam non annullato, vel cassato colore retinendi, quia idem ius cassat, & annullat ipsam titulum. n. 6.

Dictio, liberè, importat, ut quis sua sponte, & sine alterius licentia, vel requisitione possit actum facere. n. 7. 8. & 9.

Collator beneficii, ipso iure vacantis ex causa delicti, non tenetur vocare possessorem, & ideo non est impeditus quo minus post sententiam declaratoriam incurisionis pæne priuationis, collationem efficere possit. n. 8. & 9.

Liber non dicitur actus, si ad ipsum faciendum alius sit requirendus. n. 8. & 9.

Ordinarius conferre potest beneficium, quod quis nulliter & iniuste possidet, & cum titulo manifestè infecto. n. 9.

Beneficium intrusi, declarati per sententiam pro tali, potest ille conferre, ad quem de iure pertinet collatio, etiam si sit inferior collator, n. 10. & 11.

Ratio ubi est eadem, debet & etiam procedere eadem iuris dispositio. n. 11.

Priuationis pæna imposta à iure non debet exequi de facto, nisi citato, & vocato possessore, & causa cognita. n. 12.

Possessor beneficii pacificus non debet molestari in sua possessione, quousque per sententiam declaratur, alium esse dominum, num. 13. & 14.

Existens in quasi possessione presentandi ad beneficium, validè presentat, licet in proprietate alius Tertius bonum ius habeat. num. 14.

Presentatio ad beneficium, facta ab eo, qui est in quasi possessione presentandi, admittenda est, licet Tertius habeat bonum ius in proprietate, nisi incontinenti constaret de suo non iure. n. 15.

Potestas conferendi beneficium originem sumit à proprietate, & iure conferendi, quod intrinsecè residet penes ipsum collatorem, non verò penes possessorem beneficii. n. 16.

Collator beneficii non impeditur quin possit in alium transferre illud ius, quod tunc ipse competit. n. 17.

Titulus, & proprietas existens penes dominum, potest ab eo cedi, & transferri, non vocato possessore;

possessore; secus autem ius, quod quis præterit habere circa possessionem, quia tunc vocandus est possessor. n. 18.

1 **D**IXIMVS supra, q. 75. quod beneficium vacans ex causa intrusionis, conferri debet per eum ad quem collatio pertinet: in præsentem autem inquirendum venit, an sit necessarium vocare intrusum, & dicendum videtur, opus esse, ipsum vocare ex dispositione text. *in cap. cum secundum*

2 *19. de hæreticis in 6.* Ex quo probatur, quod quando lex imponit priuationem ipso iure, fortitur effectum prolata sententia declaratoria delicti, ut latè tradunt Tiraquellus, plures referens, *in l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 40. & sequen. C. de reuocandis donationibus, Menoch de recuperanda possessione, remed. 5. num. 69. optimè Riccius in collect. decis. collect. 313. qui varias illationes ad intrusum adducit; sed delictum intrusionis priuat ipso iure beneficii; ergo ante declarationem intrusionis per sententiam necesse erit vocare intrusum.*

3 *decis. collect. 313.* qui varias illationes ad intrusum adducit; sed delictum intrusionis priuat ipso iure beneficii; ergo ante declarationem intrusionis per sententiam necesse erit vocare intrusum.

4 Secundo, quia possessio eligendi, residens penes Tertium, impedita manet, ne possit eligere is ad quem electio de iure pertinet, nisi vocato, & priuato intruso, vel criminoso, ut deciditur *in cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possessionis & proprietatis, & ibidem docent Abbas num. 37. & Ripa n. 102. cum sequen.* ergo similiter impeditus exister collator, ne possit conferre beneficium intrusi, eo non vocato.

5 His tamen non obstantibus, contrarium deciditur expressè *in cap. licet Episcopus 28. de præbendis in 6.* ex quo clarè constat, quod obtento effectualiter secundo beneficio Curato, potest conferri primum, eo non vocato, & sine aliqua citatione, quamuis aliàs ad auferendam possessionem citatio requiratur: ut notant Gioffa *in d. cap. licet Episcopus, verbo, te non vocato, & Gonzalez ad regulam 8. Cancellaria, glos. 15. §. 1. n. 39. & sequen.* optimè Sanchez *in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 26. n. 7. & 12.* & in terminis intrusi lite pendente, ita fuisse declaratum à Rota *in vna Braccaren. Archidiacon. 31. Martij 1628.* coram Coccino testatur Barbo. *in collect. ad d. cap. licet Episcopus, n. 8.* &

6 tradunt communiter Doctores, & præcipuè Domin. *ibidem, in 4. notabili*, dicens, quod beneficium de iure vacans, licet de facto non vacet (prout est vacatio ex causa intrusionis) potest conferri, etiam non annullato, vel cassato colore retinendi: quia tunc idem ius cassat, & annullat ipsum titulum: prout *in d. c. licet Episcopus*, & iuxta text. *Tract. de Intrusione.*

in cap. de multa, de præben. & dignat. statim ponderandum, de quo latè agit Tiraquellus *in l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 335. cum sequen. C. de reuocand. donat.* apud quem videre poteris, & penes Ioan. Gutierrez *consil. 10. & dicemus infra, q. 87. & q. 111. n. 5. & seq.*

7 Secundo probatur etiam ex *d. cap. de multa, in § is quoque*, vbi ita ait: *Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum &c.* in quo textu ponderandum est illud verbum, *liberè*, quod importat, ut quis possit actum facere sua sponte, & sine alterius licentia, auctoritate, aut permisso, vel requisitione, ut tradunt Surdus *consil. 313. n. 96.* Flaminus Parisius *de resignationibus benef. lib. 7. quest. 5. num. 8.* Gonzalez *vbi supra glos. 45. n. 11. & sequen. & glos. 48. n. 3. & glos. 53. n. 3.* latè Quintilianus Mandos. *super regulam 19. q. 15. n. 3.* Moneta *de commut. ultim. volunt. cap. 7. n. 144. & cap. 8. n. 137.* & alij plures relati per Barbof. *in tract. de dict. vsufrequent. dict. 190. n. 2.*

8 Et ex hac doctrina concludit *ibidem* Abbas *n. 3.* quod non tenetur collator, in specie illius textus, vocare etiam possessorem, nec expectare licentiam ab Episcopo post declarationem intrusionis; quia hoc importat verbum illud, *liberè*: non enim esset libertas, si alius requirendus foret; & consequenter clarè inducitur, non esse necessariam vocationem, ut collatio beneficii vacantis ex causa intrusionis, fieri possit: ut latè docet Ioan. Gutierrez quem omnino videbis *in d. consil. 10. fere per totum.*

9 Tertio probatur etiam expressè ex *cap. 1. §. cum igitur, vers. & illa liberè cum aliis &c. de homicidio in 6.* vbi probatur, quod post sententiam declaratoriam delicti, priuantis ipso iure reum beneficii, possunt ea liberè conferri, non vocato possessore: & ita resoluunt *ibidem* Glos. *verbo, liberè*, & alia Glos. *in cap. commissa 35. verbo, iusto impedimento, de electione in 6.* & concludunt Geminian. *in d. cap. 1. & Abbas in cap. cum nostris, n. 18. & 19. vers. & generaliter, de concess. præben.* vbi resoluunt, quod quando possessio non est colorata aliquo titulo, sed notoriè nulla est & iniusta (prout est illa quam intrusus notorius obrinet) tunc poterit Ordinarius tale beneficium conferre: optimè Gonzal. *vbi supra, in d. glos. 53. n. 2.* per hæc verba: *Et quatenus dicit liberè scire oportet, quod hæc dictio multis modis accipitur Nam primò, libere dicitur, id est non vocato aduersario &c.* Hæc Gonzalez. Ex quibus fundamentis hanc sententiam verissimam & sequendam iudico.

10 Quæ quidem resolutio amplianda venit, ut locum sibi vendicat non solum in eo intruso, qui post sententiam titulum ipso iure amisit & in eo beneficio remanet (prout loquuntur iura & Doctores *suprà* citati) verum etiam, & multo fortius in eo, qui ab initio aliquo caruit titulo, & notoriè constaret de sua infectione ex identitate rationum *suprà* allegatarum.

11 Secundo ampliatur, ut nedum intelligi debeat prædicta opinio in Episcopis (ut loquitur dictum cap. *licet Episcopus de præben. in 6.*) sed etiam in quolibet alio quocunque Ordinario, etiam inferiori, ad quem collatio pertinet; cum eadem vigeat ratio: ut declarat Glossa *in d. cap. licet Episcopus 28. verbo, Episcopus, de præben. in 6.* & consequenter eadem debet procedere dispositio in omnibus æqualiter: *l. illud, ff. ad leg. Aquiliam*, cum vulgatis, & dicemus *infra*, q. 87. n. 31.

12 Qua opinione retenta, non obstant quæ contra eam adduximus *suprà*, n. 2. & 3. Nam ad textum *in d. cap. cum secundum, de hereticis in 6.* respondetur, quod loquitur de ablatione, seu executione reali, quia qui est ipso iure priuatus beneficio, non debet de facto à possessione amoueri nisi eo citato, & causa cognita, ut *in d. cap. cum secundum*, & cum pluribus tradunt Thomas Sanchez *in Decalogum lib. 2. cap. 26. n. 12.* Riccius *de iure person. extra gremium Ecclesie existens lib. 5. cap. 31. n. 10.* Capycius *decis. 112. n. 2.* Riccius *in collect. decis. p. 2. collect. 303. latè Surdus de alimentis tit. 9. q. 25. n. 73. & sequen.* & est communis omnium DD. sententia, & latè dicemus *infra* q. 87. Vnde cum collatio beneficii vacantis ex causa intrusionis, fieri debeat post sententiam prolationem, non intrat dispositio dicti cap. *cum secundum*, nam (ut dictum est) loquitur in ablatione reali, spoliatiua possessionis ante sententiam.

13 Similiter non obstat secundum, de quo *suprà*, num. 4. Nam ut optimè aduertit Anchar. *in d. cap. licet, n. 6. in tertio notabili*, verum & certum est in iure, quod pacificè possidenti non est inferenda aliqua turbatio vel molestia, ut sua possessione uti non valeat, quousque per sententiam declaratur alium esse dominum, & quod ad ipsum possessorem pertineat; ut patet *ex d. cap. cum Ecclesia Sutrina*, quia ibi Canonici intendebant molestare, & turbare illos Clericos in quasi possessione eligendi: enim verò alium eligendo, auferebant propria auctoritate existentibus in quasi possessione, fructum suæ possessionis, contra dispositionem textus *in cap. consultationibus, de*

iure patronatus: Nam existens in quasi possessione præsentandi ad beneficium, validè præsentat, licet alius Tertius bonum ius habeat in proprietate; quia eo non obstante 15 admitti debet præsentatio existentis in quasi possessione, si aliàs notoriè incontinenti non pateret de suo non iure; & latè tradit Viuianus *in praxi iuris patronatus lib. 5. cap. 4. à n. 2. & sequen.* & pluries Rota declarauit ut *in recensior. p. 1. tom. 1. decis. 224. & in meis recollectis Peñæ tom. 2. decis. 1674. n. 3.* vbi mea Annotatio, *littera H. alias refert*, & in his terminis intelligendus est textus *in d. cap. cum Ecclesia*. At verò in casu propositæ quæstionis diuersum iudicium est efformandum, nam collatio beneficii originem sumit à proprietate, & iure conferendi, quod intrinsecè residet penes ipsum collatorem, non verò penes beneficii possessorem; & consequenter non impeditur Ordinarius, vel alius Collator, quominus id efficere valeat, cum tunc illud ius ad ipsum pertinens possit in alium transferre, & alia similia exequi: & hoc videtur de mente Glossæ *in d. cap. consultationibus, verbo, possidebat, in fine*; quia certum est, quod titulus, & proprietas existens penes Dominum, potest ab eo cedi, & transferri, non vocato possessore, ut in præsentati quæstione; fecus autem ius, quod quis præterdit habere circa possessionem, quia tunc vocandus erit possessor; ut *in d. cap. cum Ecclesia*.

Ex quibus concludendum est, quod quando beneficium vacat ex causa intrusionis, non tenetur Collator post sententiam declaratoriam ipsius intrusionis, vocare intrusum, de quo agemus etiam *in quæst. sequenti*.

QVÆSTIO LXXX.

An Patronus possit præsentare ad beneficium vacans ex causa intrusionis, non vocato intruso.

S V M M A R I V M.

Collator beneficii potest post sententiam declaratoriam intrusionis, illud conferre, non vocato intruso. n. 1.

Patronus non potest præsentare ad beneficium vacans post sententiam declaratoriam intrusionis, quin prius vocet ipsum intrusum. num. 2.

Sed contrarium est verius. n. 3. & seqq.

Habens

Habens ius eligendi non potest eligere, quin prius vocet eum, qui beneficio priuatur, etiam si de facto insistat in possessione ipsius, num. 2.

Patronus potest præsentare ad beneficium vacans de iure, quamuis non de facto, sicut & etiam potest Collator conferre. n. 3. & 5.

Conferre beneficium plus est, quam ad illud præsentare. n. 3.

Rektor si ipso iure fuerit priuatus beneficio, potest eligi alter absque alia pronuntiatione sententia super priuatione. n. 4.

Quod intellige ut ibidem.

1 IN quæstione antecedenti diximus, collatorem beneficii vacantis ex causa intrusionis, posse illud conferre post sententiam declaratoriam intrusionis, non vocato intruso, ex cuius persona vacabat: nunc in præsentati inquirendum est, an idem procedat in Patrono.

2 In quo articulo dicendum videtur, non posse patronum præsentare ad tale beneficium, vacans ex causa intrusionis, quin prius vocauerit ipsum intrusum, pro tali declaratum: ex eo quia habens ius eligendi, non potest eligere nisi prius vocet eum, qui beneficio priuatur, licet de facto in illius possessione insistat, & consequenter sit intrusus, ut notat Innocentius *in c. qualiter, & quando el. 2. num. 10. circa medium, vers. Clerici autem quorum est electio, & c. de accusationibus*: Ergo similiter Patronus non poterit præsentare, non vocato illo, qui beneficio fuit priuatus.

3 Contrarium tamen expressè decisum reperitur per Rotam *in antiquis decis. 9. alias 365.* quæ incipit, *Nota numquid Patronus, sub tit. de iure patronatus*, per hæc verba. *Nota numquid Patronus possit præsentare ad beneficium vacans de iure, sed non de facto, sicut Collator possit illud conferre, cap. licet Episcopus, de præben. in 6.* Facit quia si de tali beneficio potest fieri collatio, quod est plus, & utique quod est minus, & c. Hæc Rota, & ipsam allegando, ita in specie concludit Felinus *in cap. caterum 8. num. 24. vers. quod lata sententia priuationis, de rescriptis*, vbi etiam refert Lapum *allegat. 127. num. 6. & 7.* qui quidem circa hunc articulum satis intricatè, & confusè loquitur, prout aduertit Quintilianus Mandos. *in addit. ad dictum allegat. 127. littera S. verbo sed contra prædicta, & c.* Expressè tamen hanc opinionem sequuntur Romanus *conf. 365. incipiente, in re præsentati: ad finem*, Aimon. *conf. 82. incipit, Dominus Bartholomæus, post principium*, Card. Paris. *conf. 47. incip. Videtur Tract. de Intrusione.*

prima facie, num. 3. lib. 4. optimè Geminianus in cap. fundamenta, §. quod si fecus, vers. Nota quod ubi quis est priuatus, & c. de electione in 6. concludens, quod ubi quis est ipso iure priuatus beneficio, potest eligi alius Rektor absque altera pronuntiatione sententiæ super priuatione. Attamen hæc pars non mihi satis tuta videtur, cum semper videatur necessarium, quod sententia declaratoria delicti præcedat, ut diximus *suprà in q. antecedenti, num. 2.* & ita hæc sententia Rotæ vera est, & sequenda.

Nec obstat quod tradit Innocentius *in d. cap. qualiter & quando, (de quo supra, n. 2.)* quia illud intelligit Rota *in d. decis. 39. alias 365. in fine, sub tit. de iure patronatus*, in casu quo quis priuatur tantum per sententiam, de quo latè agit Viuianus *in praxi iuris patronatus, lib. 5. cap. 5. n. 17. & sequen.* Secus autem in eo, qui propter delictum commissum, ipso iure priuatus existit, ut in præsentati quæstione ex causa declaratae intrusionis; quia tunc Patroni poterunt præsentare: & ita doctrina Innocentij intelligi debet: & iuxta prædictam distinctionem declaranda venit præfens quæstio.

QVÆSTIO LXXXI.

An Papa existente intruso, possint Cardinales ante sententiam Concilij procedere ad electionem alterius Papæ.

S V M M A R I V M.

Sententia declaratoria delicti, imponentis ipso iure pœnam vacationis beneficii, est necessaria, ut Collator possit illud conferre alteri, vel Patronus præsentare. n. 1.

Cardinales non possunt eligere nouum Papam, ex eo quod sit intrusus, ante declarationem Concilij, pronuntiantis illum esse verè intrusum. n. 2. & 3.

Ad Concilium generale pertinet declarare, an Papa sit intrusus. n. 2.

Intrusus Papa quis dicatur. n. 2.

Electio Papa pertinet ad Cardinales quomodocunque vacet, non verò ad Concilium, nisi in aliquibus casibus. n. 3.

1 Hæc quæstio decidenda venit ex his, quæ in duobus immediatè antecedentibus diximus, ex quibus constat, non posse Ordinarium Collatorem, nec Patronum conferre, aut præsentare ad beneficium ipso iure vacans ex

- 2 causa intrusionis, vel alterius delicti, cui ipso iure imposita est poena priuationis, quin prius præcedat sententia declaratoria, & consequenter idem dicendum est in Papa existente intruso, vt procedi non possit ad electionem alterius, ante sententiam Concilij declarantis intrusionem, ad quod pertinet talis declaratio, vt diximus supra q. 17. n. 15. & sequen.
- 3 Quis autem dicatur intrusus in Papatu, ad effectum vacationis, diximus iam supra q. 13. & an talis electio pertineat ad ipsum Concilium, vel ad Cardinales, diximus etiam supra q. 18. & latè tradunt Azor. tom. 2. resol. moral. lib. 4. cap. 3. q. 13. Diana tom. 5. resol. moral. tract. 2. resol. 73. & Bonacina in peculiari tract. de elect. Summi Pontificis, q. 1. punct. 1. §. 4. num. 4. Barbof. de vnivers. iur. Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 76. qui cum aliis latè disputant hunc articulum, concludentes indistinctè, hoc ius Cardinalibus competere, non verò Concilio, nisi in aliquibus casibus, vt penes ipsos videre poteris; & conducunt quæ diximus supra, q. 17. n. 12. & 33. & ita in præsentis quæstione concludendum est, quod vt Cardinales possint ransitum facere ad nouam electionem Papæ, ex eo quod sit intrusus, necessariò requiratur, quod præcedat sententia Concilij declaratoria ipsius intrusionis.

QVÆSTIO LXXXII.

Impetrans beneficium intrusi, an teneatur facere mentionem de illius possessione seu intrusione.

S V M M A R I V M.

- Beneficium curatum vacat ipso iure, per ademptionem secundi. n. 1.*
- Impetrans beneficium intrusi non tenetur facere mentionem de possessione, vel intrusione illius, si per sententiam fuit declaratus intrusus. n. 2.*
- Beneficium vacans per ademptionem secundi incompatible, potest conferri, non vocato possessore, & ideo impetrans in literis non tenetur facere mentionem de illius possessione. num. 2.*
- Patronus potest presentare ad beneficium vacans de iure, & de facto, non vocato possessore. ibid.*
- Gratia dicitur subreptitia, in qua tacetur illud, quod si expressum fuisset, non concederet Princeps, vel saltem non ita de facili. n. 3.*

- Subreptio non datur, si Princeps concedere facilius gratiam, exprimendo causam. n. 4.*
- Mentionem possessionis, quam obtinet intrusus in beneficio, non tenetur facere, qui illud impetrat à Papa; secus autem si intrusio sit occulta. n. 5. & seqq.*
- Obtinens beneficium possessum ab altero tenetur facere mentionem in literis de possessione, si sit colorata, aliàs gratia erit subreptitia. num. 5. & 6.*
- Papa in gratia quam concedit, nunquam vult præiudicium inferre possidenti, titulo colorato. num. 6.*
- Impetrans beneficium intrusi manifesti, & non tolerati, non tenetur facere mentionem in literis de possessione, quam obtinet; secus autem si talis intrusus fuerit occultus, & toleratus, quia tunc exprimenda erit; aliàs gratia laborabit vitio subreptionis. num. 7. & 8.*



- ANC quæstionem mouet in terminis Glossa in cap. cum nostris, verbo, iusta causa, vers. sed pone, &c. de concessione præbende, vbi quærit, quod si aliquis habens Beneficium Curatum recipiat aliud cõsimile, & vtrumque retineat, non obstante quod primum ipso iure vacauit per ademptionem s. cundi, si alius tertius allegasset Domino Papæ, quod primum Beneficium vacauerat, & sic quod de illo prouideretur, à quo illud obtinuit cum literis, directis delegato, in quibus nullam fecit mentionem de possessione, quam obtinebat, qui habebat beneficium Curatum; quærit ibidem Glossa, an tales literæ valeant. & respondet, legitimas esse, & consequenter necessarium non fore in illis, de tali possessione mentionem, facere: & mouetur ea ratione; quia sicut Collator potest illud Beneficium conferre non vocato possessore, vt diximus supra, quæst. 75. & 79. & similiter Patronus præsentare, vt patet etiam ex dictis supra, q. 80. sic similiter poterit Delegatus tale Beneficium conferre (cum in hoc eandem habeat potestatem) non obstante quod in literis non fiat mentio de possessione.

- Quam Glossæ opinionem verissimam, & tenendam iudico, eamque sequitur ibidem Abbas num. 16. & 17. & probat hac naturali ratione; Illud tacitum dicitur inficere literas, quo expresse, Papa non concessisset, aut non ita de facili: cap. super literis 20. cap. postulasti 27. de rescriptis, & tradunt Palacios Rubios in epitome capitul. per vestras, notabili 4. num. 26. de donation. inter virum & uxorem, Gutierrez alios referens lib. 1. canon. quæst. cap. 15. num. 12. Garcia

- Garcia de benef. 6. p. cap. 2. n. 197. & sequent. & communiter Doctores; sed si in literis exprimeretur, quod possessor erat iniustus, & incoloratus, & consequenter intrusus, non solum retardaretur Pontificem ad concedendum ipsius Beneficium, sed immo potius facilius illud concessisset, ne per notorium intrusum possideretur, ergo non est necessaria mentio intrusionis, seu possessionis ipsius intrusi, vt impetrans consequi valeat beneficium.
- 5 Hæc tamen intelligenda veniunt secundum ipsum Abbatem ibidem, num. 17. de possessione intrusi manifesti, non vero occulti, & tolerati, vel bonæ fidei; nam cum ipsius possessio sit colorata, & consequenter ex colorato titulo obtenta, exinde sequitur, quod Papa non tã de facili cõcessisset literas, ne videretur velle præiudicium inferre possidenti titulo colorato, & ideo in tali casu erit necessarium, quod in literis narretur, aliàs gratia erit subreptitia: ad tradita in cap. cum nostris 6. de concessione præbende, & docent communiter Doctores, vt per Garciam de benef. par. 10. cap. 1. num. 48. Gonzal. ad regul. 8. glos. 15. n. 66. qui n. 69. loquitur de mentione intrusionis in literis faciendâ, & consequenter de possessione intrusi occultis, & tolerati, de qua impetrans mentionem facere debet, aliàs gratia erit subreptitia.
- 7 Ex qua declaratione, & ex supradictis, duæ colliguntur conclusiones, comprehendentes hunc articulum. Prima est, quod impetrans beneficium intrusi manifesti, & non tolerati non tenetur in literis impetrationis facere mentionem de possessione non colorata, vt docent Felinus in cap. in nostra, num. 3. vers. sed non puto, de rescriptis, Baldus cons. 388. incipiente, Insuper queritur, lib. 1. quem refert & sequitur Tiraquellus in l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 448. C. de reuocandis donationibus.
- 8 Secunda est quod possessio colorata (provt est illa, quam derinet intrusus occultus, & toleratus) exprimi debet; aliàs impetratio erit subreptitia, & inualida, vt docent Felinus in d. cap. in nostra, num. 3. 2. quem ad verbum refert & sequitur Ioan. de Selua de benef. p. 3. q. 11. n. 102. Ludouicus Gomez in Regulam de annali possessore, quos cum aliis refert & sequitur Menoch. de arbitrariis Iudicium, lib. 2. centur. 3. casu 201. n. 139. vbi in sequentibus numeris, multis modis declarat hanc conclusionem, & Garcia in d. 10. p. cap. 1. à n. 49. & sequen.

Ex quibus concludendum est, impetrantem beneficium ex causa intrusionis, non teneri facere mentionem de intrusi

possessione, si intrusio notoria fuerit & manifesta, secus autem si fuerit occulta, & talis intrusus toleratus.

QVÆSTIO LXXXIII.

An intrusus, qui per annum beneficium possedit, iuuetur Regula de Annali, contra impetrantem.

S V M M A R I V M.

- Intrusus in beneficio per annum potest contra impetrantem se iuuare Regula de Annali: num. 1. & 5.*
- Intellige vt num. 7. & sequent.*
- Possessor beneficij per annum, etiam sine titulo, potest se iuuare Regula de Annali, cum sufficiat sola detentatio de facto. num. 1. & 4.*
- Intellige vt num. 7. & sequen.*
- Regula de Annali fuit introducta in fauorem Reipublicæ, ne lites suboriantur. n. 2. & 9.*
- Et exinde defendit quemcunque possessorem, etiam defacto. n. 3.*
- Intellige vt n. 7.*
- Regula de Annali contentatur ex sola detentatione defacto, etiam si ex persona alterius, quam annalis possessoris vacet beneficium. num. 4.*
- Regula de Annali defendit possessores per annum, etiam inhabiles, veluti ex intrusione, vel alia cõsimili inhabilitate. n. 6.*
- Hæreticus possessor beneficij non potest se iuuare regula de Annali. n. 7.*
- Regula de Annali non habet locum in possessore inhabili, ea inhabilitate, qua impediatur de iure rem. n. 7.*
- Intrusus notorius, & non toleratus non potest se iuuare regula de Annali. n. 8.*
- Fraudibus & dolo non debet dari locus, nec alicui patrocinari. n. 8.*
- Regula de Annali locum habet in eo possessore, de cuius titulo legitime dubitari potest; non verò si notoriè sit infectus titulus. num. 9. & 11.*
- Possessor beneficij toleratus, & ex eo percipiens fructus, vel possessor bonæ fidei, potest se iuuare de Annali, licet alias titulus sit minus legitimus. n. 10.*



IN proposita quæstione dicendum est, intrusum in beneficio, possessorem per annum, se posse iuuare regula de Annali contra impetrantem; Et ratio est, quia ad

eum effectum sufficit sola detentatio de facto, etiam sine titulo: nam cum prædicta Regula fuerit edita in fauorem Reipublicæ, cuius interest, ne lites suboriantur, *l. properandum, ff. de iudiciis*, & latè tradunt Ludouicus Gomezius *super regulam, de Annali, q. 1. vers. ex quibus verbis proæmij*, & Mandosius *ad regulam 34. de Annali, q. 4. num. 1. vers. in super regulam hæc fauorabilis est*, & *q. 6. num. 8.* Exinde sequitur, prædictam Regulam confouere quemcumque possessorem de facto, ut in specie resoluit ipse Gomezius *vbi proxime, q. 5. 1.* & docent Sarnen. *super regulam de Annali, q. 34.* latè Cassador. *decis. 14. super regulas Cancellariæ, num. 9. vbi num. 10.* dicit, articulum esse dubium, idemque videtur insinuare Quintilianus Mandos. *ad regulam 34. q. 1. 5.* vbi loquitur de beneficiis reseruat, & *ibidem* tres opiniones refert, & ipse non resoluit ad quam ipsarum se inclinet, sequendo Sarnen. qui etiam quæstionem non decidit, & ambo se remittunt ad declarationem & decisionem Rotæ.

Vnde cum post ipsorum scripta reperimus hanc quæstionem decisam, prout supra resoluta manet; sequitur quod ipsi in hanc se conformarent: dubium autem decisum reperitur in *una Cracouien. Canonicius 24. Junij 1594.* coram D. Seraphino & habetur in *ipsius impressis, tom. 2. decis. 1060.* vbi *num. 7. & 8.* ita ait: Secundo opponitur de regula de Annali; & hæc obitare Domini censuerunt: quia contentatur sola detentatione de facto, etiam sine titulo, ut per Cassadorum *decis. 14. num. 9. & 10. super regul.* etiam si ex persona alterius, quam Annalis possessoris vacet, Sarnen. *super regul. de Annali, q. 34.* Nec obstat quod Canonicius vacauerit in mense reseruat, & sic Martinus, tanquam intrusus in beneficio reseruat, non possit dare de Regula, ut per Felinum in *cap. in nostra, num. 33. de rescriptis*, Cassadorum *decis. 14. num. 9.* Sarnen. in *d. regul. q. 2. 3.* & tenuit Rota in *causa Colonien. Canonicius coram bon. mem. Verallo 29. Maij 1570.* quia fuit ab hac opinione recessum per Rotam in *causa Calciatensi Scholasticæ sub die 16. Maij 1588.* coram Illustrissimo Platto, quæ opinio eo magis est recipienda, ex quo Martinus erat in possessione, antequam vacaret Canonicius in mense reseruat. Hæc Rota.

Ex cuius decisione iam per eam resolutum manet, quod Sarnen. & Mandosius ad ipsam remiserant, & consequenter dicendum venit, posse inhabiles se defendere istâ Regulâ, etiam si fuerint comprehensi in quacunque inhabilitate, veluti ex intru-

sione, vel alia confimili, quia cum sola detentatione ei satisficit secundum interpretationem longæuam Rotæ, teste Ludouico Gomezio in *d. q. 5. 1. & q. 5. 2.*

Hæc tamen resolutio duobus modis limitanda venit cum eodem Gomezio, ut locum non habeat in inhabili, ea inhabilitate, quæ efficiat, ut nec etiam rem retinere possit, veluti in hæretico, cui interdicta reperitur non solum possessio rei, sed etiam nuda detentatio secundum Cardinalem Alexandrum in *cap. 1.* post Glossam *ibi, 8. distinct.*

Et quamuis ipse Gomezius admittat hanc limitationem in tali inhabili, exemplificando illam in hæretico; attamen in *d. q. 5. 2.* reprehendit Cassadorum, quia discutit articulum pro vtraque parte: & hoc ex eo efficit, quia ait, quod Cassadorus in *sua decisione* impertinenter illam extendit: & licet Gomezius eandem decisionem referat, non tamen dicit vbi ipsa reperitur, eam tamen inuenies in impressis per ipsum Cassadorum in *d. decis. 14. super regulas Cancellariæ*, ex qua colligere poteris, quam iniuste à Gomezio fuerit reprehensus. Enimvero, meo paruo videri, apprimè materiam discutit, articulūque disputat; maximè cum ab ipso Gomezio approbanda veniebat prædicta limitatio. Nam *q. 54. in fine*, post quam resoluit, execrabilem possessorem beneficij posse vti Regula de Annali, quia defendit quemcumque detentorem, dummodo detentatio non sit improbata à iure, ut in hæretico; postmodum distinguit in possessore execrabili, ita quod talis non possit prædicta Regula gaudere; secus autem in eo qui non fuit execrabilis; & in *sine*, ita concludit: *Sed quidquid sit, Rota meo tempore tenuit in vtroque casu contrarium; quia ex quo ista Regula nullum requirit titulum, neque bonam fidem, qualibet occupatio sufficit in odium occupantium beneficia possessorum viuorum certo modo, &c.* Hæc Gomezius, ex cuius doctrina liquidò patet, iniuste increpasse Cassadorum.

Secundo modo limitanda venit in notorio intruso non tolerato, iuxta ea quæ diximus supra, *quæst. 27.* quia prædicta Regula non prodest tali notorio intruso, ad effectum ut ea se possit iuuare, ne detur locus fraudibus, & malitiis, quæ quidem omnimodo impediri debent, cum dolus nemini patrocinaris queat, *cap. sedes 15. de rescript. l. ex dolo, ff. de dolo, l. 3. de transactionibus*, & plures referens tradit Barb. in *tract. axiomat. vsu frequentium, axiomat. 102. n. 1. & axiomat. 143. n. 1.*

Et prædicta Regula locum sibi vendicat

cat in eo possessore, de cuius titulo dubitari possit, an sit necne legitimus, licet enim discussa veritate, illo careat; quia si non sit notorius defectus, iuuatur possessor prædicta Regula, ex ratione superius adducta *num. 3.*

Et tunc ad eum effectum dicitur non esse notorium, si fructus, & prouentus beneficij percipiat, iuxta Glossam in *l. 3. verbo, finiat, C. finium regund.* & plura cumulans tradit Quintil. Mandos. *ad regul. 16. Cancellariæ, q. 24. num. 5.* vel saltem si fuerit toleratus, aut bonæ fidei, iuxta ea quæ diximus supra, in *d. q. 5. 1.* & apud illum videre poteris, cum breuitati consulam.

Ex quibus concludendum est, intrusum annalem possessorem beneficij se posse iuuare Regula de Annali contra impetran-tem, si notoriè non constiterit de illius intrusione, taliter quod dubitari possit, an sit, vel non intrusus.

QVÆSTIO LXXXIV.

An intrusus in beneficio reseruatō vti possit exceptione Regulæ de Annali, contra impetran-tem.

S-V-M-M-A-R-I-V-M.

Intrusus in beneficio reseruatō non potest vti Regula de Annali contra impetran-tem. num. 1.

Sed contraria opinio est verior. n. 3.

Intrusus possessor toleratus in beneficio reseruatō potest se tueri Regula de Annali, contra impetran-tem. n. 3.

Regula de Annali fuit edita propter bonum commune Reipublicæ ad sedandas lites. numer. 4. & 7.

Multa sunt propter bonum commune, & quietem Reipublicæ, quæ licet aliàs sint minus legitima, retractari non debent pro illo tunc, quamuis postmodum retractanda veniant. num. 5.

Vsura sunt de iure reprobata. n. 5.

Iurans soluere vsuras tenetur ad ipsarum solutionem, quamuis postea repeli, & restitui debeant. n. 5.

Nemo cum alterius iactura locupletari potest. num. 6.

Præscriptio fuit introducta propter bonum commune, in odium desiderium, seu non pertinentium res suas, ne rerum dominia sint incerta. n. 6.

Regula de Annali vti potest quilibet annalis

possessor beneficij, etiam reseruatō quacun- que reseruatione, tam generali quam speciali. num. 7.



ANC quæstionem in terminis exagitant Felinus in *cap. in nostra, corollar. 36. in 2. colum. & Ludouicus Gomezius ad regulam de Annali possessore quæst. 23.* qui licet ipsam *ibidem* non decidat ex eo, quia causa tunc in Rota coram eo pendebat, & pro vtraque opinione ad partes fundamenta adducat, tandem concludit istam quæstionem decidi posse ex his quæ tradidit Felinus *vbi proxime*, docens, talem detentorem beneficij generaliter reseruatō vti non posse exceptione Regulæ de Annali propter notorietatem decreti, quod detentor scit, vel scire tenetur.

Et Quintilianus Mandos. *ad regulam 34. de Annali, q. 15.* disputat in specie articulum, & *ibidem* tres opiniones refert, & nec ipse illum resoluit, sed se remittit ad declarationem Rotæ, in qua tunc similis quæstio agitabatur, & neuter prædictorum suum interponit iudicium: Attamen Cassadorus *decis. 14. num. 9.* sequitur opinionem Felini, quam etiam tueri Sarnen. *ad regulam de Annali, q. 23.* ipsamque declarauit Rota in *una Colonien. Canonicius 29. Maij 1570. coram Verallo*: Ex quibus dicendum videbatur, talem intrusum in beneficio reseruatō non posse vti Regula de Annali, contra impetran-tem.

Sed ipsamet Rota ab hac opinione recessit declarans, non ita indistinctè fore intelligendam dictam conclusionem, sed immo quod possessor intrusus beneficij reseruatō, se potest tueri Regula de Annali, dummodo sit toleratus, & non notorius, prout diximus supra, in *quæstione antecedenti, num. 7. & 8.* & expressè testatur Cardinalis Seraphinus *decis. 1060. num. 8.* cuius verba rerulimus supra, in *quæst. antecedenti, num. 5.* Et quamuis Felinus, Gomezius, Mandos. Sarnen. & Cassadorus varia argumenta proponant pro illa opinione, verior quidem & tenenda est hæc vltima Seraphini: & quamuis ipse non adducat fundamenta, ex quibus Rota recessit à prima opinione, poteris illa videre penes ipsum Mandos. in *d. q. 15. num. 3. vers. tertia opinio est, quod regula hæc, &c.*

Quibus addo, quod cum Pontifices ediderint hanc Regulam in fauorem boni publici, & vtilitatem Reipublicæ, cuius interest ne lites suboriantur, ut diximus supra, in *quæst. antecedenti, num. 2.* non consequerentur hunc finem, si ansa aliqua daretur,

daretur, ex qua impediri posset; & in iure est notum, multa fieri, ipsumque ius velle exequi propter bonum & gubernationem publicam, quæ licet aliàs sint minùs legitima, attamen pro illo tunc retractari non debent, quamvis postmodùm retractanda veniant: prout videmus in eo, qui iuravit soluere vsuras, quæ quidem licet in iure summopere sint reprobata, nihilominus per iurantem solui debent, ad sedandas lites, quamvis postea restitui, & repeti debeant; vt in cap. *debitores, de iureiurando*, & patet ex his quæ annotaui in meo *pastorali Regularium*, p. 1. claus. 5. num. 40. & 41. & p. 2. q. 3. n. 28.

6 Quod etiam probari potest argumento sumpto ex præscriptione; enim verò licet ius, & ratio naturalis dicent, neminem cum alterius iactura vel iniuria posse locupletari, l. 2. §. *merito, ff. ne quid in loco publico, l. nec aius 4.* vbi Glos. marginalis, verbo, *beneficia, C. de emancipatione liberorum*; eo tamen non obstante, propter Reipublicæ commune bonum, ne rerum dominia sint in incerto, fuit introducta præscriptio in odium defidum, seu non petentium res suas; vt est communis Doctorum sententia, & tradit Mandos. ad terminos Regulæ de Annali q. 3. num. 5. sic similiter in præsentia quæstione dicendum est, quod cum immediatè hæc Regula tendat ad sedandas lites, quæ suboriri poterant, exinde eius exceptio locum habere debet in quolibet possessore annali beneficij referuati, tam ex referuatione generali, quàm speciali, vel in alio quolibet intruso non notorio, cum illius causa finalis æquè comprehendat ipsos, & ex hac resolutione per hunc modum consulitur quieti, & tranquillitati Reipublicæ, cuius occasione prædicta Regula fuit edita, vt diximus supra.

QVÆSTIO LXXXV.

An valeat sententia lata contra intrusum, qui verè est intrusus, licet de intrusione non constet.

S V M M A R I V M.

Sententia lata contra verè intrusum, valet, licet de intrusione non constiterit. n. 1.

Sed contra, n. 3.

Intellige vt n. 7. & sequen.

Processus factus per exequutorem sententia contra intrusum valet, licet de intrusione

non cognouerit. n. 2.

Intellige de eo exequutore, cui non fuit commissæ causæ cognitio. n. 6.

Sententia lata contra aliquem tanquam intrusum, licet verè esset intrusus, non valet, si de intrusione non constiterit. n. 3. & sequen.

Intellige vt n. 7. & sequen.

Papa si deposuerit aliquem, dignum depositione, si tamen ei non constiterit de causâ depositionis, sententia est iniusta, & rescindi debet. n. 4.

Iudex pronuntians aliquem esse contumacem, si contumacia ei non fuerit nota, non valet processus, licet in veritate fuisset contumax. num. 5.

Exequutor merus, cui causâ cognitio non est commissæ, non habet cognitionem illius. n. 6.

Sententia lata contra intrusum notorium valet, licet alias de intrusione non constaret, n. 7. & 10.

Iudici si aliquid constat ex euidentia facti continui, non indiget clamore accusatoris, aut aliarum solemnitatum, de iure requisitarum. n. 8.

Iudici si de facto constiterit ex confessione partis, non debet curare de ineptitudine processus. n. 9.



In hac quæstione videtur dicendum, quod sententia lata contra verè intrusum, valet, licet de intrusione non constiterit; vt in specie decisum reperitur per Rotam in decis. 17. alias 477. incipiente, *Si exequutor eidem P. datus &c.* sub tit. *de iudiciis, in nouis*, vbi expressè resoluitur, quod processus factus per exequutorem sententiæ contra intrusum valet, licet de intrusione non cognouerit, & ad intentum allegat Innocentium, & quod ipse notat in cap. *dudum, de præsumpt.*

Sed contrarium ex diametro docuit Felinus in cap. *sciscitatus*, 13. sub n. 12. vers. *sed caue: de rescript.* per hæc verba: Vbi autem ferretur sententia contra aliquem, tanquam intrusum, licet verè esset intrusus, tamen si de intrusione non constiterit, non putarem sententiam valere; tum propter dictum Bartoli in l. *multum*, n. 4. vers. *item facit*, ff. *de condition. & demonstrationibus*; tum etiam & fortius propter Glossam solemnem Ioan. Mon. in *extranaganti Bonificij VIII. Rem non nouam, in glossa magna. post medium*, vbi firmat post multa, quod si Papa deponit dignum depositione, & tamen non constiterit sibi de causâ depositionis, sententia est iniusta, & debet rescindi, &c. Hæc Felinus. (prædictam Glossam Io. Mon. reperies in *d. extranaganti, verbo, non obstantibus*,

bus, circa finem, vers. item quaro secundo, & principaliter, aliquis per Papam est citatus &c.)

5 Idemque videtur innuere ipse Felinus in cap. *Ecclesia S. Mariæ 10. sub num. 14. vers. decimo ad hanc partem, de constitut.* vbi ita ait: Decimo ad hanc partem est alia solemnitas decisio Bartoli in l. *multum, &c.* vbi dicit, quod si Iudex pronunciauit contra aliquem tanquam contumacem, cum ipsius contumacia non esset Iudici nota, licet in veritate contumax esset, non valebit processus, quia Iudex ignorat illud principale, propter quod pronuntiat, & ius pronuntiandi: allegat Innocen. in cap. *cum contingat, super verbo, iuste, de officio delegati*, pro quo dicit esse textum in l. 1. §. *hæc autem, super verbo, constare, liquereque Prætori, ff. ex quibus causis in possessionem eatur &c.* Vique huc Felinus; ex cuius doctrina liquidò patet, talem sententiam latam à Iudice contra verè intrusum, de cuius intrusione non constiterit, esse nullam.

6 Nec obstat prædicta decisio 17. Nam vt aduertit ipse Felinus in *d. cap. sciscitatus, in d. n. 12. vers. sed caue &c.* loquitur in mero exequutore, cui causæ cognitio non fuerat commissæ, & consequenter eius cognitionem non habeat, vt per Rotam in *meis re-collectis Penæ tom. 1. decis. 36. n. 7. vers. nec obstat si dicatur.*

Quod autem prædicta decis. 17. loquatur in mero exequutore, cui non fuerat commissæ causæ cognitio, colligit Felinus ex eo, quod allegat Glos. & Doctores in *Clement. 1. de officio Delegati*, & Innocentium in cap. *dudum, de præsumpt.* & consequenter deducitur, prædictam decisionem non contradicere huic resolutioni; nam intelligenda est de Iudice, qui cognitionem habet.

7 Prædicta autem limitanda veniunt in notoria intrusione: Enim verò si palam constaret aliquem esse intrusum, & Iudici verè id esset notum, eique parefieret notorietas intrusionis, tunc sententia lata contra illum valeret, prout resoluit Felinus in cap. *cum olim, sub n. 2. vers. nota secundo, de sententia, & re iudicata*, ex auctoritate Innocentij in cap. *sua, ad finem, de cohabitatione clericorum, & mulierum*, & ex aliis adductis per eundem Felinum in *d. cap. Ecclesia S. Mariæ num. 20. vers. tertio limita*, & Innocentium sequitur Abbas quoad hanc limitationem in *d. cap. cum olim*, licet ipse Felinus dubitet de ipsius doctrina, per ea quæ adducit Bartolus in l. *multum, ff. de conditionibus & demonstrationibus*, & in l. *hæc autem, §. 1. ff. ex quibus causis in possessionem eatur*: Subdit tamen,

quod si limitatio hæc admittenda foret, maximè fieri deberet propter auctoritatem Innocentij.

Sed reuera præter ipsius auctoritatem plures rationes in iure resultant, ex quibus prædicta limitatio tanquam iuridica, & vera, admittenda venit: nam si aliquid constat Iudici ex euidentia facti continui, non indiget clamore accusatoris, aut aliarum solemnitatum de iure requisitarum: vt cum Menochio de *arbitrariis Iudicium, lib. 2. centur. 3. casu 235. num. 5.* & Surdo decis. 326. n. 88. probaui in meo *foro conscientia, siue pastorali interno, p. 1. q. 2. n. 11.* Tum & etiam, quia si aliquid Iudici notum esset manifestè, veluti ex confessione partis, tunc non est curandum de ineptitudine processus, vt patet ex cap. 1. & 2. de *accusatione in 6.* & cum pluribus tradunt Mascardus de *probationibus, conclus. 357. sub tit. Confessio facta in actu nullo, num. 3. cum duobus sequentibus*, Sayrus in *clauis Regiæ, lib. 12. cap. 11. num. 15.* & patet etiam ex aliis fundamentis, idem probantibus, penes ipsum Felinum in *d. cap. Ecclesia S. Mariæ in d. num. 20.*

Ex quibus omnibus concludendum est, sententiam latam contra intrusum, qui verè talis erat, esse nullam & inuolidam, si de intrusione non constabat: secus autem, si intrusus non esset toleratus, sed notorius, taliter quòd intrusio esset manifesta, secundum ea quæ diximus supra, q. 27. propter rationem adductam supra, q. 83. num. 8.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Ordinarius possit ex officio remouere intrusum à possessione.

S V M M A R I V M.

Ordinarius potest ex officio remouere intrusum à possessione. n. 1.

Beneficium vacat ipso iure ob non ostensionem tituli intra terminum, quando Ordinarius iubet vt omnes illum exhibeant. n. 2.

Possessor, etiam intrusus, potest excludere actorem per obiectus, licebit tamen Ordinario illum remouere. n. 3.

Iudex ex mero officio potest renouare possessionem attentatam, ex eo quod fuit capta lite pendente. n. 4.

Attentans ledit maiestatem Iudicis, & ex eo ipse potest in omni casu, ex suo mero officio renouare attentata. n. 5.

Licet aliqui contra sentiant; sed prima opinio est

est verior, & tenenda. n. 6.
Attentatorum reuocatio, facienda ad instantiam partis, requirit citationem illius, contra quem exequenda est reuocatio. n. 7.
Iudex ex officio potest reuocare attentata sine aliquo ministerio partis, quæ passa fuit intrusionem. n. 8.
Attentata potest reuocare Iudex ex suo mero officio, etiam parte non petente, in odium attentantis, & hoc non iure actionis, sed potius ex officio iudicandi. n. 9.
Iudex an ex officio semper, & quocumque, etiam post conclusum in causa, possit reuocare attentata; vide remissuè. n. 10.

- I** Ordinarium posse ex officio remouere intrusum à possessione, colligi expressè videtur ex cap. Ordinarij, §. quod si forte, de officio Ordinarij in 6.
- 2** ex quo probatur, beneficium vacare ipso iure ob non ostensionem tituli, seu dispensationis coram Ordinario, postquam Beneficiatus monitus fuit, cuius decisio renouata reperitur per Tridentinum *ses. 6. cap. 2. & ses. 7. cap. 5. de reform. & cum Malsobrio, & Gonzalez, qui plures refert, ad regul. 8. glos. 15. tradunt Barbosa in pastoralis p. 3. allegat. 57. num. 222. & Lotterius de re benef. lib. 2. q. 46. num. 35. & 36. cum sequen. & latè etiam diximus supra q. 68. & 71. Sequitur ergo exinde, quod si Ordinarius potest remouere contumacem in non ostendendo titulum beneficij intra terminum assignatum, & conferre illud, poterit & etiam possessionem attribuere, remouendo intrusum ab illa; aliàs enim collatio esset inutilis, vt expressè decisum reperitur per Rotam in antiquis, decis. 7. alias 418. incipient. Nota an Reus & possessor in causa beneficij &c. sub tit. de exceptionibus, vbi probatur, quod etsi possessor, etiam intrusus, possit per obiectus excludere actorem, vt latè probauimus supra, q. 68. & q. 70. in fine, tamen ipsa Rota concludit, quod ex eo ille iniustus possessor (hoc est intrusus) non remanebit in possessione, quia ex officio poterit Ordinarius illum remouere, ex dispositione textus in d. cap. Ordinarij, §. quod si forte: Et ita quoad hunc articulum concludendum est, posse Ordinarium remouere intrusum à possessione: quam conclusionem intelligerem; dummodo talis intrusus esset notorius, in quo sensu procedere fatendum est.*
- 4** Et ex hac resolutione dubium non leue suboriri potest, an idem resolui debeat in intruso lite pendente, si quis enim se intrudat in beneficio, contra dispositionem

textus cap. si hi contra quos, vt lite pendente, in 6. dubitari potest, an possit Iudex ex officio reuocare illam possessionem attentatam, & Tertio ipsam tradere? Et Lancellorus de attent. p. 3. cap. 7. ad partes disputat latè hunc articulum, & num. 7. cum sequen. ex variis fundamentis concludit, posse Iudicem ex suo mero & puro officio reuocare attentata, ex eo quod ipsius maiestas fuit læsa, propter contemptum & iniuriam illatam ab attentante ipsi Iudici ac legibus, & eidem iuri, & hoc in omnibus casibus pro voto suo: ad quod probandum vtitur Lancellorus variis fundamentis, & rationibus; qui num. 13. & in d. p. 3. cap. 24. q. 12. num. 12. loquitur in terminis execrabilis, provt est intrusus.

Contrarium tamen defendit Gigas in epitome de intruso, num. 55. vbi resoluit, non posse Iudicem ex officio reuocare talem intrusionem attentatam: motus ex eo, quia requiritur citatio in tali reuocatione attentatorum, & consequenter non posse Iudicem ex suo mero officio procedere. Sed profectò ipse Lancellorus *ibidem 7 in d. cap. 27. num. 24.* summa cum ratione dixit, Gigantem in hac re oscitanter loquutum fuisse, cum videamus, quod etsi in attentatorum reuocatione facienda ad instantiam partis, sit necessaria citatio, non tamen intelligitur, vt pars quæ experta fuit intrusionem, citari debeat, sed illa tantum contra quam reuocatio exequenda est.

Vnde hoc non officit resolutioni traditæ per Lancellorum: nam loquitur circa illam diuersam quæstionem, videlicet an Iudex ex officio sine aliquo ministerio, aut factò partis, quæ passa fuit intrusionem, possit ad huiusmodi reuocationem deuenire, & in tali casu concludit hoc ei licere; & consequenter ipsa resolutio vera est, & sequenda: apud quem latè videre poteris, quæ conducunt ad perfectam intelligentiam huius conclusionis, & ad solutionem argumentorum, quæ pro sua opinione adducit Gigas, ne in hoc longiùs diuertamur.

Et hanc Lancelloti opinionem pluries sequuta fuit Rota, & per Cauallerium *decis. 175. num. 3. Coccinum decis. 418. num. 3. in eius impressis, & Peñam in meis recollectis tom. 2. decis. 1324. n. 7. & decis. 1184. num. 9.* per hæc verba: Secundò dicebatur, in odium, & poenam attentantis, etiã parte non petente, Iudicem ex puro, & mero officio suo arretata posse reuocare, non iure actionis, sed potius ex officio iudicandi, Rota *decis. 2. incip. Fuit dubitatum, de restit. spoliat. in nouis, vers. scius vero, & decis. 5. incip.*

incip. Nota numquid Reo. n. 5. vt lite pendente, in antiquis, Bisignetus decis. 1. numquid Reo. eodem tit. Lancellor. de attentat. p. 3. cap. 22. num. 67. &c. Hæc Peña.
 Ex quibus quoad hunc articulum concludendum est, posse Iudicem, sicut Ordinarium (provt diximus in primo casu) reuocare ex officio huiusmodi intrusionem attentatam lite pendente, etiam parte non petente, quæ non vult, aut non potest talem reuocationem petere.

10 An autem possit Iudex semper & quocumque, etiam post conclusum in causa, reuocare attentata ad effectum de quo supra, vide eundem Lancellorum in d. 3. p. cap. 23. à num. 59. cum pluribus sequen. & *ibidem q. 2. num. 58.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An Intrusus sit citandus, antequam amouetur à possessione.

S V M M A R I V M.

Intrusus notorius non citatus amoueri potest non solum à beneficio, sed etiam à possessione secus si non fuerit notorius. n. 1.
Intellige vt num. 45.
Possessor priuari non debet sua possessione nisi prævia citatione, & causa cognitione. n. 2.
Exequutio si committatur contra quoscunque intrusos, ex eo non censetur sublata citatio, vt sine ea quis priuetur possessione. n. 3.
Iudex si à possessione expellat possessorem, eo non vocato, erit adstrictus reuocare traditionem possessionis alteri factam. n. 4.
Immisio possessionis exequuta contra possidentem, etiam de facto, reicienda est, si possidens non fuerit citatus. n. 5.
Habens se informare de intrusione summarie, & de plano, ante omnia tenetur citare possessorem intrusum. n. 6.
Informatio, ex commissione Papæ facienda, de iusto beneficij titulo, non debet fieri sine citatione possessoris. n. 6.
Processus factus in præiudicium possessoris intrusi, erit nullus, & irritus, si ipse non fuerit citatus & vocatus. n. 7.
Detentor etiam iniustus beneficij, non debet expelli ab ipsius possessione, quin prius citetur. n. 8.
Intrusus non vocatus priuari potest beneficio, non verò eiici à possessione sine citatione. numer. 10.
Quod intellige non solum in Episcopo, sed
 Tract. de Intrusione.

etiam in quolibet Prelato inferiori, vel de legato. n. 31. & 32.
Collator beneficij, de iure vacantis, non tenetur vocare possessorem, ad faciendam collationem. n. 10.
Collatio beneficij fieri potest extrajudicialiter. num. 11.
Possessor beneficij præcisè vocandus, & citandus est, quoties ei aliquod præiudicium sequi potest. n. 12.
Possessor beneficij tam de facto, quàm de iure, si eiiciendus sit à possessione, præcisè citandus, & vocandus est, antequam ei auferatur. n. 12. & 13.
Possessio quantumcunque sit iniusta, vel intrusiva, non debet auferri, quin prius possessor citetur. n. 14.
Quod intellige non solum in Episcopo, sed etiam in quolibet Prelato inferiori. n. 31.
Spoliatum possessione, contra quem notoriè constat non competere defensionem, potest Iudex amouere, & restituere verum Dominum sine illius citatione. n. 15.
Clausula, Vocato possessore, apponi debet in literis pronisiois beneficij, ob non factam publicationem. n. 16.
Possessor beneficij inauditus non debet eiici à possessione, quamuis ipso iure sit illo priuatus. num. 17.
Citatio est iuris naturalis, & ideo fieri debet, vt possessori beneficij, etiam non legitimo, auferatur possessio. n. 17.
Et hoc habet locum non solum in Episcopo, sed etiam in quolibet Prelato inferiori. n. 31.
Dominio quis priuari potest sine citatione in pluribus casibus, non verò possessione. n. 18.
Dominium transit in Ecclesiam sine aliquo ministerio, non verò possessio. n. 18.
Dominium dotis soluto matrimonio reuertitur in eum, ad quem pertinet, non verò possessio. n. 19.
Dominium legati vindicationis ipso iure transit in legatarium ex sola vocatione, non verò possessio. n. 19.
Creditor habens facultatem ingrediendi possessionem rei pignoratæ, non potest illam consequi sine partis citatione, etiam habita licentia Iudicis, qui illam concedere non debet. num. 20.
Intrusus quamuis ipso iure amittat titulum beneficij ex causa intrusionis, non tamen possessionem, & ideo citandus est, vt ei auferatur. num. 21.
Ordinarium potest immittere in possessionem beneficij de iure vacantis, ad quem de facto pertinet, sine citatione illius qui de iure priuatus existit. n. 22.
Sed contrarium est verius. n. 24.
 Episcopi de iure habent fundatam intentionem

in collatione beneficiorum. n. 23.
 Clericus ipso iure priuatus beneficio non debet à sua possessione amoueri, nisi prius citetur, & causa cognita. n. 24.
 Priuatus beneficio ipso iure citandus est, antequam ei possessio auferatur. n. 25.
 Intrusus si per sententiam fuerit priuatus titulo, & possessione propter intrusionem commissam, non est opus illam citare ut possessio auferatur. n. 26.
 Sententia iudicis facit rem notoriam. n. 27.
 Citatio in re notoria non est necessaria. n. 27.
 Intrusio si sit notoria, taliter quod Intrusus nullam habeat defensionem, non erit necessaria citatio ut possessio ei auferatur. numer. 28.
 Appellatio in re notoria non debet admitti. num. 29.
 Citatio frustra fit ei, qui postquam citatus fuerit, nihil releuans habet, quod opponere valeat. n. 30. & 42.
 Prælatus inferior si habeat facultatem instituendi, vel destituendi, venit appellatione Episcopi. n. 31.
 Intrusus non vocatus non potest per Episcopum amoueri à sua possessione sine citatione. num. 31.
 Quod extendit etiam ad exequutorem Apostolicum. n. 32.
 Declara ut n. 35.
 Intrusus eiectus à possessione sine citatione, potest agere spolio contra eiectorem. n. 33.
 Declara ut n. 35.
 Intrusus potest resistere violenter ei, qui intendit sine citatione ipsum eiecere à sua possessione. n. 34.
 Citatio ad auferendam possessionem intruso non est necessaria in aliquibus casibus. n. 35. & sequen.
 Intrusus amoueri potest à possessione sine citatione, si contra eum fuerit lata sententia priuationis, & hæc transferit in rem iudicatam. n. 36.
 Sententia nulla, quæ per secundam transiit in rem iudicatam, non potest amplius impugnari de nullitate, si à parte non sit oppositum. n. 37.
 Intrusus notorius non est citandus ad auferendam ei possessionem, sed de facto spoliari potest. n. 38.
 Intellige in rebus spiritualibus, quidquid sit in prophanis. n. 39.
 Declara ut n. 41.
 Iudex potest de facto extra iudicium reuocare ea, quæ extra illud etiam de facto fuerunt per partes exequuta. n. 40.
 Citatio non est de iure naturali propter se, sed propter defensionem. n. 42.
 Defensio aliqua non potest dari in notorio

inexcusabili, & ideo in eo non erit necessaria citatio. n. 41. & 42.

Notorio intruso non debet fieri citatio, ut possessio auferatur. n. 43.

Intellige ut n. 45.

Citatio non est necessaria, quoties adest notorietas inexcusabilis; secus si aliqua excusatio vel exceptio dari posset. n. 43. & 44.

Intellige ut n. 45.

Hæreditatem ex testamento qui dolo omittit, tenetur ad legata. n. 44.

Delegatus non potest auferre possessionem intruso, eo non citato. n. 46.

Delegatus Principis in causa ei delegata maior est quocumque Ordinario. n. 46.



T huius questionis resolutio defumi possit, distinguendum est, an notoriè non constet, possessorem esse intrusum; aut palam & manifestè constet de intrusione: nam in primo casu concludendum est, quod quamuis aliàs intrusus amoueri possit à beneficio, ipso non vocato; non tamen remoueri debet, nisi praua citatione, & causæ cognitione, ut latè diximus supra, q. 79. à n. 5. & sequen. & latè probauimus ex text. in cap. licet Episcopus, de præbendis in 6. & sic in tali casu citandus erit intrusus.

Quæ conclusio roborari potest secundò ex l. nec Imperiale, C. si per vim, vel alio modo &c. ex qua patet, neminem sua possessione priuandum fore, nisi præcedente citatione & causæ cognitione, ut latè probat ibidem Glossa, verbo, nec Imperiale; & etiam alia Glossa marginalis in eodem textu, verbo, priuandus, vbi ad intentum allegat Marfil. singul. 195. qui varias ampliaciones, & limitationes adducit: optimè Ruynus conf. 128. incip. Quantum ad iudicium, &c. qui singulariter dixit, quod si exequutio committatur contra quoscumque intrusos, ex eo tamen non censetur sublata citatio ad priuandum possessione, quin illa præcedat: ergo erit præcita, ut intrusus à possessione valeat amoueri.

Tertiò probatur ex his quæ docuit Cardinalis conf. 75. incip. Reuerende Pater &c. vbi firmat, quod si Iudex expellat à possessione intrusum possessorem, eo non vocato, erit adstrictus reuocare traditionem possessionis alteri factam: & consequenter necessaria erit citatio.

Cui consonat Romanus conf. 69. incip. Viso quæstionis themate, n. 12. vers. tertio hanc immisionem &c. vbi resoluit, quod non erit legitima, sed immo reiicienda immisio in possessionem exequuta contra possidentem, etiam de facto, quin prius ipse possidens

Possidens fuerit citatus, argumento sumpto ex d. l. nec Imperiale, & sequitur Bertrand. conf. 9. incip. Existimo &c. n. 4. volum. 2. in antiquis.

6 Quartò, ad intentum ponderari potest conf. 4. Calderini, incip. si Papa mandet &c. sub tit. de dilationibus: vbi quærit, quid si Papa mandet fieri informationem de iusto beneficij titulo, an talis informatio fieri possit parte non citata: Et in vers. Item quod antequam &c. resoluit, quod habens se informare de intrusione Titij summariè, & de plano, ante omnia tenetur illum citare: ad quod probandum allegat text. in cap. quia diuersitatem, ibi, Ad eas resignandas monitione præmissa, &c. de concessione præbende.

Nec huic resolutioni, ait Calder. obstare videtur text. in cap. cupientes, 16. §. ad hæc, de electione, in 6. quatenus ibidem mentio fit de informatione, non verò de citatione: & exinde colligi, non esse necessariam citationem: Quia immo de contrario patet in d. §. ad hæc, nam iam præcesserat citatio, ut deducitur ex contextura ipsius textus; & consequenter ex eo probatur requiri citationem præcedentem.

7 Quintò facit resolutio tradita ab Alexand. de Imola conf. 5. incip. in causa, & lite vertente, volum. 2. vbi num. 2. & 3. docuit, quod processus factus in præiudicium possessoris intrusi, est irritus & nullus, si non fuerit vocatus, & citatus, & hanc sententiam comprobatur etiam Anchar. conf. 269. incip. ad declarationem, in fine, dicens, quod detentor, etiam iniustus, beneficij, non debet expelli ab ipsius possessione absque citatione, cui consonat Hieronymus Gigas in epitome de intruso, num. 103. vers. Nunc quero, &c.

9 Et tandem ad intentum plura possent cumulari, quæ latè congerit Felinus in cap. in nostro, corollar. 36. à num. 34. vers. quinto nota quod possidens, &c. de rescriptis, & in cap. cum olim, num. 9. cum sequent. de sentent. & re iudicata, & communiter DD. in dict. cap. licet Episcopus, de præbendis in 6. & in d. l. nec Imperiale, C. si per vim, vel alio modo, &c. apud quos videre poteris.

10 Ratio autem, quare intrusus non vocatus possit beneficio priuari, non verò à possessione eiici, si non fuerit citatus, defumi potest ex his quæ docuit Cardinal. conf. 132. incip. Titius Archipresbyter, num. 7. vbi resoluit, quod ideo in collatione beneficij de iure vacantis non requiritur possessoris vocatio, quia collator utitur iure suo: maxime cum ex collatione, possessori non generetur nec sequatur præiudicium. Enim

verò cum illa fiat extrajudicialiter, ex illo actu, nullum detrimentum potest possessori resultare: nam si aliquod ius habet in beneficio, non fit deterius ex tali collatione, sed semper remanet præseruatum; & exinde oritur, collationem fieri posse Tertio, quin opus sit vocare possessorem.

At verò si aliquod præiudicium possit generari contra possessorem, tam de iure quam de facto, veluti si facienda esset aliqua declaratio, quod possessor debebat priuari beneficio ex aliquo delicto; vel alia consimili causa, & possessio ab ipso detenta alteri tradenda (ut in nostro casu) tunc si possessor eiiciendus esset, ipse præcisè pro suo iure deberet citari, & audiri: ut expressè patet ex dict. cap. licet Episcopus, de præbendis in 6. & ibidem Glossa verbo, te non vocato, &c. & plures allegans docet Tiraquel. in l. si unquam, verbo, reuertantur, num. 335. & 337. C. de reuocandis donationibus, quibus iunge Gonzalez ad regul. 8. glos. 15. §. 1. num. 39. & sequent. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 8. q. 3. circa finem, quem cum aliis refert & sequitur Thomas Sanchez in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 26. n. 12. & diximus supra, quæst. 79. num. 5. & n. 12. cum seqq.

Et ratio est, quia fortasse tali possessori posset ex aliquo speciali titulo competere ius retinendi, putà ex dispensatione, vel alio, quod ipsum redderet legitimum detentorem, quamuis aliàs de iure communi videretur esse iniustum possessorem, ut in cap. de multa, cum similibus, de præbendis, nam eo non obstante, decidit text. in d. cap. licet Episcopus, in fine, possessorem non fore priuandum, quin prius vocetur, ex ratione proximè tradita.

Et ex hoc colligit Anchar. in d. cap. licet Episcopus, notabili 4. quod quantumcumque possessio sit nulla, iniusta, seu intrusua, nullatenus debet auferri tali iniusto, & intruso possessori eo non vocato, quia forsitan ei competere potest aliquis titulus, propter quem non sit fas ipsum amouere, provt in specie tradunt Paris. in tract. de resignat. benef. tom. 2. lib. 11. q. 10. n. 6. Caputaquen. par. 1. decis. 114. incip. citatio requiritur, &c. num. 2. Et de intellectu d. cap. licet Episcopus, cum cap. ad decimas, de restit. spoliat. copiosè agit Barb. in collect. ad d. cap. ad decimas, à num. 9. vbi n. 12. & sequent. latè disputat: an spoliatum, contra eum, què notoriè constabat, defensionem aliquam non competere; debeat Iudex restituere sine citatione? Et resoluit posse id efficere propter notorietatem: quam sententiam exornat variis rationibus, & fundamentis,

apud quem videre poteris, & de hoc articulo agemus infra.

- 16 Et ad corroboracionem eorum quæ superius diximus, faciunt tradita per Paris. in tract. de resignat. benef. tom. 2. lib. 11. q. 10. vbi n. 9. & sequenti. resoluit, quod in literis prouisionis beneficij ob non factam publicationem debet apponi clausula, Vocato possessore, quia non debet quis inauditus eiici à possessione, quamuis ipso iure sit beneficij priuatus: Enim verò licet quis ipso iure amittat dominium, non tamen possessionem (vt diximus) & consequenter vt ab ea remoueri, & priuari possit, necessaria erit citatio, quæ est iuris naturalis: nam, vt cum Geminiano, Baldo, & Speculatore ait Paris. vbi supra, n. 11. licet non requiratur citatio ad amissionem dominij, cum ipso iure, eo priuetur; at possessione priuatus non existit, cum semper remaneat penes ipsum possessio: nam de iure non est ablata, quia consistit in facto, & consequenter citatio erit necessaria: quod probat Paris. ex eo; nam non dicit repugnantiam, quod de iure quis priuetur dominio, non verò possessione, vt videmus in Ecclesia, ad quæ ex cōtractu dominium transit, sed non possessio: & ita docuit Tiraquel. in l. si vnquam, verbo, reuertantur, n. 388.

Præterea, Dominium dotis soluto matrimonio reuertitur ad eum, ad quæ de iure pertinet, sed non possessio: l. dotis, vbi Baldus & communiter DD. C. soluto matrimonio.

- 19 Insuper idem videmus in Legatario, in quem ipso iure transit dominium legati ex sola testatoris voluntate, veluti si Testator dixerit, lego Titio domum, vel aliam rem, quam ei vindico, sed ex hoc non transit possessio, vt deciditur in l. si tibi homo, §. cum seruus, ff. de legatis. 1. & in l. cum Pater §. surdo, & l. legatum ita, ff. de legatis. 2. cum alijs, ergo compatibile est, vt dominium reperiatur amissum, non vero possessio: & exinde dicendum est, necessariam esse citationem ad eam auferendam; provt latè prosequitur Paris. in d. lib. 11. q. 10. à n. 10. cum pluribus sequen.

- 20 Et conducunt ad propositum quæ congerit Farinacius to. 1. in tract. de furtis, q. 175. n. 218. & seq. vbi latè disputat, an Creditor, qui habet auctoritatem ingrediendi possessionem rei pignoratæ propria auctoritate, possit adito Iudice illam ingredi sine partis citatione? Et cū Glossa, Bartolo, & alijs resoluit, quod etiam si fuerit obtenta licentia à Iudice, nihil operatur, si pars non fuerit citata; sed immò quod nec Iudex debet, nec potest illam præstare, quin

prius pars citetur; quia forsàn ius potest competere possessori: ergo quamuis Intusus amittat ipso iure dominium, seu titulum beneficij; non tamen amittet illius possessionem, & consequenter ad eum effectum necessaria erit citatio.

Sed contra proximè dicta opponi potest, quod docent Hostiensis & Innocentius in cap. accepta, de restit. spoliatorum, quos sequitur Romanus conf. 449. incipit, in præmissa consultatione. n. 4. vers. quia ergo volentium & c. videlicet quod quotiescunque quis ipso iure priuatur beneficio, potest & debet Ordinarius eum in possessionem immittere, ad quem de facto pertinet, sine vocatione, seu citatione illius, qui de iure priuatus extitit: Exea ratione, quia tunc exequitur officium suum; argumento sumpto ex his quæ deciduntur in cap. ex frequentibus, de Institutionibus, cum similibus: ex quibus colligunt cōmuniter DD. quod Episcopi de iure communi habent fundatam intentionem in collatione beneficij, vt por Gonzalez ad regul. 8. §. 1. proemij, n. 21. Valerium Reginaldum in praxi fori penitentialis, lib. 30. tract. 3. n. 239. & alios plures, & consequenter exequuntur officium suum, & exinde non est opus vocare possessorem.

Sed reuera hæc doctrina nullatenus admitti debet, cum expressè conuincatur ex decis. text. in d. cap. licet Episcopus, & ex his quæ diximus supra; provt etiam suadetur ex doctrina Baldi in l. si maritus, la primera, C. de donat. inter virum & uxorem, vbi resoluit, quod etsi Clericus ipso iure sit beneficio priuatus, amoueri non debet à sua possessione, nisi prius citetur, & causa cognita: & faciunt ad hunc articulum, quæ latè tradit Menochius de adipiscenda possessione, remed. 5. à n. 147. cum pluribus sequen. & de recuperanda, remed. 8. num. 97. & 98. quem cum alijs allegat Farin. in d. q. 175. n. 218. Card. in cap. 2. colum. 1. de simonia, & conf. 54. vbi concludit, quod etiam priuatus ipso iure, prius est citandus, antequam possessio auferatur: & idem docuerunt Felinus in cap. finali, n. 24. vers. fallit secundo, de presumptionibus, & Gigas in Epitome de Intruso, n. 58. vers. & ex prædictis, & n. 59. & 103. ex quibus prædicta conclusio admittenda est.

Quæ quidem restringenda venit in duobus casibus: Primus est, quando aliquis fuit priuatus beneficio per sententiam Iudicis, in qua cōtinetur non solum priuatio tituli, sed etiam possessionis ex causa intrusionis; tunc enim vt possessio auferri possit, citatio non erit necessaria, sic Ioan. Andr.

Andr. in cap. Ordinarij, de offic. Ordinarij in 6. quem refert & sequitur Dominicus ibidem, in §. quod si forte, n. 7. vers. quæro an in Collatione. Idemque voluerunt Abbas in cap. accepta, de restit. spoliatorum, quem textum ad hoc dicit optimum Card. conf. 32. incip. Titius Archipresbyter, columna vltima, vers. ad secundum responde, Hojeda de incompatibilitate beneficij, p. 1. cap. 4. sub num. 10. ad finem.

- 27 Et ratio est, quia cum per sententiam Iudicis priuatoriam fiat res notoria, vt latè cum pluribus dixi in meo pastorali Regular. p. 3. voto 8. n. 26. & 27. exinde sequitur, quod tanquam notorium, non indiget citatione; vt tradunt Ioan. Marienzo, in librum. 5. recollectionis legum Hispania, lib. 5. tit. 10. ad legem 3. gloss. 10. n. 5. optimè Rebuffus in tract. nominat. q. 17. n. 3. vers. sed contrarium, & copiosè Farinacius tom. 1. tit. de delictis & pœnis, q. 21. à n. 79. & præcipuè ad nostrum intentum n. 90. & ita hæc erit prima limitatio ad d. cap. licet Episcopus.

- 28 Et ex hac doctrina deducitur secundus casus, videlicet quando notoriè de intrusione constat, taliter quod intruso possessori nulla competeret defensio, quia tunc citandus non erit: vt voluerunt Innocentius, & Cardinalis in cap. quod in dubijs, in 3. colum. de renunciatione, quos Felinus in cap. 2. n. 2. de simonia, & Gigas in d. Epitome de Intruso, n. 59. ad finem, & dicemus infra, in sequenti casu principali, & plures referens docet Farinac. in d. q. 21. n. 70. argumento sumpto de appellatione, quæ in notorijs non admittitur, vt decisum reperitur in cap. peruenit, & in cap. consuluit, el primo, de appellat. cum alijs adductis per Salgadum de Regia protectione, p. 3. cap. 14. n. 54. qui plures allegat, quibus iunge Scacciam in tract. de appellat. q. 17. limit. 4. ferè per totum; frustra enim citatur is, qui postquam fuerit citatus, nihil releuans habet, quod opponere valeat; vt docent Menoch. de arbitrar. Iudicium, lib. 1. q. 17. n. 15. Farin. plures referens in d. q. 21. n. 70. & tom. 3. in praxi criminali q. 101. num. 24. & ita in his duobus casibus supradicta conclusio limitanda venit.

- 31 Quæ quidem amplianda & extendenda est, non solum in Episcopo (provt loquitur dictum cap. licet Episcopus) verum etiam in alio quocunque Prælate inferiori, habente facultatem instituendi, & destituendi; quia ipse non potest amouere intrusum à possessione, eo non vocato, cum in utroque eadem vigeat ratio, & appellatione Ordinarij non solum veniat Episcopus, sed etiam inferior Prælati ab illo, qui iurisdic-

ctione ordinaria vtatur, vt in cap. Ordinarij, verbo, locorum, de offic. Ordinarij in 6. Tambur. de iure Abbatum tom. 1. disp. 1. q. 4. n. 1. & plures referens Barb. de appellat. verborum iuris significatione, appellatione 177. in verbo, Ordinarius, n. 1. & 2. & consequenter dispositio dicti cap. licet Episcopus, æqualiter debet intelligi in illis.

Secundò ampliatur nedum in quolibet Ordinario, verum etiam in quocunque Exequutore Apostolico, qui quidem nullatenus poterit sine vocatione, & citatione intrusum amouere à sua possessione; vt in terminis consuluit Ferrerius conf. 4. n. 4. & conf. 10. n. 10. quem refert & sequitur Flamin. Paris. in d. lib. 11. q. 10. n. 21. vers. secunda erit: & Menoch. de recuperanda possessione, remed. 8. n. 51.

Tertiò ampliatur, vt talis intrusus non vocatus eiectus à possessione possit agere spolio contra eiectorem, vt cum Afflicto decis. Neapolitana 361. n. 35. vers. nec obstat quarta ratio; & Iafone conf. 38. prope finem, lib. 3. & Baldo conf. 135. incip. In causa egregij & c. circa finem, lib. 2. latè docuit Menoch. in d. remed. 8. n. 50. & sequen. vsque ad 73. qui varijs rationibus & auctoritatibus comprobatur hanc ampliacionem.

Quæ quidem, & aliæ superius adductæ, adeo sunt veræ, vt dixerit Calderin. in cap. si quando, in 4. q. post medium, de officio Delegati, quod talis intrusus possit violenter resistere ei, qui ab ipso intentat auferre possessionem, si id faciat eo non vocato: quod affirmat, & probat ex auctoritate textus in d. cap. licet Episcopus, ex quo aperte colligitur, non fore priuandum intrusum, si prius non vocetur.

Et licet hæc ita se habeant, declaranda tamen veniunt in aliquibus casibus, in quibus non erit opus vocare, aut citare intrusum. Et primus erit, quando iam fuisse vocatus per Ordinarium, vel Exequutorem in collatione beneficij alteri per ipsos facta; tunc enim in traditione possessionis non erit necesse intrusum vocare, quia cum hæc resultet ex illa, in qua iam fuit vocatus, cessat ratio, quæ mouet ad vocationem faciendam; nam non aufertur possessio eo inaudito, vel saltem certiorato, ad allegandum de suo iure in ipso actu collationis, antequam auferatur: iuxta verum intellectum d. cap. licet Episcopus, de præbendis in 6. quod loquitur in facto prius non examinato, scilicet quando talis intrusus possessor: non fuit citatus in collatione beneficij alteri faciendæ; vt patet ex ipsius contextura: & ita docent Dominicus post Archidiaconum in cap. Ordinarij, §. quod si forte, n. 7. de

offic. Ordinarij in 6. Hoieda in d. cap. 4. sub n. 9. in fine.

36 Secundus casus erit, si contra intrusum fuisset lata sententia priuationis beneficij, & hæc transferit in rem iudicatam, tunc enim sine citatione amoueri potest à possessione, prout resoluunt Innocentius, & Hostiensis in d. cap. accepta, de restit. spoliator, quos refert & sequitur Roman. in d. conf. 499. n. 4. vers. quia ergo: & Ioan. Andr. & Dominicus in d. cap. Ordinarij, §. quod si forte, n. 7. vers. sed dicit Ioannes Andreas, & c. idemque probat Hoieda ubi proximè.

37 Quamuis immerito contrarium tueatur Gigas in d. Epitome n. 107. & n. 111. cum sequen. nam res iudicata operatur talem effectum, argumento textus in l. cum prolatiis 3 2. in fine, ff. de re iudicata, cum similibus: & videmus, quod sententia nulla, quæ per secundam transiuit in rem iudicatam, non potest amplius de nullitate impugnari, si à parte non sit oppositum, vt pluries declarauit Rota penes Peñam in meis recollectis tom. 1. decis. 290. n. 2. ubi mea Annotatio alias decisiones allegat, & circa hunc articulum copiosè videndus est Beltraminus in additionibus ad decisionem 175. Gregorij XV. n. 14. & sequen. ergo si sententia priuatiua beneficij ob intrusionem fuit lata contra intrusum, quæ quidem transiuit in rem iudicatam, operari debet, ne sit necessarium citare illum, vt à possessione amouatur, cum transitum fecerit in rem iudicatam, & ignorare non poterit, saltem de duabus, vel tribus conformibus sententijs, quæ efficiant rem iudicatam, in quibus iam præcessit citatio, quæ in illis influere debet, & consequenter non bene Gigas contrarium sentit.

38 Tum & tertio non erit etiam opus citatione, si palam, & notoriè constet de intrusione, quia tunc de facto talis notorius Intrusus spoliari potest, ex ea ratione, quia cum ipse de facto se intruserit, meritò de facto spoliari valet, vt patet ex tex. in cap. quia Clerici 6. de iure patronatus, & ita docuit Abbas ibidem, in ultimo notabili, quem sequuntur Gigas in d. Epitome de intruso, n. 11. vers. vnum nota dignum: & num. 59. Hippolytus singul. 195. incip. Nemo priuandus, & c. optimè Rebuffus in l. quod insit, notabili primo, n. 61. & 62. ff. de re iudicata, quos refert & sequitur Petrus Barb. in commentarijs ad textum in l. si de vi 37. n. 140. & 141. ff. de iudicijs.

39 Quod quidem in rebus spiritualibus procedere accuratè defendit ipse Petrus Barb. plures referens, ubi proximè, n. 133. cum sequentib. quidquid sit in prophanis:

idemque admittit Felinus in cap. cum olim, n. 11. vers. hæc & his similia de re iudicata, & in cap. qualiter, el primero, n. 15. post medium, 40. de accusationibus, ubi resoluit, quod ea quæ de facto fiunt per partes extra iudicium, possunt & etiam extra illud de facto per iudicem reuocari, & hoc ipse Felinus commendat semper esse mente tenendum: quod etiam probat Farin. tom. 1. tit. 3. de delictis, & penis, q. 21. num. 66. in fine: & vt euitetur contrarietas plurium Doctorum 41 per eum allegatorum, n. 67. statim n. 70. resoluit, intelligendum fore in notorio, certo, & inexcusabili, veluti si esset certum & manifestum ex actis, vel ex confessione, taliter quod non haberet excusationem: de quo latè agit Petrus Barb. in d. l. si de vi 37. ff. de iudicijs, n. 143. & sequen. & Romanus conf. 483. incip. Dubitatur Primo, & c. n. 17. & Ferretus multis in locis conf. 12. incip. Nota, controuersia & c. n. 11. & conf. 16. incip. Reuerendus, n. 9. & conf. 18. post n. 9. & conf. 82. in princip. Hoieda in allegato cap. 4. n. 9.

Et ratio est, quia (vt diximus supra, n. 30.) 42 frustra ille citari debet, qui si citatus fuerit nihil habet releuans, quod opponere possit: & vt optimè aduertit Bald. in l. executorum, colum. 19. vers. nec obstat quod defensionis facultas, & c. C. de execut. rei iudicatae, citatio principaliter non est de iure naturali propter se, sed propter defensionem: argumento textus in l. desertorem, §. si ad diem, ff. de re militari, & exinde sequitur, quod cum in notorio nulla possit dari defensio, consequenter frustra citatio erit facienda.

Et in corroborationem prædictorum, 43 conducunt tradita per Farinacium in d. q. 21. num. 70. Petrus Barb. in d. l. si de vi, n. 143. cum sequen. Salgadum de Regia prociat. p. 3. cap. 14. n. 54. & 55. & Menoch. de arbitrarijs iudicijs, lib. 1. q. 17. n. 15. ergo cum notorius Intrusus careat defensione, propter quam de iure naturali citatio requiritur, frustra citaretur, cum nihil habeat releuans, quod possit opponere contra notorietatem, quæ facit probationem probatam, & exinde in tali casu notoriæ intrusionis citatio, vel vocatio euitari potest, cum præcisè non sit necessaria, vt latè tradit Felinus in cap. cum olim, de re iudicata, & ad intentum ponderanda veniunt, quæ copiosè congerunt Salgadus, Farin & Petrus Barb. in locis proximè allegatis, & ita quoties notorietas est certa, & inexcusabilis, verissimum est, non requiri citationem contra intrusum, fecus autem si aliquam excusationem, vel exceptionem habere 44 possit, quia tunc citandus erit: argumento sumpto

6

sumpto ex l. quia autem 6. §. non simpliciter, ff. si quis omissa causa testamenti, in quo deciditur, quod licet esset notorium omitentem dolo hæreditatem ex testamento teneri ad legata; eo non obstante decidit textus ibidem, requiri causæ cognitionem, quia aliqua iusta excusatio forsan interuenire poterat, & consequenter non erat notorium inexcusabile.

45 Et ex hac doctrina contrarietas opinionum, quæ circa hunc articulum inter Doctores reperitur, conciliari possit, vide licet quod asserentes etiam in notorijs necessariam esse citationem, intelligi debent de notorio habente aliquam excusationem; alij verò dicentes, necessariam non esse citationem, locum habeant in notorio indubitabili, & sine excusatione, cum quibus hic articulus componi potest: & secundum prædictam distinctionem intelligendus venit textus in d. cap. licet Episcopus, & alia iura similia, prout scribit Hippolytus in d. singulari 195. incipiente, Nemo priuandus & c. post medium, Alexan. in addit. ad Bartolum in l. qui habet, §. penult. ff. de tutelis.

46 Quæ quidem omnia amplianda veniunt, vt locum sibi vendicent, non tantum in Iudice ordinario, verum etiam in Delegato: iste namque poterit hunc notorium intrusum inexcusabilem sine aliqua citatione, vel vocatione à possessione beneficij remouere: quia cum Delegatus in causa à supremo Principe ei delegata, sit maior quocunque Ordinario, cap. sane, el segundo, de officio delegati, cap. studuisti, de officio legati, cap. Pastoralis, de officio Ordinarij, & docent Gratianus tom. 1. discept. forens. cap. 3. n. 65. & Fragofo de regim. Christ. Reipublica p. 1. lib. 4. disp. 10. n. 37. & alij plures per me relati in meo Pastoralis Regular. p. 5. claus. 10. num. 7. & 9. & p. 2. quest. 26. numer. 16. Exinde à fortiori sequitur, quod multo melius poterit id efficere Delegatus, sicut & Ordinarius: & ita concludit Romanus in dict. consil. 483. incip. Dubitatur primo, num. 17. ad finem; Et cum his finem imponimus huic quæstioni.

* * *

QVÆSTIO LXXXVIII.

An exequutoriales literæ, obtentæ lite pendente contra colligantem, eo mortuo possint exequi contra Tertium, qui in loco demortui se intrusit; non vocato, vel citato hoc Tertio intruso.

S V M M A R I V M.

Intrusus potest priuari possessione virtute exequutorialium, obtentorum lite pendente, contra colligantem, nisi praua citatione, & causa cognita. n. 1.
Sed contra num. 5. & seqq.
Intellige vt num. 13.
Citatio est necessaria, & causa cognitio, vt intrusus amoneatur à possessione. n. 2.
Citatio debet precedere, vt intrusus amoneatur à possessione, etiam si exequutio committatur cum clausula, contra quoscunque intrusos, vel intrudendos. n. 2.
Possessor non vocatus, aut citatus non est amonendus à possessione, etiam si id fiat ex decreto Iudicis. n. 3.
Citatio est necessaria, quoties agitur de alicuius præiudicio. n. 4.
Exequutoriales comprehendunt intrusum lite pendente, taliter quod exequutor potest procedere ad executionem contra eum, etiam non citatum, tradendo possessionem victori. num. 5.
Exequutor potest exequi mandatum contra intrusum non citatum, taliter quod ex eo agere spolio non possit. n. 6.
Quod intellige vt n. 7. & sequen.
Exequutor quando teneatur citare possessorem intrusum, antequam à possessione ipsum amoneat. n. 7. & sequen.
Citatio quando precedere debeat, antequam exequutor amoneat possessorem intrusum à possessione. n. 7. & 8. cum sequent.
Possessio obtenta ab intruso ex causa necessaria operatur, vt non possit per Exequutorem ab ea amoueri nisi praua citatione, & causæ cognitione, quidquid sit in adeptione ex causa voluntaria. n. 9.
Sententia lata contra possessorem lite pendente, alienantem rem litigiosam, exequitur contra illum ipso non citato. n. 10.
Exequutio sententiæ non debet fieri sine citatione, & nouo processu contra possessorem, habentem rem alienatam ex causa dotis. n. 11.

Intrusus notorius amoueri potest à possessione sine citatione & cause cognitione, secus verò qui non est notorius, sed toleratus. n. 13.

IN hac quæstione videtur dicendum, quod virtute exequutorialium, obtentorum lite pendente contra colligantem, non potest intrusus possessione priuari, nisi præuia citatione, & causa cognita, per ea quæ latè diximus *suprà*, in quæst. antecedenti, & per textum in *cap. licet Episcopus, de præbendis* in 6. & *ibidem* Dominicus *notabili penultimo*, vbi id aduertit contra aliquos Exequutores, qui malè procedunt, ex quo nolunt audire talem intrusum, etiam si se offerat paratum docere incontinenti de suo iure; quo non obstante, procedunt illo irrequisito, & non vocato ad tradendam possessionem; contra dispositionem expressam *dicti cap. licet Episcopus*, ex quo clare colligitur, necessariam esse citationem, vt cognoscatur, an habeat ius retinendis; quia vt diximus *suprà* in q. antecedenti, n. 3. licet exequutio committatur cum clausula, *contra quoscunque intrusos, & intrudendos*, ex eo tamen non censetur sublata citatio: vt docuit *Ruinus cons. 128. incip. Quantum ad iudicium, n. 1. & 2. vol. 5.* & patet ex textu in *l. nec Imperiale, C. si per vim, vel alio modo &c. & in l. & si non cognitio, C. si contra ius &c.* & ita resoluit *Glossa marginalis in l. meminere* in 6. *verbo, Exequutor merus, lit. B. Codice vnde vi*, de quo latè agit *Bartol. in d. l. nec Imperiale*, vbi constituit differentiam inter illum textum, & *dicta leg. meminere*, quia hæc loquitur, quando possessor non vocatus, aut citatus, ex decreto Iudicis iniuste, aut indebitè in sua possessione turbatur; quia tunc ei in possessorio *Retinenda*, nullum præiudicium infert, nam firmum, & efficax manet; ex nota iuris regula, quod possessor præcisè citandus est, vt pluries declarauit *Rota*, vt per *Gregorium XV. decis. 46. num. 7. Mantica decis. 309. num. 4. Peña in meis recollectis, tom. 1. decis. 384. num. 2.* vbi mea *Annotatio* alias allegat.

Et quamuis *dicta lex, nec imperiale*, in specie non loquatur de Intruso, eius tamen decisio æqualiter intelligi debet; cum regula sit, quod quoties agitur de aliquius præiudicio, necessaria est citatio; vt in *d. cap. licet Episcopus*, & plures referens tradit *Card. Seraphinus decis. 972. num. 10. Peña in meis recollectis, tom. 1. decis. 368. num. 1. & sequent.* vbi mea *Additio* alias allegat; & negari non potest, agi de præiudicio intrusi quoad possessionem, ex quibus ita in specie consuluit *Ruynus in d. cons. 128.*

Contrarium tamen, videlicet quod exequutoriales comprehendunt intrusum lite pendente, & quod etiam contra eum non citatum possit procedi ad exequutionem, tenuit *Rota decis. 17. alias 428. incip. Nota nunquid si mortuo Reo, ad finem, de restitut. spoliat. in antiquis*, ex qua colligitur, quod exequutor in tradenda possessione victori, non teneretur vocare possessorem, qui ab Ordinario obtinuit beneficium lite pendente mortuo colligante: quam *decis. refert*, & sequitur *Felinus in cap. cum olim, num. 11. vers. confirmatur predicta, &c. de re iudicata*, vbi latè ex aliis id comprobatur: quod etiam tenuerunt *Rota*, teste *Ægidio decis. 709. cum duobus sequent.* *Crescentius decis. 16. alias 142. incipient. Exequutoriales, &c. sub tit. de sententia & re iudicata, Caputaquen. decis. 329. alias 4. incipient. Exequutio procedi debet contra intrusum, part. 1.*

Et hanc conclusionem quod contra intrusum lite pendente, etiam non citatum exequi possit mandatum, taliter quod ex hoc, agere spolio non valeat; latè docet *Lancellotus*, qui prædictos allegat, in *tract. de attent. p. 1. cap. 3. num. 82. in additionat. & in antiquis, num. 77. vers. quarto amplia sub tit. de attent. Tertio*, vbi refert ita fuisse declaratum in *Rota in vna Senen. S. Martini 9. Martij 1554. & ibidem n. 83. tripliciter* declarat, & intelligit.

Primò, dummodo talis intrusus ab eo causam habuerit, contra quem lis fuit mota, vt ex *Bartolo in l. credutores, ff. de pignoriibus, & Ant. de Butrio in cap. quia G. n. 13. de iudiciis*, tradit *Hieronymus Gabriel cons. 52. incipient. Puto &c. n. 8. vers. quarto quia &c. & ibidem latè* prosequitur *n. 9. & 10. vers. quinto quia &c. lib. 1. & copiosè faciunt tradita per eundem Lancellot. in d. cap. 3. d. n. 16. cum sequen.*

Secundo intelligenda sunt prædicta, nisi is qui prætenditur intrusus, possessionem fuisset adeptus in vim resignationis antelitem, in ipsius fauorem factæ, cum clausula, *Gratiòse subrogationis*; quia in tali casu mandatum exequi non debet, sed imò citatio præcisè erit necessaria, antequam procedatur: & ita fuisse in *Rota* *decisum in vna Gebennen. spoliij 17. Februarij 1553. coram A. Augustino*, testatur *Lancellot. vbi proximè. n. 84. infine.*

Tertiò & vltimò, nisi talis prætensus intrusus possessionem habuerit ex causa necessaria, & non voluntaria; veluti si in solum ei datum fuisset: tunc enim si non citaretur ab Exequutore, antequam commissionem exequatur, sed procederet sine citatione,

tatione, tanquam spoliatus restitui deberet, ex mente *Rotæ in vna Senogallien. prætensi spoliij 19. Nouemb. 1557. coram eodem A. Augustino*, teste *Lancelloto in d. cap. 3. n. 86.* itaque si ex causa necessaria possessio fuerit habita à prætense intruso, præcedere debet citatio, antequam Exequutor mandatum exequatur, quidquid sit quando possessio fuit capta ex causa voluntaria, vt optimè comprobatur *Matthæus Afflictus decis. 396. n. 9.* qui dixit, quod sententia lata contra reum possessorem, lite pendente alienantem rem litigiosam, exequitur contra ipsum eo non citato, quia tunc non consideratur adepta talis possessio ex causa necessaria.

Quod idem accuratè disputat *Anton. Capycius decis. Neapolit. 128. vbi n. 67. cum sequent.* resoluit, quod exequutio sententiæ fieri non debet sine citatione, & nouo processu cõtra possessorem, habentem rem alienatam ex causa dotis, & facta fuit ex causa necessaria; de quo vide latè *Lancellotum vbi proximè.*

Ex quibus concludendum est, quod sine citatione procedi potest contra intrusum lite pendente ad exequutionem mandati, virtute exequutorialium, ex fundamentis adductis pro secunda sententia, exceptis casibus supra annotatis.

Nec obstant quæ pro prima ponderantur, quibus facile respondetur, quod *d. cap. licet Episcopus*, & alia superius ponderata, intelligenda veniunt non in notorio intruso, sed quando ius possidentis in dubium vertitur, an sit nec ne intrusum, vt latè probauimus *suprà* in quæst. antecedenti, & in hunc sensum concilianda veniunt, quæ superius diximus, nam *d. cap. licet Episcopus*, & *consilium 128. Ruyni*, aliaque ponderata locum sibi vendicant in intruso, de quo dubitari potest, an sua possessio sit intrusua, & tunc præcedere debet citatio, at verò si notoriè constat de non suo iure omitti potest, & exequutoriales capiunt illum Tertium, qui notorie in locum demortui se intrusit.

QVÆSTIO LXXXIX.

An subditis liceat propria auctoritate expellere intrusum à possessione.

S V M M A R I V M.

Intrusus expelli potest à possessione per subditos propria auctoritate. n. 1.

Sed contra. num. 3. Intellige vt num. 10.

Intrusus dicitur Tyrannus. n. 2.

Tyrannus in Regno, vel Prouincia usurpans sibi nomen Regis, vel Principis, potest à subditis expelli propria auctoritate, & à possessione amoueri. num. 2.

Sed contrarium est verius & tenendum, numer. 3. & seq.

Intrusus superior etiam notorius, non potest à subditis propria auctoritate eici à Prælatu- ra, aut possessione priuari, quamuis aliàs ei obedire non teneantur. n. 3.

Intrusus à Superiore declarandus est pro tali, vt à possessione amoueri possit. n. 3.

Intellige de occulto, non verò de notorio. n. 10.

Nemo sibi ipsius dicere debet, vel assumere propria auctoritate. n. 3.

Priuata persona non potest sibi ius dicere, sed necessaria est superioris auctoritas. n. 4.


Creditor coram Iudice petere debet, quod sibi debetur, nec potest se intromittere in re debitoris propria auctoritate, & si id effecerit, incurret in varias pœnas. n. 5.

Tyrannus Rex (etiam pro tali declaratus & depositus) occidi, & per vim expelli non potest per priuatum, sed per Superiorem, nisi in sententia illud attribuatur. n. 7. & 8.

Nemo potest vt priuata auctoritate in his qua ad regimen commune spectant. n. 9.

Vim vi repellere licet si fiat ad iniuriam propulsandam, non verò ad vindictam sumendam. n. 10.

Intrusus notorius, & non toleratus, expelli potest à possessione per quemcunque priuatum, non verò si ille sit occultus, vel toleratus. numer. 10.



IN hac quæstione videtur dicendum, licitum esse subditis, expellere intrusum à possessione propria auctoritate, quia cum intrusus in officio, vel beneficio, Tyrannus dicatur, vt latè probauimus *suprà* q. 26. ex eo quia valet argumentum de Tyranno ad intrusum, & è contra, inde sequitur quod si aliquis se in Regè, aut Principè, iniuste & violenter erigere contendat, & sine aliquo titulo usurpet nomen, vel potestatem Regis vel Principis, possunt subditi ipsum expellere à possessione, per ea quæ notant *Bartol. in tract. de Tyranno, Bald. in l. decernimus, in princip. Cod. de sacros. Eccles. latè Anton. Corf. de potest. Regis p. 1. q. 3. principali*, immò, iuxta plurium opinionem, & occidi; de quo latè agit *P. Franc. Suarez in lib. de defensione fidei contra Regem Angliæ, lib. 6. cap. 4. à n. 3. cum sequentibus*, ergo licebit subdito propria auctoritate

toritate expellere intrusum à possessione.

3 Contrarium tamen est verius, & tenendum, videlicet nullatenus esse licitum subdito, eicere à possessione Superiorem intrusum, etiam notorium, tametsi ei obedire non teneatur, sed immo resistere ipsius mandatis, iuxta ea quæ diximus *suprà*, q. 48. Et ratio est, quia quilibet intrusus per suum Superiorem tantum priuari debet, vel priuatus declarari, & illius auctoritate de sua possessione expelli, cum nemo debeat sibi ipsi ius dicere, & assumere propria auctoritate: *l. vnica, Cod. ne quis in sua causa ius sibi dicat, l. nullus, Cod. de Iudais*, ex quo textu colligunt communiter Doctores, quod priuatus nequaquam potest sibi ius dicere: Et patet ex *l. 1. 4. Castella, tit. 14. partita 5. & ibidem* Glof. 3.

4 Quod etiam suadet ex textu notabili in *l. creditores 7. & in l. si creditor 8. ff. ad legem Iuliam de vi priuata*, ex quibus probatur, quod creditor petere tenetur, quod sibi debetur, coram Iudice, non autem intrare propria auctoritate in rem debitoris, alias si id effecerit, decernitur *ibidem*, perdere ius crediti, fierique infamem, multarique in tertia parte bonorum: ergo ex his iuribus rectè colligitur, idem fore dicendum quoad subditum, vt non liceat ei propria auctoritate intrusum expellere.

6 Nec obstat quod diximus *suprà*, n. 2. de Rege Tyranno ex doctrina Corferi: quia illud damnatum reperitur in Concilio Constantiensis *sess. 15. teste Suarez contra Regem Angliæ, lib. 6. cap. 4. n. 3. Brixien. in verbo, Tyrannus*, quem refert & sequitur Felinus in *cap. cum vobis, 14. aliàs cum nobis, n. 7. de præscript.* vbi notabis *ibidem* Additionem Brunonis à Sole, qui optimè auctoritatem S. Thomæ, à Felino allegatam, *lib. 2. sentent. distinct. vltima, q. 2. articulo 2. ad vltimum*, qui contrarium innuere videbatur, declarat.

7 Sed ipse Angelicus Doctor *lib. 1. de regim. Principis, cap. 5.* concludit, quod non licet occidere Tyrannum, nisi per publicam potestatem, de quo latè videndus est Suarez *vbi proximè, in d. cap. 4. n. 17. vers. hoc ita supposito*, qui ita ait: Dicendum est in puncto vltimo proposito, post sententiam condemnatoriam Regis de Regni priuatione latam per legitimam Potestatem, vel quod perinde est, post sententiam declaratoriam criminis, habentis talem pœnam ipso iure impositam, posse quidem eum qui sententiam tulit, vel cui ipse commiserit, Regem priuare Regno, etiam illum interficiendo, si aliter non potuerit,

vel si iusta sententia ad hanc etiam pœnam extendatur.

8 Non tamen statim posse Regem depositum à qualibet persona priuata interfici, immo neque per vim repelli, donec ei præcipiatur, vel generalis hæc commissio in ipsa sententia & iure declaretur. Hæc Suarez: qui optimè prosequitur hunc articulum, apud quem videre poteris.

9 Et ratio est, quia nemo vti potest priuata auctoritate, in his quæ ad regimen commune pertinent, provt copiosè disputant Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 3. cap. 12. q. 17. & cap. 26. qu. 7. & tom. 3. lib. 2. cap. 2. q. 1. & cap. 7. q. 30. Pater Molina de iust. & iure, tom. 4. tract. 3. disp. 6. Card. Tolerus in Summa lib. 5. cap. 6. Suarez vbi supra, in d. cap. 4. num. 2. & latè prosequitur Alfonso de Castro lib. 13. aduersus hæreses, in verbo, subditus, & in verbo, Tyrannus; Episcopus Zamorensis de origine principatus, charta 26. & sequent. & communiter Doctores tam Theologi quàm Canonistæ in hoc conueniunt. Cum igitur eiectione à possessione, sub prætextu intrusions, si propria auctoritate cuiuslibet liceret, daretur ansa ad multa iurgia fuscitanda, ex quibus grauias scandala orirentur; sequitur exinde vt fateri debeamus, ad ea vitanda, pertinere tantùm ad Superiorem, non verò ad quemlibet subditum priuatum, provt de Rege & Principe Tyranno resoluunt communiter Doctores: & ita doctrina Corferi admitti non debet; vt patet ex *suprà* adductis.*

10 Et licet hæc ita se habeant, in proposita quæst. distinguendum puto, aut enim talis intrusus ita est notorius, vt nulla tergiversatione celari possit, iuxta ea quæ diximus *suprà* quæst. 27. à num. 8. & sequent. & in tali casu licebit subdito, illum propria auctoritate ab exercitio, & possessione expellere, quia tunc potius erit quædam violentiæ repulsio, quàm possessionis ablatio, *cap. significasti. §. si vero, de homicidio, ibi, Quamuis vim vi repellere omnes leges permittant, quia tamen id fieri debeat cum moderamine inculpatæ tutela, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, &c. ad idem textus in cap. si vero. §. si vero Clericum, de sententia excommunicationis, ibi, cum vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant, &c. cap. dilectum, eodem tit. in 6. & consequenter licebit priuato talis expulsio à possessione in eo, qui fuerit notorius & manifestus intrusus; modò cum moderamine iusto, & sine scandalo fieri possit: ex his quæ diximus *suprà* quæst. 27. præcipuè n. 9. & seqq. At verò si intrusus non fuerit notorius, sed bonæ fidei, aut cum aliquo dubio, iuxta*

iuxta ea quæ diximus *suprà*, in d. q. 27. & q. 28. tunc non erit licitum subditis propria auctoritate amouere intrusum à possessione; & secundum hanc distinctionem intelligenda veniunt, quæ in præsentis quæstione adduximus *suprà*.

QVÆSTIO XC.

Si Intrusus contulerit in introitu aliquid Ecclesiæ, an eo remoto, à re, in qua se intrusit, debeat ipsi restitui.

S V M M A R I V M.

1 Simoniacè quæstum restituendum est in foro conscientia à recipiente, etiam ante sententiam, num. 1.

Turpiter receptum, etiam ob turpem causam, non debet remanere apud recipientem, sed ipse restituere tenetur, n. 2.


Intruso restituere debet Ecclesiæ quidquid erogauit ei statim atque remotus fuerit à beneficio, in quo se intrusit, n. 3.

Ecclesiæ est cultrix iustitiæ, & ideo non debet cum alterius iactura locupletari, n. 4.

Nemo cum alterius iactura locupletari debet, num. 4.

Promotus ritè & rectè ad Ecclesiæ, si ab ea remoueat, non potest petere vt ei restituantur quæ contulit eidem Ecclesiæ; secus autem erit in intruso, n. 5. & 6.

Intrusus iudicatur exterus, & remotus à re, in qua se intrusit, n. 6.

1  ANC quæstionem mouet in terminis Glossa in *cap. si quis Episcopus vacans in Ecclesiæ, verbo, irruerit, 92. distinctiōne*, & in Simoniaco P. Franciscus Suarez *tom. 1. de Relig. cap. 60. vbi disputat, an pretium simoniacè comparatum ex iure Ecclesiastico in conscientia sit restituendum, & cui id fieri debeat: apud quem videre poteris: & n. 3. resoluit, pecuniam, vel aliud quodlibet acceptum ex causa simoniaca, in foro conscientia restituendum esse ante sententiam, quam conclusionem admittunt communiter Doctores ex doctrina D. Thomæ distinct. artic. 6. ad quartum*, ex ea ratione generali, quod turpiter recepta à dante ob turpem, vel non turpem causam, non debent manere apud recipientem; & *ibidem* Suarez latè prosequitur hunc articulum, ponderando varias rationes, & argumenta idem concludentia.

3 Quod idem dicendum est in intruso; ipsi namque licet indigno restituendum est quidquid contulerit Ecclesiæ, statim atque fuerit remotus à beneficio, vel officio, in quo se intrusit, licet Ecclesiæ turpiter illud non acquisiuerit; attamen cum Ecclesiæ sit cultrix iustitiæ, non debet cum alterius iactura locupletari: *l. nam hoc natura, ff. de conditione indebiti, l. bona fides, de actionibus empti, cap. generalis, §. 4. distinctiōne, cap. locupletari 48. de regul. iur. in 6.* cum aliis Vgolinus *de offic. & potest. Episcopi, cap. 18. §. 2. num. 4.* & plures referens Barb. in *tract. axiomatum vsufrequentium, axiōmate 139. num. 1.* & in terminis intrusi ita resoluunt Cardin. Turrecremata in *cap. si Episcopus, in fine, 92. distinct.* Hieronym. Gigas in *epitome de intruso, num. 92. vers. quid si intrusus conferat.* & Glossa in *d. cap. si quis Episcopus 8. verbo, irruerit, 92. distinct.* idem concludit, vbi notat, quod si quis 5 rectè promotus fuerit, & aliquid Ecclesiæ contulerit, si postmodum fuerit remotus, restitui non debet ei, licet aliàs contrarium obseruari debeat cum intruso, cui restituendum erit: ex quo notabis casum, in quo malus melioris est conditionis, quàm bonus.

6 Et huius rei ratio desumi potest ex eo, quia quando quis ritè & rectè fuit promotus, tunc quod confertur Ecclesiæ, sit sui ipsius propter iustum titulum, virtute cuius id accepit: at vero quando quis est intrusus, iudicatur exterus, & alienus respectu Ecclesiæ, & consequenter eodem prorsus modo erit quod contulit: vnde cum tunc nihil pereat Ecclesiæ, & Ecclesiasticis vtilitatibus, exinde sequitur, quod tanquam alienum reddere teneatur quod accepit, cum ex iniusto titulo ad eam fuerit peruentum, nec in eo casu fraudata permanet Ecclesiæ, vt diximus *suprà* num. 4. & cum sit cultrix Iustitiæ, æquum non est, vt in se retineat, quod ex infecto & iniusto titulo ad se peruenit, & consequenter nulla læsio ex illa restitutione eidem sequitur, cum exequatur id, ad quod est obnoxia, iuxta textum in *cap. generalis 12. in fine, §. 4. distinct.*
* * *

QVÆST.

QVÆSTIO XCI.

Intrusio quomodo tollatur, & purgationem admittat.

S V M M A R I V M.

- Purgatio intrusionis duobus modis fieri potest, vel per liberam renunciationem, vel per dispensationem obtentam à Superiore. n. 1.
 Intrusionis purgatio fieri debet per ipsum intrusum ex libera, & spontanea renunciatione, taliter quod ipsemet non possit redire. n. 2.
 Exceptio renunciationis ante spoliū facta purgat defectum antecedentem, & ideo admitti debet. n. 3.
 Intrusio attentata purgatur per cessionem, vel renunciationem litis ab intruso spontaneè factam. num. 4.
 Intrusio purgari potest per cessionem factam ab ipso intruso, vel eius procuratore, ad id specialiter deputato. n. 4.
 Resignare qui potest beneficiū, potest & etiam constituere procuratorem cum speciali mandato ad illud resignandum. n. 5.
 Intrusus, ut resignando beneficiū purget intrusionem, debet & etiam dimittere possessionem, alias intrusio non erit purgata. n. 6.
 Sed si in ea remanserit, & fructus perceperit, renebitur ad ipsorum restitutionem. n. 7.
 Intrusus ut purget intrusionem, debet renunciare purè, & liberè, ac simpliciter, non verò conditionatè. n. 8. & sequen.
 Intrusus caret canonico titulo, & exinde nullum ius habet in beneficio, & consequenter renunciare non potest conditionatè, in fauorem alicuius. n. 8. & 9. cum sequen.
 Nemo plus iuris in alium transferre potest quam ipse habeat. n. 9.
 Non entis nulla sunt qualitates. n. 10.
 Renunciatio conditionata, facta per intrusum, est nulla, & non purgat intrusionem. n. 11.
 Quod extende etiam si ille diu possidisset, n. 12.
 Permutatio beneficii fieri non potest, nec debet, ab eo qui in illo nullum ius habet, & consequenter intrusus permutare non potest. numer. 13.
 Renunciare qui non potest beneficiū, nec etiam potest illud permutare. n. 14.
 Ratio eadem ubi viget, debet etiam & eadem iuris dispositio procedere. n. 14.
 Titulum beneficii infectum non iustificat, vel prescribit diuturna & longa illius detentatio. n. 15.
 Habens titulum canonicum beneficii, si fuerit per sententiam, vel ab ipso iure priuatus,

non potest illud renuntiare, etiam si in eo insinat, n. 16.

Beneficio priuatus ex dispositione iuris, non potest illud renuntiare, vel resignare. n. 17.
 Quod fallit in casu, quo ius renunciantis, licet alias inualidum, per declarationem, & sententiam Rota pro legitimo fuisse canonizatum, n. 18. & 19.

Papa habet omnimodam potestatem in beneficalibus, & potest adquare quadrata rotundis. num. 20.

PURGATIONEM intrusionis duobus modis fieri posse dicendum est, videlicet vel per renunciationem liberam, & spontaneè ipsius intrusi, vel per dispensationem obtentam à Superiore, de quibus in specie in presenti quaestione agemus.

Et quoad primum, purgatio intrusionis fieri debet per ipsum intrusum, absolutè, & purè renunciando beneficiū, in quo se intrusit, hocque taliter exequendum est, ut postmodum ipse intrusus illud impetrans, non remaneat adstrictus, ut in impetratione faciat mentionem de intrusione, sed per talem renunciationem purgata, & sublata remanebit omnis intrusio, argumento sumpto ex text. in cap. solite, de restitutione spoliatorum.

Ex quo colligunt cōmuniter Doctores, quod exceptio renunciationis ante spoliū factæ admitti debet, nam illa spontanea renunciatio, in tempore habili exequuta, proficit, & purgat defectum antecedentem, ut per Lapum allegat. 23. & ibidem Additio Quintil. Mandosij littera A. plures allegat; & de hoc articulo latè agit Lancelotus de attent. p. 3. cap. 29. tit. de purgatione attent. ubi copiosè probat, quod per renunciationem, vel cessionem litis factam, purgatur intrusio attentata; quod quidem fieri potest nedum per ipsum intrusum, verum etiam per procuratorem ad id specialiter deputatum; quia regula est, quæ dicitur, ut qui potest beneficiū resignare, potest etiam nomine suo proprium procuratorem constituere ad illud cedendum & resignandum, & consequenter poterit itidem tempore habili per procuratorem, intrusionem purgare; ut notat Vital. in clementina vnica, n. 26. de renunciatione.

Notandum tamen est, quod ad hoc ut intrusio sufficienter purgata remaneat, requiritur non solum intrusum cedere, seu renunciare debere beneficiū per se, vel procuratorem, sed etiam insimul dimittere possessionem: enim verò si post renunciationem talis intrusus incumbat possessioni, & fructus

fructus percipiat, non obstante renunciatione, intrusio non censetur purgata, sed imo dicitur durare; ut responderunt Imola 7 conf. 25. n. 3. Paris. conf. 143. n. 18. volum. 4. vel si exerceat, & utatur pertinentiis ad beneficiū, ut notat Flamin. Paris. de resig. benef. lib. 1. q. 7. n. 1. & 2. & tunc teneri ad fructuum restitutionem fatendum est iuxta ea quæ dicemus infra, quæst. 101. Et ex his colligitur, talem intrusum esse adstrictum in foro conscientie dimittere, & resignare beneficiū cum fructuum restitutione; ut latè docet Tiraquel. in l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 191. & 192. quem cum aliis allegat Flamin. Paris. ubi supra, lib. 3. q. 1. num. 58.

Aduertendum est tamen, quod superius dicta intelligenda, & declaranda veniunt, ut procedant in renunciatione, seu resignatione pura, & simplici, non verò in conditionata, cum enim intrusus canonico careat titulo, sequitur exinde nullum ius habere in beneficio; & consequenter impeditus existit, ne possit renuntiare conditionatè & in fauorem alicuius; ut cum Innocentio & Abbate docet Flamin. Paris. ubi supra, in d. lib. 3. q. 1. n. 39. vsque ad 43. & exinde intrat regula iuris vulgaris, quod nemo potest plus iuris in alium transferre quam ipse habeat, l. nemo, ff. de regul. iur. cap. nemo 79. eodem tit. in 6. nofter Aragonen. Sesse tom. 2. decis. 188. num. 15. & alij plures relati per Barb. in tract. axiomatum iuris frequen. axiomat. 160. n. 2. & cum intrusus nihil habeat in tali beneficio, renunciare non potest quod nullatenus habet; Barb. ubi proximè, axiomat. 64. nam non entis nullæ sunt qualitates, l. 2. ff. de usufruct. l. Pomponius, §. final. ff. de acquirenda possessione, cap. bene, de elect. cap. ad dissolucendum, de desponsatione impuberum, cum vulgatis.

Et ex his infertur, quod si ipse intrusus renunciauerit conditionatè, illa renunciatio erit nulla & inualida, ut plura cumulans tradit Boërius decis. 205. n. 8. vers. secus ergo: Lancel. de attent. 3. p. cap. 29. n. 25. & sequen. 12 & n. 75. & sequen. Paris. in d. lib. 3. q. 1. n. 39. qui n. 41. ex doctrina Calderini conf. 9. sub tit. de rerum permut. docet, id procedere etiam si talis intrusus diu possidisset, quia adhuc remanet impeditus, ne possit renunciare in fauorem alicuius ex eadem ratione proximè tradita, quia cum nullum ius in beneficio habeat, non potest transferre in alium, nec renunciare quod non habet, & ita etiam sentit Boërius in d. decis. 205. n. 6. ubi ex Calderino probat, permutationem beneficii fieri non posse ab eo, qui nullum titulum habuerit, sicut intrusus Et quamuis

Tract. de Intrusione.

hi Doctores loquantur ad terminos permutationis, idem iudicium efformari debet quoad renunciationem; nam in utroque casu eadem viget ratio, & consequenter debet etiam eadem iuris dispositio vigere, l. illud ff. ad leg. Aquilam, l. quidam nummularios, ff. de edendo, cum vulgatis.

Vnde detentio diuturna, & longa beneficii, nullatenus iustificat, nec prescribit titulum infectum, ut docent Paris. in d. q. 1. n. 43. Glossa in cap. 1. verbo, beneficiū, vers. & hic nota casum in quo non currit prescriptio, &c. de regul. iur. in 6. ubi Barb. in collect. ad eum textum, n. 6. plura cumulat, & dicemus infra, q. 93. & sequen.

Et ex eodem fonte dimanat, (propter rationes superius assignatas) non posse habentem titulum canonicum beneficii, ipsum renunciare, si ex dispositione iuris statim eo fuerit priuatus, etiam si in illo insinat; quia quoties quis priuatur ipso iure, destitutus remanet quoad omne ius competens; ut cum pluribus tradit Tiraquel. in d. l. si unquam, verbo, reuertatur, n. 446. cum sequen. Cod. de renouandis donationibus, & consequenter renunciare aut resignare non potest quod non habet.

Quam doctrinam exemplificare poteris in notorio Simoniaco: in offendente S. R. E. Cardinales; in falsificante literas Apostolicas; & in eo qui obrinet beneficiū Curatum, & non facit se intra annum ad sacros Ordines promoueri, & in omnibus casibus in quibus ipso iure aliquis est priuatus, & pro tali declaratus, quos congerit Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. a n. 202. cum pluribus sequen. & ad intentum huius articuli videre poteris in specie Flam. Paris. qui plures allegat in d. lib. 3. q. 1. a n. 20. cum sequen. ubi n. 47. declarat non procedere prædicta, si ius resignantis, licet alias inualidum super beneficio resignato, per declarationem & sententiam Rotalem fuisset canonizatum, quia tunc dicendum est, renunciationem valere; nam in tali casu affirmari non potest, ius non habere, cum illud fuerit consequutus mediante auctoritate Rotæ, pro ut ipsa Rota declarauit teste Paulo Emilio Verallo, Episcopo Caputaquen. in suis decis. p. 2. decis. 302. alias 5. in verbo, Pensio, cuius verba talia sunt.

Pensio reseruata in fauorem Rectoris ex causa resignationis in manibus Papæ, cuius Rectoris ius super dicto beneficio per sententias, & rem iudicatam in Rota fuerat canonizatum, non poterit per successorem in beneficio, tanquam nulla impugnari ex eo, quia ille primus Rector non habebat ius; & ira fuit tentum in vna Calagurritana

X

gurritana

gurrutana-pensionis coram D. Chisan. die 1. Aprilis 1552.

20 Quoad secundum modum purgandi intrusionem, videlicet ex dispensatione, non est opus immorari, cum sit notum, Papam habere omnimodam potestatem in beneficialibus, taliter quod possit adæquare quadrata rotundis, ut latè docet Gonzalez ad regul. 8. Cancellaria, §. 1. proæmij, à n. 32. cum pluribus sequen. Barb. in pastor. plures referens, p. 3. allegat. 57. n. 7. & sequen. & exinde ad libitum suæ voluntatis poterit dispensare, sanando vitium intrusionis: & quia de hoc articulo agemus in quæstionibus sequentibus, ideo non immoratur.

QVÆSTIO XCII.

Intrusus cum teneatur renunciare beneficium ad purgandam intrusionem, an id efficere possit sine Superioris auctoritate.

S V M M A R I V M.

Intrusus notorius tenetur renunciare rem, in qua se intrusit: quod efficere potest propria auctoritate. n. 1. & 2.

Intrusus notorius renuncians rem, in qua se intrusit, ex eo non dissolvit aliquod vinculum exterius, sed satisfaciit suæ conscientia, restituendo quod iniuste detinebat. n. 3.

Intrusus fur est, & iniustus detentor, & ideo quanto citius tenetur rem restituere. n. 4.

Intrusus notorius se voluntarie non renunciaverit rem in qua se intrusit, cogi potest ad renunciationem faciendam; & si monitus à Superiore, non effecerit, privari debet. numer. 5.

Renunciationem non potest efficere propria auctoritate Intrusus occultus, & toleratus, sed cum auctoritate Superioris. n. 6.

Titulus putativus, & coloratus, habitus à Beneficiario, ex communi reputatione, habetur pro vero titulo, ad effectum ne possit renunciare sine Superioris auctoritate. n. 7.

Etiã in mortis articulo. n. 9.

Intrusus toleratus potest in mortis articulo renunciare beneficium propria auctoritate. num. 8.

Contrarium est verius, n. 9. & seqq.

Renunciare non potest Episcopus criminofus sine Papæ auctoritate, etiã in mortis articulo. num. 9.

Simoniacus intrusus in beneficio non potest

illud renunciare sine Superioris auctoritate. num. 10. & 13.

Quod habet locum, non solum in occulto, sed etiã in manifesto, iuxta veriorum sententiam. num. 13.

Opinio & communis hominum reputatio qualificat titulum, ut intrusus habeatur pro legitimo Titulari. n. 11.

Simoniacus est ipso iure privatus beneficio. num. 12.

Clericus homicida, aut aliàs criminofus non est ante sententiam privatoriam intrusus in beneficio, etiã si insinat in possessione, & fructus percipiat. n. 14.

Quasi intrusus dicitur, qui titulum habet, sed propter delictum privari potest; & talis non poterit renunciare beneficium, in quo se intrusit, sine Superioris auctoritate. n. 15.

Criminofus committens delictum, privatione dignum, retinet titulum ante sententiam privatoriam, & ideo percipit fructus, nec illos restituere tenetur. n. 16.

Irregulares non sunt ipso iure privati beneficijs, sed veniunt privandi; & exinde non poterunt illa renunciare sine voluntate Superioris. num. 17.

DIXIMVS suprà in quæst. antecedenti, teneri intrusum renunciare beneficiũ, in quo se intrusit, ut intrusio purgata censetur: modò est inquirendum, an id efficere possit sine Superioris auctoritate; quam quæstionem communiter examinant Doctores post Glossam in cap. nisi cum pridem 10. §. propter conscientiam, verbo, sed dumtaxat, de renunciatione: & ut clariùs in ipsius resolutione procedamus, distinguendi sunt aliqui casus.

Primus erit in intruso notorio, qui omni titulo colorato destitutus est, taliter quod nulliter & palam detinet rem in qua se intrusit, veluti si per sententiam, quæ in rem transiit iudicatam, vel ex alia simili causa, quæ inducat notorietatem intrusionis, pro vero intruso fuerit declaratus; tunc enim non solum poterit ille, sed immodò erit adstrictus ad renunciationem faciendam, statim sine Superioris auctoritate; nam in tali casu non est verum dicere, aliquod exterius vinculum dissolvi, sed solum iniustam & inualidam possessionem dimittere, ad quod faciendum tenebatur in conscientia, quia cum peccato rem detinebat, & consequenter cum intrusus sit fur, & iniustus detentor, sicut, ut iste rem furtivam restituat, non indiget Superioris auctoritate, sed potius tenetur in conscientia quanto citius restituere, & quanto plus differt, tanto

ranto plus erit in mora, & in peccato; sic similiter intrusus efficere tenetur, ut docent Flamin. Paris. plura adducens in tract. de resign. benef. lib. 7. qu. 1. à num. 107. cum seq. & in specie Glof. in d. cap. cum pridem, verbo, propter conscientiam, de renunciatione: ex cuius auctoritate ita resoluit Nicol. Garcia de benef. 11. par. cap. 3. §. 1. num. 150. vbi allegat Cech. idem tenentem; Paris. alios referens vbi proximè in d. lib. 7. q. 2. num. 8. & diximus supra, q. 27. n. 18.

5 Quod adeo verum est, ut si talis notorius intrusus voluntariè non renunciauerit, cogi possit à Superiore ad renunciandum; taliter quod si monitus non effecerit, per ipsum Superiorem monentem privari poterit; ut cum pluribus tenet Parisius vbi supra, lib. 3. q. 18. n. 30.

6 Secundus casus est, quando talis intrusus non est notorius, qui quidem licet titulum legitimum non habeat, attamen aliquo est decoratus, ex quo iudicari possit, saltem in exteriori, pro legitimo Beneficiario & possessore, veluti quia delictum, & intrusio est occulta; & tunc dicendum est, renunciationem fieri debere ex licentia, & auctoritate Superioris, non verò ex propria; quia ille titulus putativus coloratus ex communi opinione, habetur & reputatur pro vero titulo, per ea quæ diximus supra, q. 27. & 28. & consequenter sicut in vero & legitimo titulo renunciando, vel resignando requiritur Superioris licentia, ut concludunt omnes Doctores, & latissimè docent Garc. de benef. in d. 11. par. cap. 3. à n. 223. Flamin. Paris. in d. lib. 7. q. 1. num. 105. sic similiter in illo.

8 Hunc tamen casum declarant Glossa in d. cap. nisi cum pridem, §. propter conscientiam, in d. verbo, sed dumtaxat, vers. pro nullo crimine potest Episcopus, de renunciatione, & ibidem Innocentius, & Abbas, num. 5. vers. puto tamen, &c. ut non procedat in mortis articulo, quia tunc si talis intrusus non habeat copiam Superioris ad purgandam suam conscientiam, indigebit presentia, & licentia illius ad renunciandum, & dimittendum beneficium, sed propria auctoritate licebit renunciare; & sufficit ut id exequatur in manibus Pœnitentiarij, argumèto textus in cap. finali, de pœnit. & remiss.

9 Sed contrarium videtur innuere Paris. in d. lib. 7. q. 2. num. 7. vbi concludit, quod etiã in mortis articulo non potest Episcopus criminofus sine Papæ consensu renunciare Episcopatum, nam ait Flaminus, quod ad exonerationem suæ conscientia, sufficit promittere Cofessario, quod quamprimum poterit renunciet cum aucto-

Tract. de Intrusione.

ritate Superioris, ex quo adæquatè satisficit quam sententiam allegando ipsum Parisium refert Barb. in collect. ad textum, in d. cap. nisi cum pridem, num. 27. cui opinioni adhæreo: enimvero illa ratio scrupuli sufficienter purgatur cum illa promissione, sicut videmus, & admittunt omnes Doctores in alijs casibus, in quibus promptè satisfieri non potest, veluti in vsuris, & similibus, & ita non frangitur regula, quod renunciatio fieri debeat cum auctoritate Superioris, & in hunc sensum intelligenda venit dispositio textus in d. cap. finali, de pœnit. & remiss.

10 Tertius casus est quando quis intruditur in beneficio per simoniam, iuxta textum in cap. post translationem, §. rursus, de renunciatione: ex quo patet, quod Episcopus simoniacus non potest renunciare absque auctoritate Papæ, quod tamen intelligendum est, dummodo talis intrusus simoniacus fuerit occultus & toleratus, quia tunc ut renunciatio valeat, requiritur licentia Superioris, ut docent Abbas in d. cap. nisi cum pridem, num. 5. & 6. Felinus in cap. in sinuatum, num. 5. de simon. ex ea ratione, quia illa hominum opinio habetur loco veri tituli, nam ille putativus iudicatur pro vero Titulari, & consequenter necessaria erit Superioris auctoritas.

12 At verò si Simonia fuerit notoria, & manifesta, resoluit Abbas in d. cap. nisi cum pridem, num. 6. vers. si autem commisit Simoniam, quod renunciatio fieri potest sine Superioris auctoritate, sed ex propria, quia tunc cum ipso iure privatus remaneat beneficio, consequenter caret titulo, quo non existente, licentia Superioris non est necessaria.

13 Sed contra hanc sententiam Abbatis insurgit Flam. Paris. in d. q. 2. n. 11. & sequen. vbi probat, quod omnis simoniacus renunciare non potest sine Superioris auctoritate: quod quidem videtur probari ex d. cap. post translationem, §. rursus, de renunciatione, & ex Glossa ibidem, verbo dimittens; & simul Parisius & Glossa adducunt varias rationes & fundamenta quæ videntur convincere Abbatem.

14 Et conducunt ad hunc articulum, quæ annotauimus supra, q. 9. & q. 5. à n. 7. & sequen. vbi probauimus, quod Clericus homicida, aut aliàs criminofus, ante sententiam privatoriam non est intrusus in beneficio, etiã si insinat in possessione, & fructus percipiat: & ex ibidem dictis poteris hunc articulum decidere.

15 Quartus & vltimus casus est in illo, qui dicitur quasi intrusus, veluti qui titulum habet, sed propter delictum commissum,

per sententiam priuari potest beneficio, licet aliis ipso iure non sit priuatus (de quo egimus *suprà q. 5.*) is namque sine Superioris auctoritate renunciare non potest, quia ante sententiam declaratoriam priuationis, quæ in rem transferit iudicatam, titulum retinet, taliter quod possessionem conferuat, & fructus percipit; nec erit adstrictus ad ipsorum restitutionem: vt latè probauimus *suprà in d. q. 5. à n. 7. cum pluribus sequen.* & ita docet Abbas *in d. cap. nisi cum pridem, n. 5. in fine, vers. quidam sunt habentes titulum: ex quo n. 6.* infert, quod cum irregulares non sint ipso iure priuati beneficio, sed veniant priuandi, nequeunt cedere, aut renunciare sine beneplacito Superioris: & Abbatem sequitur Parisius *in d. lib. 7. q. 2. n. 11. & sequen.* vbi latè agit de hoc articulo. Et ex his fundamentis ita decidenda videtur præsens quæstio, eique finem imponimus.

QVÆSTIO XCIII.

An Intrusus permutare possit cum alio beneficium quod per intrusionem detinet.

S V M M A R I V M.

Intrusus vel alius quispiam, non habens canonicum titulum in beneficio, non potest illud permutare, licet pacificè diu possiderit. n. 1.
Permutare non potest beneficium qui caret titulo canonico ad illud obtinendum. n. 2.
Renunciare beneficium in fauorem Tertij non poterit ille, qui titulum canonicum in eo non habet. n. 3.
Permutare non potest beneficium habes ius ad rem, cum eo qui in altero habet ius in re. num. 4.
Permutatio beneficiorum admittenda est ex aequali iure permutantium, & non erit admittibilis, si inaequalitas sequatur. n. 4.
Intrusus notorius destitutus remanet aliquo titulo ad obtinendam rem, in qua se intrusit. num. 5.
Intrusus permutans beneficium in quo se intrusit, non acquirit aliquod ius in beneficio permutato. n. 6.
Fraudes, & fallacia omnimodo euitari debent. num. 7.
Excommunicatus, dum in excommunicatione perseuerat, non potest permutare beneficium, quod obtinet. n. 8.
Permutatio beneficij operatur, vt nouum ius acquiratur permutanti ex permutatione. num. 9.

HA NC quæstionem breuiter resoluit Ioannes Calderin. *in conf. 9. incip. An non habens:* sub tit. de rerum permut. per hæc verba: An non habens canonicum titulum, qui tamen diu pacificè possedit beneficium, possit illud permutare? Et deciditur quod non. Nam longa detentio beneficij non iustificat titulum aliàs inualidum; de *præbendis, c. dilecto, de institut. cap. 3. & regul. 1. de regul. iur. lib. 6.* Vnde sequitur, quod talis permutare non potest; quia ex quo ius non habet, non potest in alium transferre: *1. q. 7. Daybertum, de iure patr. c. quod autè &c.* Hæc Calder. Quam sententiam defendunt etiam Freder. de Senis *in tract. de permut. benef. num. 16. vers. queritur:* Boerius *decis. 205. num. 6.* Auila *de censur. 2. p. cap. 6. disp. 5. dub. 2. vers. secundo nota, & dub. 3.* Flam. Paris. *de resignat. beneficiorum, lib. 3. q. 1. n. 42.* vbi per dictum conf. Calderini idem firmat in renunciatione in fauorem, ex identitate rationis, per ea quæ diximus *suprà, q. 91. n. 8. & sequen.*

Hæcque conclusio comprobatur, argumento sumpto à maiori rationis: nam si quis habeat ius ad rem in beneficio, non potest ipsum permutare cum illo, qui obtinet ius in re, ex ea ratione, quia beneficiorum permutatio admitti debet ex æquali iure permutantium, vt cum aliis tradit Belamera *in tract. de permut. benef. p. 2. q. 1. in principio,* quom tractatum inuenies etiam *in tom. 15. tract. p. 1. pag. 190. in vltima impressione:* ergo multo minus poterit permutare intrusus, qui nullum ius habet in beneficio, vt tradunt Lessius *de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 36. n. 195.* & in specie Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 29. q. 19.* & alij penes Garciam *de benef. 1. 1. p. cap. 4. n. 19.* Ergo cum intrusus notorius non solum non habeat titulum æqualem, sed immo omnino destitutus reperitur; sequitur exinde, nullo modo permutationem esse validam, & nullatenus fieri posse, & consequenter dicendum venit, tali intruso permutanti nullum ius acquiri ex permutatione quoad beneficium permutatum; aliàs sequere: vt magnum absurdum, videlicet quod intrusus iniustus derentor beneficij obtineret illud propter permutationem, & per hoc medium aperiretur via, per quam infinitæ fraudes perpetrarentur, quibus occurrendum est, ad ipsas euitandas: *l. 1. ff. de dolo, cap. sedes, de rescriptis, Argelus de legitimo contradic. q. 13. artic. 8. n. 90.* Escobar *de ratiocinis, comput. 15. n. 3.* & alij penes Barb. *in tract. axiomatum vsus frequentium, axiomat. 143. n. 1.* & consequenter permutatio talis intrusi admitti non debet.

Tum

8 Tum etiam sumi potest argumentum de excommunicato, qui licet aliàs titulum legitimū habeat, dum tamē in excommunicatione perseuerat, non potest beneficiū permutare: vt latè docent Garcia *de beneficiis 7. p. cap. 13. n. 15. & sequen.* Cochier *in tract. de permutationibus benef. cap. 33. n. 7. & 11.* Marius Alterius *de censur. 1. disp. 13. lib. 2. cap. 2. vers. hinc sequitur permutationem:* & plures referens Anton. Ricciulus *in tract. de iure person. extra gremium Ecclesia existentium, lib. 4. cap. 12. n. 18.* vbi plures extensiones adducit.

9 Et ratio est, quia ex permutatione nouum ius acquiritur permutanti, cuius est incapax excommunicatus: sed hæc eadem ratio viget in intruso, ne ex delicto commo- dum reportet, ergo idem ius procedere debet.

Et ad corroborationem huius sententiæ conducunt tradita per Fredericum de Senis *in tractatu de permutatione benef. n. 16. vers. decimo queritur,* & Petrum de Vbal. *in eodem tract. n. 3. vers. tertius casus,* quos reperies etiam in *dicto tom. 15. tract. p. 1. pag. 183. & 187. & Boerium in d. decis. 205. à n. 6.* apud quos videre poteris cum breuitati consulam, vt aliàs dixi.

QVÆSTIO XCIV.

Intrusio purgatur, & tollitur ex dispensatione Superioris: & quæritur qui sit iste Superior.

S V M M A R I V M.

Papa solus est Superior ad dispensandum in intrusione, quæ purgata remanet ex tali dispensatione. n. 1. 6. & 13.
Simonia vitium solus Papa dispensare potest. numer. 2.
Vitium litigiosi, vel attentatorum in beneficiis solus Papa dispensare valet. n. 3.
Intrusus habilis redditur ex dispensatione Papæ, vt exercere possit actum, ad quem exercendum dispensatur, non vero in aliis in quibus est impeditus propter intrusionem; & ideo non poterit se extendere ad alios, in quibus etiam intrusus existebat, si in eis specificè non fuerit dispensatus. n. 4. & 5.
Si inquisitores heretica prauitatis committant executionem alicuius causa ministris excommunicatis, vel aliis intrusis in iurisdictione, ipsi possunt & debent fauore Fidei exercere suum officium, & exequi mandatum, sed ex hoc non habilitantur ad alia exercenda. n. 5.

Tract. de Intrusione.

Intrusus petens à Papa dispensationem intrusionis, vt ipsam Papa concedat, non indiget vocare illum, vel illos, ad quos electio, seu confirmatio, vel aliquod aliud ius pertinet. n. 7. & 8.

Papam velle alicui præiudicium inferre præsumi non debet. n. 8.

Papa est Dominus beneficiorum, & ideo si dispensat cum intruso, sanat omnia vitia commissa propter intrusionem. n. 9.

Dispensatio Papæ sanat defectus, in quibus dispensat, viendo sua potestate, & liberalitate, quam concedere potest pro libito suæ voluntatis. n. 9.

Intrusus in beneficio, & dispensatus, indiget noua collatione post dispensationem. n. 10.

& 13. cum sequen.

Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 15. & sequen.

Intellige vt n. 26.

Minor renuncians beneficium Ecclesiasticum quod obtinebat, si petat restitutionem, audiiri debet, sed non reintegrari sine noua collatione. n. 11.

Renunciatio beneficij operatur, vt per illam titulus extinctus remaneat. n. 11.

Beneficium sine canonica institutione retineri non potest. n. 12.

Titulus beneficij si sit dubius, sanatur per nouam provisionem. n. 13.

Dispensatio obtenta ab intruso, pro intrusione contracta operatur, vt tollatur intrusio, & mala fides, in qua existebat. n. 14.

Dispensationem si obtineat intrusus in beneficio, non indiget noua collatione, ad illud obtinendum. n. 15. & sequen. & 27.

Excommunicatus non potest obtinere beneficium obtentum durante excommunicatione; nisi cum eo fuerit dispensatum; sed post dispensationem poterit illud retinere, sine noua collatione. n. 16. & sequen.

Dispensatio obtenta pro beneficio consequuto, de tempore, quo quis excommunicatus existebat, habet vim collationis, & ideo non indiget noua collatione. n. 17. & 18.

Argumentum à contrario sensu validissimum est in iure. n. 18.

Dispensatio est quedam iuris relaxatio facta ab habente potestatem. n. 19.

Intrusus dispensatus ab habente potestatem, vti potest re, in qua se intrusit. numer. 19. & 27.

Causa dispensationis matrimonialis si cessat, ex eo tamen non cessat ipsa dispensatio, sed semper remanet. n. 20. & 22. & sequen.

Irregularis si dispensatus fuerit ad suscipiendos Ordines, & nolit ad eos promoueri, ex eo tamen non reuincit in irregularitatem, sicut dispensatus in voto castitatis, licet nolit nubere,

nubere, non remanet adstrictus. n. 21. & sequen.

Dispensatus ut non soluat decimas ex causa paupertatis, remanet liber, quamvis postea diues efficiatur. n. 22.

Intrusus dispensatus in intrusione remanet habilis ad utendum iure, in quo inhabilis existebat, taliter quod vitium intrusionis iam fuit purgatum per obtentionem dispensationis. n. 23. & 24.

Intrusus dispensatus ad obtinendum beneficium, licet non indigeat noua collatione, tutius est ad euitandas lites, ut de nouo fiat. numer. 25.

Dispensatio in aliquo defectu operatur, ut reuiscat quod mortuum erat, & quod erat inualidum, validetur. n. 26.

Renunciatio operatur, renuntians non possit petere reintegrationem rei renunciata. numer. 26.

Promissio noua obtineri solet, quando est dubium an prima sit valida. n. 27.

Intrusus dubius si ad maiorem securitatem obtineat dispensationem, ex eo non excluditur, ne si opus fuerit, uti possit primo iure, ex quo dubitat si est vel non intrusus. n. 28.

Tituli in beneficalibus multiplicari possunt, & per acceptationem vnius, non censetur alteri renunciatum. n. 29.

Gratiam, si neutri, aut perinde valere, si quis obtineat, vel nouam provisionem super eodem beneficio, ex illa non censetur prima renunciare. n. 30.

Noua provisio obtenta annullat primum titulum, super quem illa petitur, sed remanet in suo robore. n. 31.



I R C A hanc quaestionem dicendum est, quod in casu proposito, erit Superior Papa ad dispensandam intrusionem, ut purgata, & sublata censetur.

2 Quae conclusio probatur primo, argumento sumpto ex vitio simoniae; de quo quidem solus Papa dispensat, ut notant communiter Doctores in Rubrica de Simonia, Rebus. in praxi benef. p. 1. sub tit. de noua provisione, n. 36. Menochius conf. 67. incip. propositae consultationi, num. 22. & 23. quos refert & sequitur Lancelotus de attentat. cap. 29. n. 54. in antiquis, & in Additionatis n. 57. cum sequen. sub cit. de purgat. attentatorum: ergo similiter intrusio purgabitur ex dispensatione Papae.

3 Secundo quia vitium litigiosi purgatur, tollitur propter dispensationem, & auctoritatem Papae; ut docet Sarnen. in regula de impetran. per obitum siml. Cardin. q. 8. n. 6. sicut & etiam attentata lite pendente, provt

late explicat Lancelotus ubi proxime, in d. cap. 29. n. 57. & seq. & ad intentum adduci possent alij consimiles casus, ex quibus ex identitate rationis colligitur, hanc dispensationem, & purgationem intrusionis ad Pontificem pertinere, dispensando cum intruso, tam respectu tituli inualidi, & nulli, quam fructuum male perceptorum, etiam illorum quos percipere potuisset.

4 Et antequam ad vltima praesentis quaestionis procedamus notandum est, quod licet alias intrusus habilis reddatur ex dispensatione, vd alia consimili causa, ad aliquem actum particularem exercendum, quem quidem propter intrusionem & iniustum titulum alias exercere non poterat, ex eo tamen non efficitur habilis propter exercitium illius actus, ad alios subeundos in quibus non est dispensatus, ut iudicetur sublata intrusio quoad caetera in quibus se intrusit: vt aduertit Geminianus post Ioan. And. in cap. Praesidentes, n. 4. vers. qui dicantur, de haereticis in 6. sumpto argumento de textu in cap. neque enim si agris, 14. q. 5.

5 Et probatur ex d. cap. Praesidentes, ubi deducitur, quod favore Fidei, si Inquisitores haereticae prauitatis committant executionem poenae alicuius delicti Officialibus alias excommunicatis, vel de facto intrusis in iurisdictione, possunt ipsi & tenentur exercere suum officium & exequi mandatum: ex hoc tamen non habilitantur, vt exercere valeant suam iurisdictionem & ministerium in casibus in quibus se intruserunt, sed in eo tantum casu in quo commissio Inquisitorum se extendit, vel in eo in quo expressè dispensati reperiuntur à iure, vel à Superiore: in aliis tamen remanebunt cum eadem infectione censurae, qua alias erant innodati.

6 Quibus sic se habentibus, duo notanda veniunt. nam cum dixerimus, quod per dispensationem Papae tollitur omnis intrusio: videndum est Primò an ad illam petendam, & concedendam, debeant vocari illi, quorum interest. Secundò, dato quod dispensatio ab intruso fuerit obtenta ad retinendum tale beneficium, in quo se intrusit, an sufficiat illa sola, vel requiratur noua collatio seu provisio.

7 Et quod attinet ad primum, dicendum est, quod si Papa dispensat cum intruso, poterit id efficere sine vocatione, aut citatione illius, vel illorum ad quos electio, aut confirmatio, vel aliquod aliudius pertinere potest in beneficio, in quo intrusit dispensatur, quam resolutionem communiter sequuntur Doctores in cap. nisi cum pridem, de renunciatione, vt per Innocentium ibidem num.

n. 2. in vers. Indulgeri, Hostien. n. 68. Anton. n. 3. vers. quero an talis. Card. post n. 3. q. 6. vers. persona vero: & Abbas n. 16.

8 Nec obstat, si contra proximè dicta opponatur, quod talis dispensatio nullatenus potest purgare vitium intrusionis, cum talis intrusus non habeat canonicum ingressum: nam ab initio, illo carebat, & ideo inciderat in intrusionem; nec etiam dici potest, quod tempore dispensationis reuiuiscit: cum ex defectu consensu illorum qui vocari debuerant pro suo interesse existebat semper defectuosus, & non est praesumendum, Pontificem velle alicui praesudicium inferre, & consequenter dicendum videtur, talem dispensationem non posse effectum habere sine consensu & vocatione illorum, qui interesse, vel aliquod ius ad praesentationem, nominationem, electionem, seu aliquod aliud ius habent.

9 Quia respondetur, quod cum Papa sit Dominus, eo ipso quod scienter dispensat cum intruso, ex ipso actu dispensationis intrusus consequitur canonicum titulum, cum per ipsam omnia vitia sanentur, omnesque defectus reformantur, & consequenter non facit iniuriam interesse habenti ad electionem, seu ad aliquod aliud ius, cum tunc Papa utatur sua potestate, & liberalitate, quam cui voluerit licite potest & valet impartiri; & ita respondent etiam Innocentius, Hostien. & caeteri in d. cap. nisi cum pridem, quos ibidem sequitur Bald. n. 1. ad finem, vers. sed quero an in dispensatione.

10 Quoad secundum, an post obtentam dispensationem requiratur noua collatio, Abbas in cap. ex parte, n. 14. vers. ad quartum, an minor: circa medium, videtur insinuare, nullatenus dispensationem sufficere, sed opus esse noua collatione: nam cum Ioan. de Ligna docet quod licet alias minor qui renunciauit beneficio suo, si restitutionem petat audiri debeat, non tamen ipsum reintegrari ad beneficium sine noua collatione: ex eo quia per renunciationem titulus fuit extinctus, iuxta textum in cap. quod in dubiis. 8. de renunciat. & cum pluribus tradit Flamin. Paris. de resignat. lib. 1. q. 5. n. 25. & sequen. & consequenter cum titulus sit extinctus, ad illum consequendum indigebit noua collatione, alias sequeretur absurdum, videlicet illum obtinere beneficium sine canonica institutione, contra dispositionem textus in cap. 1. cum ibidem notatis per Doctores de regul. iur. in 6. & magis in specie id comprobatur Paulus Borghas. in tract. de irregular. p. 6. rubrica de institut. n. 1. vers. sed descendendo quoad principale &c. quem reperies etiam in vltima

11 Contrariam tamen opinionem defendunt plures, & Doctissimus P. Fran. Suarez tom. 5. de censur. disp. 13. sect. 1. n. 34. disputat, quis possit dispensare cum excommunicato, cui beneficium fuit collatum, persistenti in excommunicatione, (vt dicemus infra in quaestione sequenti, n. 1. & sequen.) ad hoc vt sequuta absolutione possit illud obtinere? & in vers. Ratio est, ita concludit: Quia haec dispensatio est quaedam virtualis beneficii collatio, ideo dispensatione facta, alia collatio non postulatur; vt notauit Abbas in d. cap. postulatibus: & ex ipso textu non obscure colligitur, dicit enim, excommunicatum non posse obtentum beneficium retinere, nisi cum fuerit dispensatum; ergo si dispensatus fuerit, poterit retinere absque alia collatione: immo si alia collatio esset necessaria, dispensatio esset superflua, vt ex dicendis constabit: est ergo illa dispensatio virtualis quaedam beneficii collatio &c. Haec Suarez, quem cum aliis sequitur Ant. Ricciulus in tract. de iure person. extra gremium Ecclesiae exist. lib. 4. cap. 12. vbi disputat, an sequuta absolutione facta excommunicato, possit dispensari cum ipso, vt retineat beneficium ei collatum tempore

impresione Tractatum, ex impresis Venetiis de anno 1584. tom. 14. fol. 400. vbi resoluit, quod licet solus Papa possit cum intruso dispensare circa titulum infectum & nullum, ex eo tamen quod dispensat, non videtur se extendere, & dispensare, vt talis intrusus retineat beneficium sub eo titulo infecto, sed quod illud obtineat ex superueniente nouo canonico titulo, ex prouisione noua, quam efficit & concedit ipse Papa: & testatur ipse Borghasius ita per Curiam quotidie praticari; nam quoties de titulo canonico in dubium vertitur, fit noua prouisio, vt notant communiter Doctores in cap. post electionem, de concessione praebenda, & aduertit Rebus. in praxi, p. 1. sub tit. de noua prouisione, num. 2. & Abbatem sequuntur Dominicus & Card. Alex. in cap. final. 56. distinct. vbi aduertunt, quod etiam dispensatio de per se non sufficiat intruso, vt permanere valeat in beneficio, in quo fuit dispensatus: si noua collatio non superuenierit, erit tamen sufficiens, ad liberandum intrusum ab intrusione, & mala fide in qua existebat, & per dictam dispensationem reddetur habilis ad consequendum beneficium, si erederet primam collationem sufficientem, & legitimam esse, in vim dispensationis obtentae, per ea quae resoluit Glossa in cap. cura pastoralis 11. verbo, legitima, vers. sed eorum successores: de iure patronatus.

15 Contrariam tamen opinionem defendunt plures, & Doctissimus P. Fran. Suarez tom. 5. de censur. disp. 13. sect. 1. n. 34. disputat, quis possit dispensare cum excommunicato, cui beneficium fuit collatum, persistenti in excommunicatione, (vt dicemus infra in quaestione sequenti, n. 1. & sequen.) ad hoc vt sequuta absolutione possit illud obtinere? & in vers. Ratio est, ita concludit: Quia haec dispensatio est quaedam virtualis beneficii collatio, ideo dispensatione facta, alia collatio non postulatur; vt notauit Abbas in d. cap. postulatibus: & ex ipso textu non obscure colligitur, dicit enim, excommunicatum non posse obtentum beneficium retinere, nisi cum fuerit dispensatum; ergo si dispensatus fuerit, poterit retinere absque alia collatione: immo si alia collatio esset necessaria, dispensatio esset superflua, vt ex dicendis constabit: est ergo illa dispensatio virtualis quaedam beneficii collatio &c. Haec Suarez, quem cum aliis sequitur Ant. Ricciulus in tract. de iure person. extra gremium Ecclesiae exist. lib. 4. cap. 12. vbi disputat, an sequuta absolutione facta excommunicato, possit dispensari cum ipso, vt retineat beneficium ei collatum tempore

potest excommunicationis, & à quo dari possit: & postquam n. 1. dixit, posse dispensari; n. 2. ita ait: Circa quod est advertendum primò, quod dispensatio in hac materia obrinet vim collationis, Card. in d. cap. postulastis, sub n. 5. vers. solutio, dic, &c. ideòque dispensatione sequuta, non est opus noua collatione; Abbas in d. cap. postulastis, sub n. 8. vers. intellige quod licet collatio: Vgoli. dicta tabula 2. cap. 13. §. 1. n. 2. & hanc eandem probant Rebuff. in d. cap. postulastis, in glos. n. 70. Sayrus de cens. cap. 5. num. 21.

18 Alterius loco citato cap. 7. quæ conclusio manifestè probatur ex d. cap. postulastis: dicit enim, excommunicatum non posse obtentum beneficium retinere, nisi cum eo fuerit dispensatum; ergo si dispensatum fuerit, poterit retinere absque alia collatione, per argumentum à contrario sensu, quod est in iure validissimum: l. 2. de iurisdictione omnium iudicum; immo si alia collatio esset necessaria, dispensatio foret superflua, quia sequuta absolutione potest quis beneficiari, non obstante quod antea fuerit excommunicatus, d. cap. postulastis, &c. Vsq. huc Ricciulus.

19 Ex cuius, & aliorum doctrina manifestè colligitur, non esse opus noua collatione post obtentam dispensationem: enimvero præter adducta ponderari potest, quod dispensatio definitur, ut sit iuris relaxatio, facta ab habente potestatem, vt latè tradit Diana tom. 8. resol. mor. tract. 3. resol. 1. ergo obtenta dispensatione ab intruso, relaxatur illud obstaculum, quod impediabat ne ipse vti posset re, in qua se intrusit, & illo sublato remanet liber, vt gaudere valeat beneficio in quo intrusus existerat, & consequenter non indigebit noua collatione.

20 Et ad intentum ponderari possunt quæ docet Pontius de Leon in tract. de matrimonio, lib. 8. cap. 20. num. 4. vbi disputat. an cessante causa dispensationis, cesset etiam ipsa dispensatio? & resoluit contra Sanch. nulatenus cessare, sed immo subsistere: quod probat ex eo, quia alias sequeretur absurdum, videlicet quod si cum aliquo irregulari dispensaretur ad suscipiendos Ordines, & noluisset ad eos promoueri, reincideret in eandem irregularitatem. vel si ob coniugium cum aliquo fuisset dispensatum in voto castitatis, & postmodum nollet nubere, iterum remaneret adstrictus, vel si alicui monasterio indultum fuisset priuilegium non soluendi decimas ex causa paupertatis, si postmodum ditaretur, non posset gaudere illo priuilegio, & in pluribus aliis similibus casibus; & exinde concludit, dispensationem influere, etiam si ipsius causa

cessaret; vt latè dicemus infra, q. 98. & pro vtraque parte copiosè disputat Diana tom. 1. resol. mor. tract. 10. resol. 41.

23 Ex quorum doctrina inferitur, quod per assequutionem dispensationis, licitum erit parti vti dispensatione, etiam si cesset causa ob quam fuit concessa; ergo in præsentis similiter dicere debemus, quod eo ipso quod quis fuit dispensatus in intrusione, remansit habilis ad vtendum iure, vel re, 24 in qua inhabilis existerat, aliàs sequeretur illud absurdum, quod si nollet gaudere, & vti dispensatione, ad intrusionem reduceretur, & dispensatio nihil operaretur, quod quidem dici non potest; ergo in ipsa dispensatione sanatum, & purgatum fuit vitium intrusionis, & consequenter defectus collationis, taliter quod non indigeat, vt de nouo fiat.

25 Sed Rebuff. in repetitione ad text. in d. cap. postulastis, loquendo de hoc articulo ita ait: Et tutius est, quod fiat noua collatio, vel clausula, quatenus opus est, Conferimus; sit in literis dispensationis apposita, vt euitentur opiniones, & lites: quia vt ex nunc potest retinere beneficium licitè, sicut de legitimo dicunt Doctores, & de matrimonio in cap. si per venerabilem, qui filij sunt legitim. Et profectò negari non potest, hoc Rebuffi consilium esse securius, & tutius, licet in puncto disputationis hanc secundam sententiam Francisci Suarez veriorum iudicem.

26 Et ad fundamenta contraria responderi potest, primò quidem ad ea quæ diximus supra, n. 10. & 11. quod licet aliàs doctrina Abbatis sustineri possit, vt primus titulus per renunciationem extinctus censeatur, & opus esse vt de nouo acquiratur: illud tamè verum est quoad effectum reintegrationis, si restitutio petatur: quod quam longè distet à nostro casu, per se patet: nam ille titulus infectus in quo intrusus existerat, purgatur, & conualidatur ex dispensatione, quæ operatur, vt quod mortuum erat, reuiuiscat: vt diximus supra: secus autem est in interdito reintegrationis, quod exequi non potest, nam renunciatio abstulit, quod postea petere intendit, & exinde non potest argui de illo casu ad nostrum.

27 Nec similiter obstat quod considerat Borghasius (de quo supra, n. 12. & 13.) nam satisfit cum his quæ annotauimus supra, n. 15. & seq. ex doctrina Francisci Suarez, Ricciuli, & aliorum: cum constet, quod facta dispensatione per Superiorem, ad id habentem potestatem, tacitè colligitur, dispensationem influere ad tollendos omnes defectus existentes, & consequenter sanando,

QVÆSTIO XCV.

Si excommunicato, dum in excommunicatione perseuerat, beneficium fuerit collatum, an possit ab Episcopo dispensari, vt post absolutionem consequutam illud obtinere valeat.

S V M M A R I V M.

Excommunicatus obtinens beneficium dum in excommunicatione perseuerat, est intrusus; cum tunc sit incapax consequendi beneficia. num. 1.

Et solus Papa cum eo poterit dispensare. num. 8. & 9.

Dispensare potest Episcopus cum excommunicato post consequutam absolutionem, vt obtineat beneficium ei collatum, dum in excommunicatione existerat. n. 2.

Intellige vt n. 5. & 7.

Dispensatio pro aliquo delicto potest concedi ab Episcopo, quoties in Canone, vel lege non est Papa reservata. n. 3.

Ius si specificè non declarat, per quem fieri possit dispensatio, censeatur concessa facultas Episcopis, & aliis eiusmodi Prelatis, ad illam faciendam. n. 4.

Episcopus non potest dispensare cum excommunicato intruso in beneficio, propter collationem ei factam dum in excommunicatione perseuerabat. n. 5.

Intrusionem in beneficio solus Papa dispensare potest. n. 6.

Episcopus potest dispensare cum excommunicato obtinente beneficium dum in excommunicatione existerat: si tamen collatio ad ipsum Episcopum dispensantem pertinet: secus autem si ad Papam, vel si Episcopus quando contulit, sciret, ipsum esse excommunicatum. num. 7. & 8.

D V B I V M præfens originem sumit ex eo, quod certum est, videlicet quod si excommunicato confertur beneficium dum in excommunicatione perseuerat, esse inhabilem ad illud obtinendum, iuxta veriorum, & magis receptam opinionem: electio namque de eo facta est nulla, & irrita, ex dispositione textus in cap. finali, de Clerico excommunicato ministrante, ibi, si tamen talis electio, &c. eius electio est irritanda, &c. & Doctores declarant, id

sanando, & supplendo infectionem, quam obrinens beneficium habebat, ne illo vti posset: & quamuis aliquoties in dubiis noua prouisio fiat, hoc tamen efficitur ad maiorem securitatem consequendam, vt docet Rebuff. in praxi, p. 1. sub tit. de noua prouis. n. 3. & 4. sed ex hoc per necesse non concluditur, quod in nostro casu sit necessaria: ex quibus (provt diximus) secunda sententia verior est, & tenenda.

28 Et ex hoc, pro coronide huius quæstionis advertere libet, quod si quis dubitans de intrusione impetrat nouam prouisionem, ex eo tamen non censeatur, nec inducitur facta renunciatio primæ: ideòque si opus fuerit, ad suam defensionem, ambabus vti valebit, & se defendere poterit ex duobus illis titulis: & quod magis est, etiam ad effectum agendi, vt docent Abbas in cap. post electionem, n. 4. vers. nota tertio, de concessione præbende, Felinus in cap. in nostra, num. 1. vers. titulus multiplicatur. de rescriptis.

29 Et ex eorum doctrina ita declarauit Rota coram Peña vt habetur in meis recollectis ipsius, to. 1. decis. 221. n. 4. & ibidem mea annotatio alias allegat, vbi ita ait: Nam cum in beneficialibus tituli multiplicari possint, vt per acceptionem vnus non censeatur alteri renunciatum, ex secunda optione Paulus potius præsumebatur voluisse corroborare ius sibi cõpetens ex prima, quam illud dereliquisse, vel ei renūciasse &c. Qui enim v. g. obtinet gratiam, si neutri, aut Perinde valere, vel nouam prouisionem super eodem beneficio, non propterea censeatur primæ gratiæ renunciare &c.

31 Et exinde quando petitur noua prouisio, quamuis narretur, quod ad sit dubium an collatio sit legitima, non annullatur prima collatio, seu electio in noua prouisione, sed remanet in suo robore, & ita seruari de stylo Curie Romanæ testatur Rebuff. in praxi sub tit. de noua prouisione, num. 6. præcipuè num. 13. Hæc Rota. Ex cuius decisione liquidò patet resolutio ad hunc vltimum articulum proxime tradita.

id est, irrita enuncianda, ut cum pluribus explicant Garcia de benef. 7. p. cap. 13. n. 27. & Ioan. Sanchez in select. & practis, disp. 32. num. 11. vers. sane electio. De quo videndus est P. Franciscus Suarez in tract. de censuris disp. 24. sect. 2. num. 19. vers. tertio obseruanda in illo textu, &c. vbi late agit de intellectu d. cap. finalis; Et consequenter cum talis excommunicatus non possit obtinere beneficium, quod ei fuit collatum, dum in excommunicatione persistebat, si in illo infirmitate, erit intrusus: ex quo resultat dubium, an post absolutionem consequutam, possit ab Episcopo dispensari ad tale beneficium retinendum.

² In quo articulo dicendum est, posse Episcopum in tali intrusione dispensare, taliter quod ex ea dispensatione consequatur ius in tali beneficio collato tempore excommunicationis, ut expressè deciditur in cap. postulatistis, vbi Glossa, verbo, dispensatum, & ibidem Abbas, de Cleric. excomm. & Rebuff. in repet. textus ad d. cap. postulatistis, notabili ultimo, in expositione Glossa, in verbo, retinere, num. 64. & alij plures infra citandi.

³ Et ratio est, quia dispensatio potest concedi ab Episcopo, quoties in Canone, vel Lege non est reseruata Papæ; argumento textus in cap. nuper, de sententia excomm. vbi Glossa verbo, dispensatum; quam conclusionem communiter admittunt Doctores tam Theologi, quam Canonistæ, Couarru in cap. alma mater, p. 1. §. 7. num. 8. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 7. quest. 2. vers. si quæras, Garcia de benef. 7. p. in d. cap. 13. num. 73. cum sequen. vbi late agit de hoc articulo, Vgol. & Suarez quos cum aliis refert Ant. Ricciulus de iure personarum extra gremium Ecclesie existent. lib. 4. cap. 12. num. 5. & copiose Diana tom. 8. resol. moral. tract. 3. resol. 18.

⁴ Et ex hac doctrina colligunt communiter Doctores in d. cap. nuper, §. in primo quidem articulo, in fine, ibi, Quia tamen conditor Canonis, eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi, &c. Ex quibus verbis colligitur, quod quando ius specificè non declarat, per quem dispensatio fieri debeat, sed absolute tantum dicit, dispensandum, censetur tacite Superior concedere illam facultatem dispensandi Episcopis, aut cæteris eiusmodi Prælati, ut docent Azor. in d. tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 52. q. 3. & lib. 6. in d. cap. 7. q. 2. Vgol. de censuris tab. 2. cap. 3. §. 1. num. 2. Ricciulus in d. cap. 12. num. 5. vbi in sequentibus numeris declarat, & extendit. Cum igitur in d. cap. postulatistis, reperitur absolute illud ver-

bum, dispensatum, & Pontifex illo vratur, sibi que non reseruauerit illam facultatem, dicendum videtur, voluisse ipsam concedere Episcopis; de quo late videndus est Barbosa plura cumulans in pastor. p. 2. allegat. 33. à n. 17. cum sequen.

Et licet hæc ita se habeant, restringendo materiam ad terminos propositi dubij, dicendum est, quod licet in casibus in iure non reseruatis Papæ, possit Episcopus dispensare: attamen fatendum est, non posse id efficere quando cum excommunicatione concurreret scilicet in simul intrusio in beneficio.

Et ratio est, quia tunc præter excommunicationem, concurrat etiam inhabilitas, resultans ex intrusione, à qua solus Papa dispensare potest, ut diximus supra, in q. antecedenti, & tradunt Garcia in d. 7. p. cap. 13. num. 88. & cum Nauar. in cap. si quando, de rescriptis, exceptione 18. num. 6. & in manuali cap. 27. num. 194. vers. ad quæstum: &c. & cons. 12. de rescript. num. 13. & sequen. infirmitate Ricciulus in d. cap. 13. n. 14. vers. declaratur tertio.

Quamuis contrarium videantur innuere Auila de censur. 2. p. cap. 6. disp. 5. dub. 3. & 4. & Henriquez in summa lib. 7. cap. 36. §. 2. in textu, & ibidem Glossa litera N. quos refert Garcia vbi proxime. Et profecto hi Doctores absolute non tuerentur contrariam opinionem, sed quando collatio beneficii talis excommunicati pertineret ad ipsum Episcopum dispensantem, quia tunc ait Auila, & ferè omnes D. D. supra citati, ut per Ricciulum in d. lib. 4. cap. 12. & 13. Azor. in d. lib. 6. cap. 7. q. 2. vers. si quæras an Episcopi: Suarez de censuris, disp. 13. sect. 1. n. 34. quod bene poterit Episcopus de nouo conferre post consequutam absolutionem, dummodo tamen scilicet non conferat beneficium excommunicato, vel si Papa illud eidem contulisset, quia in his casibus nullatenus poterit Episcopus dispensare, sed solus Papa: in quibus terminis Auila & Henriquez loquuntur, & suam tuerentur sententiam, quam ad eisdem terminos probabilem iudico; quamuis prædicta conclusio, videlicet quod quando in simul concurreret intrusio cum excommunicatione, non possit Episcopus dispensare cum eo, qui scilicet obrinuit beneficium dum in excommunicatione persistebat, certissima sit & tenenda.

* * *

QVÆST.

QVÆSTIO XCVI.

An si intrusus in beneficio obtineat dispensationem, & ex ea collationem, seu prouisionem à Papa, indigeat noua possessione.

S V M M A R I V M.

Intrusus dispensatus à Papa post obtentam ab eo dispensationem, non indiget noua possessione illius beneficii, in quo se intrusit, n. 1. Dispensatio alicuius defectus, facta ab habente facultatem, operatur, ut sanentur omnia vitia, omnesque defectus, n. 2. Collatio Ecclesie principalis si fiat, censetur etiam collata annexa, etiam si non exprimitur, & ideo in impetratione non est opus facere illius mentionem, n. 3.

¹ **D**IXIMVS supra, q. 94 ex n. 15. cum sequen. intrusum in beneficio post obtentam à Papa dispensationem non indigere noua collatione, sed sufficere pro ea ipsam dispensationem, ex fundamentis ibidem ponderatis; quæ quidem influunt & conducunt ad resolutionem præsentis quæstionis, in qua dicendum est, talem intrusum dispensatum à Papa non indigere noua possessione: quia ut docet Glossa in cap. dudum, el. secundo §. licet autem, in fine, verbo, retinere, de electione, & diximus supra, in d. q. 94. n. 14. & 23. cum sequen. dispensatio operatur, ut omnia vitia sanentur, omnesque defectus reformentur: quapropter cum noua collatio non sit necessaria, consequens est, ut nec similiter noua possessio requiratur: enim vero sanata, & conualidata illa principali parte (provt est collatio) reuiuiscunt omnia, quæ ex ea originem sumunt, provt est possessio: argumento sumpto ex eo, quod per collationem Ecclesie principalis censetur etiam collata annexa, etiam si non sit expressa, taliter quod in impetratione non sit necessarium facere illius mentionem; nam sufficit quod principale narretur, vel exprimat: ut cum pluribus aduertunt Menochius de arbitrariis, lib. 2. centuria 3. casu 201. n. 67. Rebuff. in tract. nominationum, q. 9. n. 14. & in praxi p. 1. sub tit. de noua prouisione, in clausula, Dummodo tempore date presentium &c. verbo, cum annexis, vers. an conferendo &c. ergo pariformiter dicendum est in præ-

fenti, quod sicut intrusus dispensatus non indiget noua collatione, neque indigebit noua possessione, cum hæc sit sicut annexio, & sequela ipsius; & ita sanata illa per dispensationem, censetur etiam sanata ipsa possessio: ut in specie ita resoluit Aimon. cons. 171. incip. Magister Ioannes, n. 1. vers. secundo pro hac parte &c. Et cum hanc resolutionem probent ea quæ diximus supra, q. 94. respectu collationis, superfluum erit, hic repetere, & conducunt etiam quæ dicemus infra, q. 98. à n. 12. cum sequen.

QVÆSTIO XCVII.

Si Papa nominat aliquem, ut Prælatum, qui sit intrusus in tali Prælatura, an ex tali nominatione tribuat ei titulum canonicum in illa, taliter quod ex eo censetur de facto secum dispensasse.

S V M M A R I V M.

Papa si nominat aliquem in Prælatum talis Ecclesie, in qua est intrusus, ex eo censetur cum illo dispensare, n. 1. Sed contrarium videtur dicendum, num. 9. & sequen. Intellige vt n. 11. & sequen. Verba Papæ incidenter in alium directæ, plene probant illud, super quod fuerunt prolata, n. 2. & 4. Intellige vt n. 11. Verbis etiam enunciatiuis Imperatoris, vel Principis supremi deferendum est, n. 2. Intellige vt n. 11. Pontificis attestatio facit plenam fidem & probationem, taliter quod in contrarium nullatenus admitti debeat, n. 3. Intellige vt n. 11. Nominans aliquem in Prælatum, ex eo videtur illum pro tali approbare, n. 5. Intellige vt n. 12. Princeps si scribat alicui, ut Collegio, vel Civitati, ex eo videtur illum pro tali habere, n. 6. Intellige si id efficiat ex animo deliberato, & certa scientia, n. 13. Dominus si in testamento, vel in alia scriptura seruum suum nominat filium, libertatem tribuit, n. 7. & 15. Nominatio filij non adiecta qualitate naturalis à testatore facta in testamento, efficit, ut pro legitimo habeatur, taliter quod ex ea nominatione ius acquirat, n. 8. & 16. Nomina

Nominatio Papæ in Prælaturam, facta in fauorem illius, qui est intrusus in Prælatura, non habilitat illum, ut ex sola nominatione intrusio purgata remaneat. n. 9.

Canonica institutio est necessaria ad obtinendum beneficium, & non debet dari ansa, ut sine illa obtineri possit. n. 10.

Attestatio Papæ facit plenam probationem, quando loquitur de facto proprio, & in illa fundat suam intentionem, & tunc debent filere omnia, quæ in contrarium adduci possent. num. 11.

Nominatio in Prælaturam, facta à priuata persona, operatur approbationem quoad sui præiudicium, non verò Tertij, vel iuris publici. num. 12.

Princeps concedens verbo, vel scripto, aliquem honorem Collegio, vel Ciuitati, ita demum operabitur, si id efficiat ex animo deliberato, & certa scientia. n. 13.

Gratia Principis ut sit perfecta, requirit scripturam. n. 14.

Nomen, Filius, ostendit dilectionem, & fuit dictum ab amore paterno, qui est maior omnibus. n. 15.

Nominatio in filium, facta à Patre, efficit, ut naturalis pro legitimo habeatur taliter nominatus, & hoc fauore filiationis. n. 16.

Intrusi sunt à iure odibiles & execrabiles. numer. 16.

Illatio non debet fieri de casu fauorabili, ad casum odiosum. n. 17.

Nominatio facta per Papam in Prælaturam de eo qui est intrusus, ex eo iste nullum ius consequitur quoad titulum, neque quoad possessionem. n. 18.

Etiamsi id efficiat ex certa scientia. n. 19.

Intellige ut n. 23.

Papa, vel alius Superior habens potestatem dispensandi, si certò sciat aliquem esse intrusum in Prælatura, & eo non obstante illum nominat Prælaturam illius Ecclesiæ, ex eo videtur cum ipso dispensare. n. 20.

Papa, vel Episcopus, si videant irregularem celebrare, & certò sciant esse talem, nec contradicant, ex eo videntur cum illo dispensare. Quod extendit ad impedimenta matrimonij, & alia similia. n. 20. & sequent.

Intrusus in Prælaturam si à Papa, vel alio quopiam fuerit nominatus pro Prælato, ignorando intrusionem, talis nominatio non sanat illum defectum. n. 23.

Diximus supra, q. 94. intrusionem purgari ex solius Papæ dispensatione, & consequenter in præsentem dicendum videtur, quod per nominationem factam à Papa de aliquo in Prælaturam talis Ecclesiæ, vel Præ-

laturæ, in qua se intrusit, censetur dispensatus ad eam obtinendam.

Quæ conclusio probari videtur ex *Clement. vnica, de probationibus*, ex qua colligitur, quod verba Papæ, incidenter in alium directa, verè probant illud, super quo fuerunt prolata; vt cum pluribus aduertit Menochius *conf. 2. n. 19. volum. 1.* dicens, quod verbis etiam enunciatiuis Imperatoris, vel supremi Principis, deferendum est; & *Cæuallos tom. 4. comm. contra communes, q. 897. n. 178.* resoluit, quod attestatio Pontificis facit plenam fidem, & probationem, taliter quod in contrarium nulla debeat admitti; Rota in *vna Oxomen. beneficij 24. Octobris 1611. coram Damasceno impressa in recensionibus Farinacij 10. 2. decis. 361. n. 1.* & *Aloysius Riccius in collect. decis. pag. 5. collect. 1825. n. 1.* constituit regulam ab omnibus admittam, quod verba narratiua Papæ inducunt probationem: de quo plura cumulare possemus; ergo in præsentem casu, si Papa aliquem nominaret Prælaturam talis Ecclesiæ, operabitur, quod illa nominatio plene probabit, illum esse talem, & consequenter ei præbebit canonicum titulum.

Secundo probatur ex *cap. ex ore, de his quæ fiunt à maiore parte capituli*: ex quo colligitur, quod nominans aliquem vt Prælaturam, ex eo videtur pro tali ipsum approbare; & docet *Rebuffus in tract. nominationum, q. 1. n. 9.* ergo si Papa nominauerit aliquem vt Prælaturam, ex eo videtur ipsum approbare, non obstante intrusione.

Tertio facit quod notant *Innocentius, & Hostiensis in cap. cum ab Ecclesiæ, de offic. Ordinarij*, vbi resoluunt, quod si Princeps scribat alicui vt Collegio, vel Ciuitati, ex eo videtur pro tali haberi; ergo pariformiter in præsentem per nominationem Papæ in Prælaturam, tribuet intruso canonicum titulum.

Quarto ponderari potest textus in *§. apud Catonem, Institut. de adoptionibus*, vbi loquendo de seruo, quem Dominus filium appellat, ita ait: *Vnde & nos eruditi in nostra constitutione, etiam cum seruum, quem Dominus actis interuenientibus filium suum nominauerit, liberum esse constituimus &c.* ergo eodem modo per nominationem factam à Pontifice in Prælaturam, liberabitur intrusus à vitio intrusionis.

Eodemque profus modo & quinto probatur ex *cap. per tuas*, vbi *Glossa verbo, Filium appellauit, &c.* plura cumulat sub titulo, qui filij sint legitimi, ex quo patet, quod nominatio filij efficit, vt pro legitimo habeatur, taliter quod ex illa nominatione ius acquirat: Ergo &c.

Sed

9 Sed his non obstantibus contrarium expressè probatur ex *Clementina, si summus, §. similiter, de sentent. excomm.* vbi ita ait: *Similiter quoque, si quem sub titulo cuiuslibet Dignitatis, exceria etiam scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, vel quouis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere noui iuris: & optimè ad intentum Tiracquel. de nobilit. cap. 6. n. 24. & 25.* Ex quibus verbis liquidò colligitur, illam nominationem Papæ factam in Prælaturam, respectu illius qui est intrusus, non habilitare ipsum nec dispensare à vitio intrusionis.

10 Et rationem adducit *Innocentius in d. §. si summus, n. 9. vers. glossa non intelligitur &c.* videlicet, ne per talem nominationem daretur ansa, vt aliquis se intruderet in beneficium Ecclesiastico sine canonica institutione, quod quidem iura summopere abhorrent; vt in *cap. 1. de regul. iur. in 6.* cum similibus, idque fieret simulando intrusionem, & quoquomodo procurando, vt per talem nominationem factam à Papa liber remaneret ab intrusione.

11 Nec obstant quæ pro contraria opinione ponderantur: Nam ad primum (de quo supra, n. 2. respondetur, quod dicta *Clementina vnica de probat.* intelligitur, quando Papa loquitur de facto proprio, & in eo fundat suam intentionem; quia tunc eius simpliciter assertioni standum est taliter, quod omnia filere debeant: vt docet *Glossa ibidem, verbo, fundatur, & copiosè tradunt Mascard. de probationibus conclus. 139. ferè per totam, & conclus. 630. Castillo tom. 7. de Tertij, cap. 6. Cæuallos tom. 4. comm. contra communes q. 897.* & in hoc conueniunt omnes Doctores: ex quo sequitur, quod decisio illius textus non adaptatur ad casum præsentem, cum in eo non loquatur Pontifex de facto proprio, vt patet ex ipsius contextura.

12 Nec similiter obstat secundum, de quo supra, n. 5. quia satisfit ex his quæ docent communiter Doctores, videlicet quod dispositio *dicti capituli, ex ore*, locum sibi vendicat in inferiore à Papa, nam ille per talem nominationem in Prælaturam, videtur ipsum approbare quoad sui præiudicium; non verò quoad præiudicium Tertij, vel iuris publici; vnde cum in nostro casu datur præiudicium publicum per admissionem in Prælaturam, quem intrusus esse constabat, & similiter adit præiudicium ipsius Ecclesiæ, & alterius Tertij, scilicet veri Titularis sequitur quod sola nominatio non potest operari sanationem intrusio-

Tract. de Intrusione.

nis. Tum & etiam dici potest cum *Cardinali in d. cap. ex ore, & in cap. per tuas, qui filij sint legitimi*, quod in specie *dicti cap. ex ore*, non fuit sola nominatio, sed etiam quod ille nominans efficit actus positiuos, præstando illi reuerentiam, & obedientiam, tanquam Prælato, vt patet ex litera ipsius textus; & faciunt tradita per *Rebuff. in tract. nominationum, quæst. 1. num. 11. & sequent.* & exinde non est mirum, quod approbatio ab illa priuata persona inducatur, sed ex eo nihil resultat contra prædictam resolutionem.

Cui nec etiam officit tertium, de quo supra, num. 6. Nam doctrina *Innocentij & Hostiensis* locum habet, quando Princeps ex animo deliberato cum certa scientia concedit illum honorem Collegio, vel Vniuersitati; non autem si incidenter, vel inconsultò id efficiat, vt deducitur ex *dict. Clement. si summus, in l. responso, de sentent. excomm.* ibi, *Nisi se velle exprimat, &c.* Et videtur quod *Glossa ibidem, verbo, velle*, approbat hunc intellectum, qui etiam colligitur ex *l. idem Vipianus 12. §. sunt & alij, in vltimis verbis, de excusation. tutorum*, ibi, *Et horum alterutrum literis significantis.* Ex quibus colligit *ibidem* *Glossa marginalis*, quod in gratia Principis requiritur scriptura, præsertim vbi per gratiam quis vult aliquid consequi; & ideo sola nominatio non operabitur illos effectus, si de voluntate non constiterit: prout optimè resoluit *Roderic. Suarez allegatione 12. num. 24.*

Nec similiter obstat quartum, de quo supra, n. 7. quia ideo illa nominatio filij, facta seruo per Dominum, efficit, vt consequatur libertatem; quia eius fauor facit extendere quidquid conducit ad ipsam affectandam; & ideo nomen illud, *Filius*, ostendit intrinsecam dilectionem: quia, vt aduertunt Doctores communiter, nomen illud, *Filius*, dictum fuit à beneuolentia, & amore, qui quidem quando originem sumit ex dilectione paternâ, constantior, & fortior est omnibus aliis, quos natura habere potest, & eo existente, præsumptio iuris facit extendi nominationem filij ad libertatem, & ita insinuare videntur *Cardin. & Imola in d. Clement. si summus, §. similiter, de sententia excomm.*

Et ex hoc etiam resultat responsum ad 16 quantum & vltimum, de quo supra, num. 8. quia fauore filiationis admittitur, nominationem filij efficere, vt talis nominatus habeatur pro legitimo, & quod ex eo, ipse aliquid ius consequatur, ex quo cecinit *Sophocles in Electra.*

Y

Magna

Magna vis est procreationis: nam neque si mala

Patiatur aliquis, prolem à segenitam odisse potest.

At verò in nostro casu diuersimodè iudicandum est, cum intrusus sit tam execrabilis in iure, iuxta ea quæ diximus *suprà*, *quæst. 26. & quæst. 48. & quæst. 51. num. 21. & 22.* & exinde sequitur, illum esse odibilem; per ea quæ notant Doctores *in cap. 1. de regul. iur. in 6.* per eum textum.

17 Et ideo non debet fieri illatio de casu nominationis in filium, qui est favorabilis, ad casum intrusionis, summopere odiosum.

18 Et notandum est, quod prædicta locum sibi vendicant in intruso in quacumque Dignitate, Officio, Personatu, vel Administratione, ut docet Glossa *in d. Clement. si summus, §. similiter, verbo, dignitatis, de sententia excomm. & tradit Cardinalis ibidem, in 1. quæstione*, ubi varias ampliaciones adducit, videlicet quod per talem nominationem ille intrusus non consequatur ius in officio, vel beneficio, aut dignitate, non solum quoad proprietatem, verum nec etiã quoad possessionem, vel titulum: quod probatur ex *d. §. similiter, ubi in finalibus verbis* deciditur, quod per talem nominationem, quidquam iuris per eum non tribuatur.

19 Ex quibus deducitur, quod etiam si Papa aliquem honorem tribuerit tali intruso, vel aliquam tractationem, quæ aliquo modo inducere posset dispensationem, ex eo solum non censetur dispensatus: ut patet ex *d. §. similiter, ibi, Honoret, seu quevis alio modo tractat, & caprou* latè comprobant *ibidem* Cardinalis post Glossam, & Geminianus *in 7. notab.*

Quod quidem in tantum est verum, ut locum etiam habeat, quamvis ex certa scientia Papa efficiat talem nominationem, seu tractationem, vel talem honorem præstiterit, ut patet ex *d. Clement. si summus, & ibidem* Glossa, *verbo, si summus*, ubi latè comprobatur, de quo dicemus infra, *q. 100. num. 16. & seq.*

20 Et quamvis prædicta vltima opinio verior sit, fortasse dici posset, quod distinguendum sit, an Papa vel Superior, habens potestatem dispensandi, certò sciat talem nominatum esse intrusum in ea Dignitate, Prælatu, vel Officio, & tunc videatur cum eo dispensare; argumento sumpto ex eo, quod si Papa, vel Episcopus videant aliquem irregularem celebrare, vel habentem aliquod impedimentum contrahere matrimonium, quod illis sit notum, nec contradicant, ex hoc videntur cum illis tacite dispensare, ut probabilius cum pluri-

bus docent Azor. *tom. 1. institutionum moral. lib. 5. cap. 15. quæst. 10.* & plures referens Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. disput. 4. num. 26.* ubi rationem reddit: quia cum Superiori ex officio incumbat refrenare delicta subditorum, cum videt, & potest; præsumeretur in illo delictum grauissimum, si se non opponeret; & consequenter ne in illud incidat, præsumendum est, velle tacite cum illo dispensare. Et quamvis aliqui contrarium teneant, ut referunt Paris. *de resignat. benef. lib. 4. quæst. 3. num. 63. cum seq. 21* & alij penes Sanchez, *ubi proximè*; at tamen prædicta opinio verior est, & tenenda prout testatur etiam Barbof. *in collect. ad text. in d. Clement. si summus, num. 7. de sententia excomm.* & in hunc sensum intelligi potest prima opinio, videlicet quod si Papa sciendo verè intrusionem, nominauerit in Prælatum, vel in Dignitatem, talem intrusum, tunc cum eo dispensare videatur.

Nec obstat contra hanc partem quod proximè diximus *num. 19.* nam intelligenda sunt quoad actum nominationis, vel tractationis, hoc est, quod et si Papa certò sciat illum tractare, vel nominare Prælatum, Dignitatum, &c. si tamen ignorat ipsum esse intrusum, ex ea sola nominatione, quamvis scienter efficiat, non consequitur dispensationem, aut aliquod ius, ex quo intrusio sanata censetur: & iuxta hunc sensum explicandum est quod diximus *suprà, in d. num. 19.*

Et ex hoc sequitur, quod si Papa, vel Superior quoquo modo ignorat intrusionem, tunc nominatio, vel aliud obsequium nullatenus operabitur aliquam approbationem, seu dispensationem, sed immo intrusio, seu inhabilitas firma remanebit, sicut ante ipsam nominationem existerat: & ad intentum ponderari possunt, quæ lato calamo plura adducens congerit Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 20. n. 20. cum seq. usque ad finem*, & iuxta hanc partem intelligi potest secunda opinio adducta *suprà, n. 9. & seq.* videlicet quod talis nominatus à Superiore non censetur dispensatus, si ille ignorabat intrusionem, quamvis cum certa scientia nominationem effecisset: de quo videbis Glossam *in cap. dudum, el 2. §. licet, autem, circa medium, verbo, expressa, de electione*, & hoc pacto prædictæ contrariæ sententiæ in concordiam redigi possunt.

* * *

Q V Æ S T.

QVÆSTIO XCVIII.

Si aliquis ad euitandam intrusionem à Papa consequatur dispensationem ad obtinenda duo beneficia Curata, & illâ concessâ, contraxerit matrimonium, quod postmodum fuit dissolutum per mortem vxoris, dubium oritur, an denuo sine vitio intrusionis possit obtinere duo beneficia Curata, virtute illius dispensationis.

S V M M A R I V M.

Dispensatio obtenta pro consequendo beneficio extinguitur, si dispensatus contrahat matrimonium. n. 1.

Sed contrarium est verius. n. 12. & sequen.

Matrimonium extinguit omne ius, quod contrahens habet in beneficio. n. 2. & 15.

Beneficia ipso iure vacant per contractum matrimonij, & ideo si contrahens illa retineat, peccat mortaliter. n. 2. & 3. & 7.

Dispensare non potest Episcopus, ut contrahens matrimonium retineat beneficia Ecclesiastica, etiam simplicia. n. 4.

Priuilegium concessum contemplatione & respectu officij, extinguitur statim atque istud resolutur. n. 5.

Dispensatio seu concessio Papæ semper intelligitur facta, rebus sic stantibus. n. 6.

Beneficium datur propter officium, & ideo si officio aliquis fuerit priuatus, censetur etiam priuatus beneficio. n. 7.

Personalia extinguntur cum ipsa persona. n. 8.

Priuilegium concessum personæ, mutatur, & extinguitur, mutata, vel extincta persona. numer. 9.

Res Reipublicæ, vel Ecclesiæ si legitime alicui personæ non fuerint concessæ, præscribi poterunt per spatium, quo ceteræ res priuatae. numer. 10.

Priuilegium amittitur per tacitam renunciationem. n. 11.

Dispensatus ad obtinenda duo beneficia si contrahat matrimonium, eo dissoluto poterit vti illa dispensatione sine vitio intrusionis. n. 12. & 25.

Dispensatio ad obtinenda duo beneficia incompatibilia, nullum ius ad rem, vel in re attrahit.

Tract. de Intrusione.

buit, sed tantum habilitat, ut dispensatus insimul illa consequi possit. n. 13. & 25.

Matrimonium non impedit quominus eo soluto, possit vir obtinere beneficia, si non sit illaqueatus alio canonico impedimento. num. 14. & 15.

Dispensatio efficit, ut auferatur obstaculum, quod impediēbat, ne dispensatus vti possit re, super qua fuit illa obtenta. n. 16. & 25.

Dispensatio à Superiore concessa ut extincta censetur, non sufficit renunciatio dispensati, sed requiritur etiam acceptatio concedentis. n. 17. & 18. cum seq.

Renunciatio priuilegij non mutat voluntatem concedentis, sed eadem semper perseverat: & ideo is cui fuit concessum, poterit illo vti. numer. 18.

Res omnes per quas causas nascuntur, per easdem dissoluntur, si dissolubiles sint. n. 19.

Priuilegij acquisitio ut effectum sortiatur, requiritur consensus concedentis, & voluntas eius, cui conceditur. n. 20. & 22.

Dispensatus ad contrahendum matrimonium cum consanguinea, quamvis tunc cum illa non contrahat, dissoluto tamen alio matrimonio prius contracto, vti poterit tali dispensatione. n. 21. & 22.

Causa dispensationis cesset, non ex eo cessat ipsa dispensatio. n. 23.

Clericus in minoribus constitutus, gaudens fori priuilegio, illud amittit per contractum matrimonij, sed eo dissoluto, reuiuiscit sicut & antea habebat, seruatis requisitis Tridentini. n. 24.

Dispensatio alicuius impedimenti, vel inhabilitatis aufert obstaculum, quo dispensatus impeditus existerat, ne vti possit re, supra quam illa cadit. n. 25.

Dispensatio concessa personæ super aliquod obstaculum radicata, permanet in ipsa persona, cui facta fuit. n. 26.



ELEBRIS est hæc quæstio, cuius resolutio pender ex illa, an scilicet dispensatio obtenta ante contractum matrimonium, ipso celebrato taliter sit extincta, ut post dissolutionem, dispensatus ea se iuuare non possit? in quo dubio Philip. Prob. qui hanc quæstionem in terminis exagitat *in addit. ad Ioan. Monach. in cap. unico, de clericis coniugatis in 6.* lato calamo, ex *n. 6. cum sequen.* defendit, hanc dispensationem esse extinctam, taliter quod dispensatus nullatenus se illa poterit iuuare post dissolutum matrimonium prius contractum: & fundatur in eo, quia statim atque matrimonium contrahitur, extinguitur, & aufertur omne ius, quod habet contrahens

Y 2 in

in beneficio, nam ipso iure vacat, vt tradit communiter Doctores in cap. 1. de clericis coniugatis, Bernardus Diaz in praxi canonica, cap. 80. n. 5. Mascard. qui de comuni testatur, de probationibus, conclus. 182. n. 6. & infinitos referens Barb. in pastoralis p. 3. allegat. 57. num. 202. quod est verum, etiam si beneficium sit simplex, illudque retinere intendat de licentia, & dispensatione Episcopi, vt docent Selua de beneficiis p. 1. q. 7. n. 8. Henriquez in summa lib. 13. cap. 14. §. 1. & ibidem Glossa lucra K. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 4. q. 2. n. 29. Thom. Sanchez tom. 2. de matrim. lib. 7. disp. 42. n. 18. & fere omnes Doctores.

4 Quod quidem in tantum est verum, vt talis contrahens matrimoniū peccet mortaliter retinendo beneficium, tanquam iniustus & intrusus detentor rei non suæ, & in materia grauissima vt cum Angelo, Nauarro, & aliis docet Sanchez ubi proxime, n. 11. in fine: ergo extincto iure beneficii extinguatur etiam debet dispensatio, tanquam sequela, & resultantia, per quam ius ad beneficium fuit obtentum.

5 Secundò, quia priuilegium concessum contemplatione & respectu officij, extinguatur eo ipso, quod officium extinctum maneat: vt insinuat Bartol. in l. maximatum, C. de excusation. munerum, lib. 10. & in l. quod sub pretextu, C. de sacrosanct. Eccles. & in l. semper, ff. de iure immunitatis, sed talis dispensatio fuit concessa à Papa ratione officij clericalis, per ea quæ docent Garcia de benef. p. 1. cap. 2. n. 60. & p. 7. cap. 11. n. 1. Moneta de distrib. p. 2. q. 2. num. 40. & alij penes Barb. de vniuers. iure Eccles. lib. 2. cap. 4. n. 14. ergo cum omnino cesset officium propter matrimonium contractum, cessare debet etiam dispensatio.

6 Tertio, quia concessio Papæ semper intelligitur facta, rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus; vt probat Ioan. Monach. in cap. statutum, el segundo, in verbo, cum perseverantia, n. 9. de hereticis in 6. sed Papa concessit talem dispensationem intuitu & contemplatione officij clericalis in posterum exercendi ab ipso dispensato, vt obtinere possit beneficium quod ei non licebat, & cum beneficium detur propter officium, iuxta textum in cap. finali, de rescrip. vbi latè Glossa verbo, datur, quæ docet priuatum officio censi priuatum beneficium tanquam legitima sequela, deducitur exinde, quod ex matrimonio celebrato fuerit effectus incapax beneficiorum obtentorum ante illud, taliter quod ipso iure sine alio ministerio vacauerint, vt latè cum pluribus tradit Barb. in d. allegat. 57. à num.

202. cum sequen. vbi varias ampliationes adducit; ergo cessante officio & ministerio in ipso dispensato, cessare & extingui debet ipsa dispensatio, quæ tanquam personalis, mortua extitit, impedita persona, quæ illa vti poterat: nam personalia cum ipsa persona finiuntur: vt docet Martin. Perez in tract. de matrim. disp. 47. sectione 1. n. 4. & in hoc vno ore concordant communiter Doctores.

9 Quarto & vltimò, quia mutatione personæ mutatur etiam priuilegium; iuxta tex. in l. per Procuratorem 89. aliàs, Paulus, in fine, ff. de acquirenda hereditate, ibi Quia castrensia esse mutatione personæ desierunt &c. quem textum vt mirabilem commendauerunt ibidem Imola & Aretinus, ad probandum, quod si res Reipublicæ, vel Ecclesiæ, legitime non fuerint concessæ alicui priuatæ personæ, quod illæ præscribi poterunt per spatium, quo cæteræ res priuatæ, ex regula tradita, quia per mutationem personæ &c. de quo latè Marianus Socin. conf. 93. incip. circa primum, col. 6. & conf. 153. col. 6. circa medium.

11 Quibus addi potest, quod priuilegium amittitur per tacitam renunciationem, vt latè tradit Barb. in pastor. p. 2. allegat. 26. n. 11. ergo talis renunciatio inducitur ex subsequuto matrimonio, & ex consequenti extinctio.

12 Hæc sunt fundamenta quibus Probus tuetur prædictam sententiam, quæ quidem breuiter adducit Thom. Sanchez tom. 2. de matrim. in d. lib. 7. disp. 42. n. 8. vbi n. 9. contrarium apprimè defendit, videlicet, quod nullatenus talis dispensatio per contractum matrimonij extincta censeatur, sed immo quod eo soluto in vim illius dispensationis illa beneficia obtinere, & sine aliquo vitio intrusionis ipsa possidere possit.

13 Et mouetur ex eo, quia dispensatio nullum ius in re, vel ad rem attribuit, sed tantum amouet impedimentum, & incapacitatem quam habebat, ne in simul illa beneficia obtinere posset, reddendo ipsum capacem, & habilem ad consequendum beneficium: ad quod corroborandum allegat Ioan. Monach. ad cap. primum, de filiis presbyt. in 6. n. 12. & ipsum Philip. Probum in addit. ad ipsum, in cap. unico, de clericis coniugatis, in 6. n. 30.

14 Ex quo infert Sanchez, quod cum matrimonio omnino non aduersetur capacitati, & habilitati ante illud acquisitæ ratione alicuius impedimenti ad beneficiū, sicut nec opponitur capacitati naturali, quam habet ad illud, qui nullo canonico impedimento laborat, exinde sequitur, dispensationem non esse extinctam; aliàs sequeretur

queretur absurdum, videlicet quod nullus coniugatus esset capax beneficii, vxore mortua. Ex quibus apertum est discrimen inter ius ad rem, vel in re, aut inter habilitatem ad beneficia: nam per matrimonium remanet extinctum omne ius ad rem, vel in re, quod contrahens habebat ad beneficium, & tunc ipso iure fuit effectus incapax, & ei renunciavit per superuenientiam matrimonij: vt in d. cap. unico, de clericis coniugatis in 6. sed ex eo non aufertur habilitas ad illud consequendum quando de iure fuerit capax, hoc est, dissoluto matrimonio.

16 Secundo probat Sanchez suam sententiam ex eo, quod obtentio dispensationis efficit, vt impedimentum auferatur, reddendo habilem ipsum dispensatum, & tunc dispensatio suum sortita est omnimodum effectum, non quod ius aliquod ad beneficium præbeat, sed solum aufert impedimentum, quod obstabat habilitati naturali: cum igitur illud omnino fuerit extinctum per dispensationem, nulla ratione dici potest, per matrimonium reuixisse, sed quod semper durat dispensatio ad effectum, vt in vim illius capax existat dispensatus ad obtinendum beneficium, quod alias sine dispensatione retinere non poterat, & hoc tempore habili, videlicet quando habuerit capacitatem, hoc est soluto matrimonio. Hæc sunt fundamenta quibus vitur Sanchez ad defendendam hanc opinionem, quam verissimam & omnino tenendam iudico.

17 Et præter superius tradita per Sanchez ponderari potest ad intentum, quod dispensatio vt abdicata dicatur, & vt abdicatio seu extinctio locum habeat, requirit præter renunciationem externam factam ab eo, cui concessa est, acceptationem concedentis, vt cum Suarez lib. 8. de legib. cap. 33. à num. 18. & sequent. & Sanchez in d. tom. 2. de matrimonio, d. spnt. 33. num. 2. latè defendit Martin. Perez in eodem tract. de matrim. dispnt. 47. sect. 1. num. 7. vbi postquam prædictam conclusionem firmavit, ita ait: Pater, quia renunciatio priuilegij non mutat voluntatem Prælati concedentis, sed eadē perseuerat: ergo quandiu non constat de illius mutatione, liberum est priuilegiato, mutare voluntatem suam, & priuilegium acceptare. Nam à Superiore per se pendet tam mutatio priuilegiorum, quam concessio: & ab illius consensu per se pendet tum priuilegij effectus, tum etiam effectus priuilegio contrarij, quod sic expedit humanæ gubernationi, vt omnia ordinatè fiant:

18 Et certè omnis res per quasunque causas

nascur, per easdem dissoluitur, si dissolubilis sit: Cum ergo ad priuilegij acquisitionem exigatur concedentis, & eius cui conceditur, voluntas, similiter ad eius destructionem vtraque desiderabitur. Hęc Perez. qui ibidem num. 8. & 9. latè prosequitur, & resoluit, renunciationem dispensationis solum posse acceptare qui concessit.

20 Et ex hac doctrina rectè colligitur, quod etiam si talis dispensatus non solum renunciauisset videretur per contractum matrimonij, sed immo si id expressè effecisset, quod adhuc dispensatio firma permanet, donec Superior concedens admiserit renunciationem, & consequenter quod dispensatus soluto matrimonio vti poterit dispensatione.

21 Quod quidem fortius confirmatur ex eo, quod ipse Martin. Perez docet ibidem in d. sect. 1. num. 10. vbi ita ait: Colligo tertio, quod dispensatio obtenta vt inter duos consanguineos matrimonium contrahatur, si alter, vel vterque aliis nuptiis copulatur, relictis illis ad quas dispensatio obtenta est, efficit vt possint vidui effecti iungi inter se virtute prioris dispensationis.

22 Ratio est, quia cum semel ablatum sit impedimentum consanguinitatis, & illi habiles effecti sint ratione dispensationis præteritæ, non est cur ratione sequentis matrimonij impedimentum illud reuiuifcat. Et quamuis tacita fuerit illius dispensationis renunciatio per transitum ad alias nuptias, non tamen fuit à concedente acceptata. Idem dico tamen si impedimentum ablatum non sit, eo quod Ordinarius, vel Cōfessor, quibus dispensationis exequutio commissa est, illam non sint exequuti: quia cum tacita illa renunciatio non sit acceptata, non perit facultas illa ad exequendam dispensationem, &c. vsque huc Perez; cuius verba apprimè faciunt ad intentum, nec indigent aliqua extensione, aut explanatione.

23 Tertio ponderari potest quod diximus supra, quæst. 94. num. 20. & sequent. cum Pontio de Leon, videlicet quod etsi cesset causa dispensationis, non ex eo cessat ipsa dispensatio, vt ex variis fundamentis ibidem annotatis patet; ergo in præfenti quamuis cesset causa dispensationis, dum matrimonium perseuerat, videlicet quod dispensatus ea vti non potest, adhuc tamen ipsa dispensatio durat, & consequenter quando dispensatus habilis reperietur, (hoc est dissoluto matrimonio) gaudere poterit liberalitate & priuilegio concessio.

24 Denique considerandum est ad corroborationem prædictorum, quod docet Bar-

bosa in pastor. par. 2. allegat. 12. num. 28. & aliàs dixi in meo pastor. Regular. par. 3. vot. 3. vbi latè fuit ventilatum, an Clericus in minoribus constitutus, qui priuilegio fori gaudebat, & postmodum matrimonium contraxit (ex quo amisit priuilegia clericalia) mortua vxore illa reuiuiscant, eo prorsus modo ac ante contractum matrimonium habebat; & latè probauimus, itidem reuiuiscere, sicut ante ipsum contractum, quam decisionem variis rationibus, & fundamentis exornauimus; & num. 21. plures sacræ Congregationis declarationes adduximus: ergo similiter in præsentī dicere debemus, quod sublato impedimento matrimonij, ex cuius causa oriebatur, ne dispensatus vti posset dispensatione, hæc reuiuiscat eodem prorsus modo, sicut ipsam habebat ante celebrationem matrimonij. Ex quibus hanc opinionem verissimam & tenendam iudico.

25 Nec obstant, quæ contra eam considerauit Philip. Prob. (de quibus supra, num. 2. vsque ad 11.) quia breuiter cum ipso Sanchez in dict. lib. 7. dub. 42. num. 9. in fine, responderetur, quod (vt iam diximus) dispensatio differt, & non habet connexionem quoad ius ad rem, vel in re, obtentum in beneficio; enimvero illud amittitur per contractum matrimonij, at verò ex dispensatione nullum aliquod ius acquiritur, sed tantum operatur, vt sublata remaneat inhabilitas, & incapacitas ad obtinenda beneficia, reuoluidando actum, qui sine dispensatione inualidus existeret, reddèdo ipsum capacitatem ad consequenda beneficia, vt diximus supra, & aduertit Gratianus tom. 5. discip. forens. cap. 895. num. 18. & cap. 936. num. 3. 8. & 28. quod quidem nullam repugnantiam habet cum matrimonio, & consequenter dispensatio firma remanet, vt dispensatus ea se possit iuuare, quoties obstaculum matrimonij remotum fuerit, vt patet ex supra dictis.

26 Nec similiter obstant alia tria argumenta: quia vnico verbo ipse Sanchez responderet, & soluit, videlicet quod illa dispensatio suum omnino sortitur effectum auferendo impedimentum, quod quidem tantum respicit personam dispensati, & in illo tunc, quando conceditur, suum sortitur effectum, & exinde non pendet ex aliquo futuro euentu, sed in ipsamet persona radicata remanet, influendo tam de tempore dispensationis, quam de futuro subsequendo, & exinde non potest argui de casibus in argumento deducti, ad præsentem, quia sunt diuersissimi, nec habent connexionem, aut comprehensionem vnus ad alterum.

QVÆSTIO XCIX.

Si quis consequatur dispensationem, vt cum duobus Personatibus ab ipso obtentis, possit & tertium recipere, si in obtentis, vel vno illorum sit intrusus, an super intrusione, vel defectu tituli, censetur cum eo quoque dispensatus.

S V M M A R I V M.

Intrusus in vno ex duobus, vel aliis personatibus obtentis, si consequatur dispensationem, vt tertium retinere possit, censetur dispensatus quoad primum, in quo erat intrusus. numer. 1.

Sed contrarium est verius. n. 3. & sequen. Legatum factum vxori per virum de re, quam ei donauerat, intelligitur de re inualidè donata. n. 2.

Intellige vt n. 15. Nemo potest duas Parochiales obtinere sine dispensatione Apostolica. n. 3.

Limita nisi vna pendeat ex altera, vel nisi vna habeat intitulatam, & alteram in commendam. n. 4.

Dispensatio ad obtinenda plura beneficia non intelligitur concessa, nisi pro illis canonicè obtentis. n. 5. & 14.

Papa dispensans cum aliquo, vt insimul plura beneficia retinere possit, non est sua intentionis dispensare, nisi in canonicè adeptis, si aliàs id non exprimat. n. 6. & 7.

Legatum inutile non confirmatur per ordinationem, & prorogationem dici. n. 7.

Dispensatio ad obtinenda priora beneficia, non officit, nec dat prorogationem, vt si canonicè non fuerint adepti, sanetur intrusio. n. 8.

Papa si simpliciter concedat rescriptum, vt quis sua possit retinere beneficia, licet sint plura, intelligitur, & restringi debet ad ea, quæ canonicè adeptus fuit. n. 8.

Dispensatio ad obtinenda plura beneficia non operatur, vt ea possint retineri sine canonico titulo. n. 9. & 10.

Dispensatio ad obtinenda plura beneficia habet in se imbibitam clausulam, si tibi aliàs canonicè conferantur, &c. n. 10.

Dispensatio ad plura beneficia non habet locum, nisi pro beneficiis canonicè obtentis, taliter quod si dispensatus illa canonicè non retineat,

retineat, erit intrusus, & pro tali puniri potest, licet aliàs firma remanebit quoad retentionem beneficiorum legitime obtentorum. n. 11. & 12. & 14.

Dispensatio ad plura beneficia est odiosa, & vt talis restringenda. n. 13.

Dispensatio regulariter scindit ius, & vocatur Vulnus, & ideo non debet extendi de casu ad casum, quamuis vigeat eadem vel maior ratio. n. 14.

- 1 **I**N specie propositi dubij videtur dicendum, talem intrusum dispensatum vt cum duobus Personatibus ab ipso obtentis, tertium etiam consequi valeat, censi dispensatum quoad primum, in quo erat intrusus: argumento sumpto de textu in l. si quando. ff. de legatis primo, ex quo probatur, quod si vir legauerit vxori, quæ ei donauerat, intelligitur legatum factum de donatione inualida, ergo similiter in præsentī, si dispensatio fuerit obtenta, vt quis plura beneficia retinere valeat, intelligi debet, influere dispensationem in beneficiis, quæ non canonicè & legitime possidebat.
- 2 Sed contrarium deciditur in cap. dudum, el segundo, § licet autem, vers. insuper, de electione, ex quo patet Papam concessisse Decano Rothomagen. sub prætextu, quod redditus suarum Ecclesiarum essent tenues, quod posset cum talibus Ecclesiis recipere, & retinere Archidiaconatum Ambianen. Sed quia Decanus, qui ad eandem Ecclesiam Rothomagen. fuerat electus, suggererat, & veritatem supprelerat in tali dispensatione, & gratia; quia suggererat, quod prædictas Ecclesias per eum possessas canonicè fuerat assequutus, quæ quidem Parochiales erant, antequam in Archidiaconum fuisset assumptus, quas nullatenus retinere poterat, cum nemo sine dispensatione Apostolica duas insimul Parochiales obtinere valeat, iuxta textum in cap. de multa, vbi communiter Doctores, de præbendis; aut nisi vna pendeat ab altera, vel nisi vnâ habeat intitulatam, & alteram commendatam; Vnde cum prædictus Decanus ex nullo de dictis modis illas Parochiales retineret, sed ambas intitulas, nullatenus potuit ipsas ritè, & canonicè possidere, & habere; & ideo concludit ibidem Gregorius I X. in fine, dispensationem esse inualidam, nihilque operari quoad illas Ecclesias, canonicè non adeptas; & ita ait, *Nec intentionis nostra fuerit, aliquid ei de nouo concedere, sed vt per indulgentiam posset, habita licitè retinere, &c.*
- 3 Quæ quidem verba iuxta mentem In-

nocentij, & Cardinalis ibidem, in 5. notab. intelligenda veniunt, videlicet, quod prædicta dispensatio operatur, vt pluralitas non noceat illi, non verò ad effectum, vt canonicè beneficia possit obtinere, in quibus intrusus, & iniustus possessor reperiebatur: & num. 16. prædicta confirmat dicendo, quod ex illis verbis deducitur optimum argumentum, & quasi expressum, quod si Papa cum aliquo dispensauerit, vt insimul plura incompatibilia beneficia retinere possit, intelligendum fore, vt solum dispensatio se extendat quoad beneficia aliàs canonicè adepta, & solum influat, vt pluralitas non noceat taliter dispensato, non verò vt titulus in eo de nouo acquiratur ad sanandum defectum, quem in se habebat ratione intrusionis.

Secundò probatur, ex cap. si gratiosè, in fine, de rescriptis in 6. ibi, *Prætextu verò talis concessionis, qua debet (cum sit ambitiosa) restringi, ea solum beneficia, qua canonicè obtinentes, potes licitè retinere: &c.* vbi Glossa, verbo, canonicè, idem declarat, & ibidem alia Glossa marginalis sumit argumentum ex l. legata inutilia, in primo responso, de legatis 1. ex quo probatur, quod ordinatio, vel prorogatio diei non cõfirmat legatū inutile: & consequenter idem dicendum videtur in præsentī, videlicet quod dispensatio concessa ad retinendum priora beneficia, non intelligatur, prorogationem admittere quoad beneficia canonicè non adepta: vnde Dominicus in d. cap. si gratiosè, n. 6. infert, optimam regulam in materia rescriptorum, quod quotiescunque Papa concedit simpliciter, vt quis possit sua retinere beneficia, intelligatur, & restringi debeat ad ea, quæ canonicè possidet.

Tertiò facit textus in cap. non potest 21. §. cum vero; de præbendis, in 6. vbi ita ait: *Cum verò tibi (non obstante quod aliud beneficium obtinere noscaris) à Sede prædicta de aliquo beneficio prouideri contingit, per hoc tecum, vt primum beneficium cum secundo retinere valeas, non intelligitur dispensatum: Hoc enim solum prædicta operatur expressio, quod facta tibi gratia, nequeat subreptitia iudicari, &c.* ex quibus verbis colligit Gonzalez ad regul. 8. glos. 15. in principio, n. 27. quod talis dispensatio non operatur, & cum Nauarro & aliis concludit, plures in hoc decipi credentes ex tali narratiua, dispensatos remanere, & suam Sanctitatem plura obtinenti beneficia de nouo concedere, vt alia possit impetrare; quia non ex eo intentionem habet dispensandi, &c. ad quod plures Doctores allegat. idem confirmantes. Et ratio est, quia quando Papa concedit tales dispensa-

tiones, solum intelligitur dispensare pro beneficiis canonicè obtentis, nam in dubio non intendit approbare institutionem, quæ canonica & legitima non fuerit.

10 Ultimo loco ad intentum ponderatur, quod in dispensatione obtrata ad plura beneficia, semper intelligitur clausula, *si tibi alias canonicè conferantur*: ut aduertunt Aretinus *cons. 7. incip. Procedendum* &c. quæ refert & sequitur Rebuff. *in praxi, p. 2. super Bullam dispensationis super defectu ætatis in expositione clausula*, si tibi alias canonicè conferantur, n. 1. & 2. & cum Geminiano *cons. 126. probat. Quintilianus, Mandos. super Regul. 20. de idiomate. q. 7. n. 8.*

11 Quæ conclusio probatur ex d. cap. *si gratiose, de rescriptis in 6. & in cap. non potest, de preben. eodem libro*, ex quibus sequitur, quod cum talis dispensatio non aliter concessa videatur, nisi pro beneficiis canonicè obtentis, si postmodum tali dispensato canonicè beneficia non conferantur, & in illis se intruserit, nullatenus illa dispensatio ei proficere potest ad sanandam intrusionem, & titulum infectum, ut licitè & canonicè retinere valeat illa beneficia iniuste quæ sita, sed immò contra ipsum tanquam intrusum, & iniustum detentorem procedi possit, licet aliàs dispensatio firma remanebit quoad retentionem pluralitatis beneficiorum, ad euitandam pœnam à iure statutam, ut docent Innocentius & communiter Doctores *in d. cap. dudum, el secundo, de electione, Compostel. ibidem, n. 15. vers. sed numquid, & Anchar. n. 12. in 9. opposiitione, vers. querit etiam si dispenseretur &c.*

12 Quamuis Anton. *ibidem, n. 75. vers. ego contra &c. videatur insinuare, & tenere contrarium respectu pluralitatis*; nam ipse sentit, quod prædicta dispensatio proficit, sed quod non habet vires, tam quoad beneficia canonicè non obtenta, quam quoad cætera: & rationem reddit, quia illa dispensatio est conditionata, videlicet si canonicè consequatur; unde si ita non sit, cessat conditio, & consequenter ipsa dispensatio non potest aliquid operari ad effectum ut obtinere possit plura beneficia; quæ sententia videtur etiam de mente Dominici *in d. cap. non potest, §. 1. n. 5. vers. quid si consequatur, de preben. in 6.* sed ipse lato calamo declarat, & intelligit hanc doctrinam; apud quem videre poteris, cum hic articulus immediatè ad nostrum intentum non pertineat.

13 Ratio prædictorum desumitur ex eo, quia tales dispensationes ad obrinenda plura beneficia sunt odiosæ, & ut tales strictissimè intelligendæ, *cap. quod dilectio, de*

consanguinitate, & affinitate, cap. 1. §. ille vero, in fine, de filiis Presbyterorum, in 6. cum aliis pluribus, & docent Surdus decif. 268. n. 21. Moneta de distribut. p. 2. q. 14. n. 15. & alij penes Barb. in pastor. p. 2. allegat. 33. num. 7.

Et exinde dispensatio vocatur *vulnus*,¹⁴ quia per eam ius scinditur, *cap. ipsa pietas, 23. q. 4.* & ideo sic interpretanda est, ut minus ius ipsum lædatur, non admittendo extensionem de casu ad casum, quamuis vigeat, vel reperiatur eadem, vel maior ratio; ut plura cumulans docet idem Barb. *in d. allegat. 33. n. 9. cum sequen.* Deducitur igitur exinde, quod dispensatio de nouo obtenta, si in ea expressè non dicatur, non influit ad sanandos defectus, & intrusionem, tam in obtentis, quam in obrinendis, in quibus non fuerit canonicè promorus: & ideo si habens plura beneficia minus canonicè acquisita, impetrauerit dispensationem ut plura possit habere, si in illa expressè non dixerit *de obtentis*, illa dispensatio non operatur quoad priora beneficia; quia ad ea non extenditur, propter rationes supra adductas; & ita docent Ioan. And. Innoc. & Hostien. *in d. cap. dudum, el secundo, de elect. & communiter Doctores cum Abbate, n. 16. vers. nota, prope finem, & Anto. n. 74. vers. primo quod si dispenseretur &c. Specul. de dispensat. lib. 1. p. 1. §. dicendum restat 10. n. 17. vers. sed quid si in dispensatione, Rebuff. in praxi p. 2. in Bulla dispens. super defectu ætatis, in glossa super illa verba, si tibi alias canonicè conferantur, &c. num. 2. vers. Item si cum aliquo, Aretin. cons. 7. incip. Procedendum, &c. col. 3.*

Nec obstat argumentum adductum supra, n. 1. & 2. nam vnico verbo respondent Archidic. Ioan. And. & Gemin. *in d. cap. si gratiosè n. 6. vers. oppono contra finem textus*; quo ideo *in d. l. si quando*, decidit Iuris Consultus, quod legatum relictum uxori de eo quod ipsi donauerat, non intelligitur de donatione valida, sed de inualida, ne aliàs esset inutile contra voluntatem testatoris tacitam, qui non præsumitur voluisse legare rem inutilem; argumento textus *in §. sed si rem, & §. ex contrario, Institut. de legatis*; quod quidem quam longè distat à nostro casu, ad oculum patet, in quo adsunt tot rationes superius allegatæ, & versatur in re summopere odiosa, prout est dispensatio, in qua standum est contexturæ verborum, ipsam restringendo ad terminos rigorosos concessionis, & non ultra extendendo.

Q V Æ S T.

Q V Æ S T I O C.

Intrusus impetrans beneficium, in quo se intrusit, an teneatur facere mentionem de intrusione præcedenti.

S V M M A R I V M.

Impetrans à Papa beneficium in quo se intrusit, tenetur facere mentionem de præcedente intrusione, alias gratia erit nulla & subreptitia. n. 1. & 7. cum seqq.

Gratia est subreptitia ex taciturnitate eorum que redderent difficiliorem animum Principis ad illam concedendam. num. 2. & 7. cum seqq.

Intrusio beneficii, commissæ ab impetrante, si esset nota Pape, non tam de facili concederet gratiam, & ideo debet exprimi. n. 3.

Quod extendit etiam si gratia motu proprio fuisset concessa. n. 4.

Gratia obtenta de beneficio viuientis reddit inhabilem impetrantem, ut non possit illud obtinere, etiam si postmodum vacet. numer. 5.

Beneficium viuientis qui accipit, perdit illud, & fit incapax ad aliud obtinendum. n. 6.

Intrusus per laicum in beneficio, fit omnino inhabilis ad illud obtinendum. n. 7.

Intrusus in beneficio, si non sit intrusus per laicum, non fit ineligibleis ad aliud Beneficium. n. 7. & 8.

Intrusus in beneficio per simoniam, est incapax, & inhabilis ad illud obtinendum. num. 9.

Intellige ut ibidem.

Impetrans beneficium in quo se intrusit, non tenetur facere mentionem de intrusione, si gratia fuerit facta motu proprio. n. 10.

Intellige ut n. 11. & seqq.

Clausula, Motu proprio, habet vim clausularum, Non obstantibus, &c. Ex certa scientia, &c. ac specialis expressionis, &c. tollitque omne vitium subreptionis. num. 10.

Intellige ut n. 11. & 12.

Clausula, Motu proprio, non sanat subreptionem, quoties hæc procedit ex re ipsa. numer. 12.

Subreptio est duplex: alia provenit ex parte impetrantis, altera ex re ipsa. Prima tollitur per gratiam motu proprio factam; non vero secunda. n. 13. & seqq.

Intrusus efficitur inhabilis ad obtinendum Beneficium in quo se intrusit. n. 15.

Subreptio sanatur, si gratia insimul fiat cum clausula, Motu proprio, & ex certa scientia: & tunc non erit opus intrusionem narrare in impetratione. n. 16.

Clausula, Ex certa scientia, operatur validitatem, & sanationem defectus etiam intrinseci existentis in gratia. n. 17.

Clausula, Ex certa scientia, tollit omne iuris obstaculum; & exinde in impetratione gratia non erit opus facere mentionem de intrusione. n. 17.

Intrusio purgatur restituendo rem, in qua quis se intrusit, & tunc in impetratione gratia non erit necessaria mentio intrusionis. n. 18.

Mentio intrusionis non erit necessaria in impetratione gratia, si aliàs Papa equaliter, vel multo melius, si notitiam intrusionis habuisset, illam concessisset. n. 19.

Intrusus in beneficio tenetur facere mentionem intrusionis, quoties vult illud impetrare. n. 20.

Non proposita quæstione dicendum est, impetrantem à Papa beneficium in quo se intrusit, teneri facere mentionem de præcedente intrusione, aliàs talis impetratio, seu prouisio erit nulla, & inualida, ex ea efficaci ratione, quia si Papa notitiam intrusionis haberet, verisimiliter credendum est, quod ei vel nullatenus, vel saltem non tam de facili gratiam concessisset, ex quo deducitur notoria subreptio; ut patet ex *cap. postulasti 27. de rescript. vbi communiter Doctores, & plures referens docent Garcia de benef. 6. p. cap. 2. num. 198. cum pluribus sequent. Loterius de re benef. lib. 2. q. 54. à num. 28. cum sequent. & lib. 3. qu. 11. num. 56. & 57. in quo conueniunt omnes Doctores.*

Et in præsentī casu negari non potest, quod si Papa sciuisset, vel si narraretur, talem impetrantem esse intrusum, non tam facile gratiam ei concessisset, sed immò fortasse ipsam denegasset, ergo necessariò tenebitur de intrusione mentionem facere, aliàs gratia erit subreptitia, & nulla; ut insinuant Valerius Reginaldus *in praxi fori pœnitentialis, lib. 30 tract. 3. n. 268. vers. quæ autem*: Valascus *consult. 130. num. 90.* & plures referens Barb. *in collect. ad textum in cap. super literis, 20. de rescript.*

Et propter hanc rationem ita in specie tenent Milis *in repertorio, verbo, gratiam beneficialemp impetrans tenetur facere mentionem de beneficio quod iniuste possidet*: qui *ibidem* extendit, etiam si motu proprio gratia fuisset effecta, & allegat Lapum idem tenentem, optimè Lancelot. qui plures

plures refert, de attentatis. 3. p. cap. 31. sub tit. de pœnis attentatorum, in 18. pœna n. 260. in antiquis, & in additionatis, num. 277. & sequent. Rebuf. in praxi, p. 2. super regul. de subrogandis colligant. glos. 4. n. 26. Ignatius Lopez Salcedo in praxi crimin. cap. 5. n. 5. vbi Additio litera C. in verbo, Collatio, tradit regulam Cancellariæ, quam etiam peculiariter constituit Pius V. per hæc verba: *Item si quis supplicauerit, sibi de beneficio quocunque, tanquam per obitum alicuius, licet tunc viuens, vacante prouideri, & postea per obitum eius vacet, prouiso, & quauis alia dispositio dicto supplicanti per obitum huiusmodi denuo facienda, nullius sit roboris, vel momenti.* & ibidem ipse Salcedo ad intentum allegat Decium in l. fur, num. 17. C. de pactis, & cons. 398. num. 2. & Gregorium Lopez ad l. 13. partita, tit. 16. partita 1. quæ disponit, accipientem beneficium viuens perdere illud, efficique incapacem, ne possit aliud retinere, quæ conclusio admittitur communiter per Doctores in cap. 1. de concessione prebendæ, vbi Abbas, num. 2. vers. & ex hoc credo: Decius in leg. finali, num. 17. C. de pactis, & in d. cons. 398. n. 2. & plures referens Garcia de benef. 10. par. cap. 1. num. 23.

7 Et quamuis Cardinalis post Anchar. in Clement. si Romanus, num. 4. in 5. quest. de prebend. tenuerit, non vitari impetrationem, licet mentio intrusionis in ea non fiat, nisi aliàs intrusus omnino redderetur inhabilis ad illud obtinendum, sicut esset intrusus per laicum, vt in cap. quisquis 43. de elect. de quo latè Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. q. 2.2. num. 10. & 11. cum sequent. Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. q. 78. & alij penes ipsos.

8 Tamen Felinus in d. cap. postulasti, n. 18. intelligit, & declarat prædictam opinionem procedere, quando aliquis est intrusus in beneficio, eiusque fructus & prouentus illicitè percepti, quia licet aliud impetret de nouo, non erit adstrictus mentionem facere de intrusione, & de illicita fructuum perceptione, quamuis aliàs de tali obtentione mentionem faciat, aut facere teneatur, quia tunc non est ineligibilis ex eo, quia laicus ipsum non intrusit, in quibus terminis loquitur dictum caput quisquis; Secus autem erit, quando per aliam intrusionem id fuerit effectum, vel quando ipse intrusus illam sanare intendit, de nouo impetrandum beneficium, in quo se intrusit, quia tunc si in impetratione de intrusione per eum contracta mentionem non fecerit, erit gratia nulla, & inualida, ac subrepticia, prout loquitur nostra conclusio, & hanc

Felini intelligentiam amplectitur Aufreus decif. 484. n. 3. & ipse Felinus prosequitur, rationem diuersitatis adducens, de quibus etiam aliqua dicemus in sequenti questione, & in hunc sensum intelligi potest quod tradit Lotterius de re benef. lib. 2. q. 13. n. 16. & 17.

Quæ quidem conclusio ampliatur, & locum sibi vindicat in intruso in beneficio per simoniam, talis namque ipso iure redditur inhabilis, & incapax ad tale beneficium consequendum, vt resoluit Nauarrus cons. 91. incip. Irregularis an sit Simoniacus, n. 8. vers. non obstat, sub tit. de simonia, in ultima impress. additionata Lugduni de anno 1594. & in antiquis est consilium 35. quod quidem intelligendum est de iure antiquo, secus autem per quandam Extrauagantem Pij V. vt ibidem aduertit ipse Nauarrus, & cons. 92. in eodem titulo, vbi refert, & discutit verba dictæ Extrauagantis, apud quem videre poteris.

Hanc prædictam resolutionem limitat Calderinus in d. cons. 14. de rescriptis, & cons. 11. de preben. vt locum non habeat, si gratia motu proprio fuerit effecta, & in tali casu opus non erit mentionem facere de intrusione: enim verò hæc clausula operatur, vt habeat vim clausularum, non obstantibus &c. ex certa scientia, &c. ac specialis expressionis, &c. tollitque vitium subreptionis, vt plura cumulans, & infinitos referens docet Barb. in tract. de claus. vsus frequen. claus. 79. n. 13. vsque ad 16. ergo si gratia motu proprio fuerit facta, expressio intrusionis non erit necessaria.

Contrarium tamen expressè defendunt Milis vt diximus supra, n. 4. & Felinus in cap. nonnulli, in 2. corollario in principio, vers. & ibi dictis adde. de rescriptis, Abbas in cap. per inquisitionem, vers. an autem valeat: de electione, Selua de benef. p. 3. q. 11. vers. quinta qualitas: Anton. Gabriel lib. 5. commun. opin. sub tit. de acquir. vel amitt. possess. conclus. 4. n. 11. in prima limitatione, & conclus. 3. in 3. ampliatione, & alij plures.

Quare hanc secundam sententiam veniorem, & tenendam iudico: nam est certum, quo quoties subreptio procedit ex re ipsa, clausula, motu proprio, non efficit vt de subreptione dari non possit; vt declarauit Rota penes Seraphin. decif. 398. num. 5. per hæc verba, *Quia etiam defectus intentionis potest dici subreptio: ea enim est duplex, altera qua prouenit ex parte impetrantis, altera qua prouenit ex re ipsa: Primam tollit motus proprius, secundam non: Egidius, de. f. 391. & 475. &c. Quod idem deducitur ex alia Astem. pensonis 11. Martij 1615. coram Coccino,*

Coccino, & habetur in recentior. tom. 2. decif. 656. n. 4. quæ ita ait: *Neque releuat, quod motus proprius non tollit quominus possit dari de subreptione, quæ procedit ex re ipsa, &c.*

14 Et ita Barb. in d. l. us. 79. num. 18. ponit hanc limitationem, ex qua sequitur, quod licet alias in præfenti, aliquo modo, talis subreptio ex parte impetrantis considerari posset, cum ipse non expresserit intrusionem à se commissam; attamen verè & immediatè ex re ipsa oritur, nam eo ipso quod perpetravit intrusionem, factus fuit inhabilis ad obtinendum illud beneficium, nam habet repugnantiam, vt non possit illud obtinere sine canonico titulo: ad textum in cap. 1. cum similibus, de regul. iur. in 6. ergo motus proprius sine expressa scientia intrusionis non sanabit subreptionem ortam ex re ipsa, ob illius taciturnitatem; maxime quia dicta clausula de per se non inducit dispensationem, quæ quidem requiritur ad tollendas alias subreptiones, respicientes inhabilitatem personæ, sicuti in præfenti; vt aduertit Barb. in collect. ad textum in cap. si motu proprio 23. de prebendis in 6. & ideo doctrina Calderini adaptari potest, quando subreptio non oritur ex re ipsa; secus verò in nostro casu, in quo (vt diximus) immediatè resultat ex ipsa intrusione commissâ in beneficio, & consequenter ex ipsa re.

16 At verò si in tali concessione facta intruso cum clausula, Motu proprio, adiiciatur altera videlicet, ex certa scientia, tunc non officit intrusio, nec erit necessaria ipsius expressio, aut mentio, de quo aliqua annotauimus supra, q. 75. n. 20. & sequen. Quia prædicta clausula operatur validitatem, & sanationem defectus, etiam si sit intrinsecus, vt post Alexan. & Cardinalem Tuschum littera C. conclus. 340. num. 21. docet Barb. in d. tract. de clausulis vsus frequentibus, claus. 59. n. 15.

17 In tantum vt tollat omne iuris obstaculum, Moneta de commut. ultim. volunt. cap. 7. n. 109. Francisc. Leo in Thesaur. fori Ecclesiastici, p. 4. cap. 1. n. 55. Barb. vbi proximè in d. claus. 59. n. 17. apud quem videre poteris diuersos effectus, qui resultant ad hoc vt per dictam clausulam, ex certa scientia, non sit opus facere mentionem de intrusione; & ita hanc opinionem defendunt Dominicus in cap. cum qui, S. in super, vers. an iuuauerit: & ibidem Francus vers. in ea glossa, in fine, de prebendis in 6. Salicetus, Felinus, & Panormit. quos refert & sequitur Rebuff. in tract. de pacificis possessoribus, n. 257.

18 Quod idem dicendum est, si ante impetrationem talis intrusus restituerit, & post-

modum impetrasset: nam facta restitutione non est opus de intrusione mentionem facere; quæ quidem cum ex ipsamet restitutione purgata remanserit, iuxta ea quæ diximus supra, q. 91. sequitur exinde inhabilitatem, & obstaculum sublatum remanere, & consequenter non esse necessariam expressionem, prout optimè resoluit Alexan. cons. 92. incip. Redemptoris nostri inuocato suffragio, perspectis diligenter &c. n. 33. & seq. & num. 47. & 48. volum. 6. & Ant. Gabriel in d. conclus. 4. n. 12. in 2. limit.

Eodémque prorsus modo concludendū venit, non esse necessarium de intrusione facere mentionem in impetratione beneficij in quo quis se intrusit, si alias certum esset, quod Papa æqualiter, seu multo melius, si noticiam intrusionis habuisset, gratiam concessisset: vt colligunt communiter Doctores ex d. cap. super literis 20. ibi tacita, vel expressa: de rescriptis. & norant Palac. Rubens in Epitome cap. per vestras, notabili 4. n. 27. de donat. inter virum, & uxorem, quem refert & sequitur Barb. in collect. ad eum textum, n. 12. & in specie in collect. ad text. in d. cap. si motu proprio, n. 10. de prebend. in 6. quibus iunge Anton. Gabrielem in d. lib. 5. 20. communium concl. sub tit. de acquirenda & amittenda possess. concl. 4. num. 16. in 6. limit. Ex quibus concludendum est, regulariter loquendo, teneri intrusum, obtinentem gratiam beneficij, in quo se intrusit, facere mentionem de intrusione præcedenti, nisi in casibus supra expressis, aliàs gratia erit nulla & subrepticia.

QVÆSTIO CI.

Intrusus impetrans beneficium in quo se intrusit, an teneatur facere mentionem de fructibus malè perceptis.

S V M M A R I V M.

Intrusus in beneficio, si illud à Papa impetraverit, non tenetur facere mentionem in supplicatione de fructibus malè perceptis. n. 1. Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 4. & sequen.

Intrusus dispensatus ad obtinendum beneficium in quo se intrusit, censetur etiam dispensatus ad omnia, quæ ex illo resultant. n. 2. Intellige vt n. 8.

Fructus beneficij vacantis debentur successoribus. num. 2.

Heres per aditionem hereditatis, confundit omnes

omnes actiones, quas contra defunctum habere, vel pretendere possit. n. 3.
 Intrusus in beneficio per fructuum perceptionem redditur inhabilis, & ineligibilis ad illud, tanquam fur & latro. n. 5.
 Qui rem alienam contra domini voluntatem in se retinet, furtum committit, & dicitur contrahere. n. 5.
 Si aliquid sit, quod retardare valeat ad gratiam faciendam, vel difficilius concedendam, precisè narrandum est, alias erit subreptitia. num. 6.
 Intrusus in beneficio tenetur restituere Camera fructus ex illo malè perceptos. n. 7.
 Ecclesia offenditur, quoties Prælatus retinet bona illius, cui satisfacere tenetur, & penitentiam agere. n. 8.
 Intrusus in beneficio, impetrans illud, non tenetur facere mentionem de fructibus ex ipso malè perceptis, si eosdem expendit in utilitatem Ecclesie, vel nisi deberentur Tertio, ut sunt quotidianæ distributiones, n. 9. & 10.
 Distributiones quotidianæ malè perceptæ, applicanda sunt seruientibus in Choro, aut alteri loco pio, iuxta varias Ecclesiarum consuetudines. n. 10.

I X I MVS supra, in questione antecedenti, quod intrusus in beneficio, si illud à Papa impetrauerit, tenetur in supplicatione mentionem facere de intrusione antecedenti, alias gratia erit subreptitia; modo succedit inquirendum, an idem procedat de fructibus malè perceptis: & videtur dicendum quod non: ex eo quia postquam intrusus fuit dispensatus, ut possit licitè illud beneficium retinere, consequenter ex Papæ voluntate concessum videtur, ut fructus perceptos pro se retineat; nam ex quo vitium intrusionis purgatum remansit, effectus fuit legitimus Beneficiatus, vel Prælatus, & ipsi tanquam nouo successoribus debentur, ad eumque pertinebunt, per ea quæ notantur in cap. relatum, el segundo, §. nomine autem Ecclesia, vers. ubi autem, de testamentis, & ibidem Glossa verbo, vnus est: & allegatur text. in cap. de laicis, 12. q. 2. & consequenter cum per illam nouam canonicam institutionem actiones confundantur, ad instar hæredis, qui per aditionem confundit omnes actiones, quas habere, vel pretendere poterat contra defunctum, iuxta textum in l. vi. de debitum 5. & l. sequenti, C. de hæred. action. sequitur, quod talis intrusus non tenetur facere mentionem de fructibus: & ita in specie considerat Speculator in tit. de dispensation. Legati, lib. 1. part. 1. §. dicendū

restat de dispensatione, qui est 10. n. 22. vers. sed pone quod aliquis: ubi per prædicta fundamenta ita concludit.

Sed contrarium expressè defendunt communiter Doctores, Ioan. Andr. & Hostien. in cap. dudum, el segundo, §. insuper, n. 45. vers. nec sufficeret omnia alia exprime: de elect. & in cap. postulasti, n. 12. vers. sed de perceptis, de rescriptis, Felinus in cap. in nostra, in secundo corollario, vers. & adde quod rō solum: de rescrip. ubi aduertit, hoc perpetuò notandum, Selua de benef. p. 3. q. 11. n. 7. vers. quinta qualitas: & vers. non solum est faciendū: Milis in repertorio, verbo, gratiam, vers. gratiam beneficiale impetrans licet de beneficio & c. ubi ita ait, Quod non solum de iniusta detentione, sed etiam de fructibus perceptis tenetur facere mentionem, nisi ipsos in utilitatem Ecclesie conuertisset, Ioan. Andr. in additionibus ad Speculat. in tit. de dispens. §. videndum, circa finem, vers. sed pone aliquis; Nam ex perceptione dictorum fructuum, fuit factus inhabilis ad beneficia: optimè ad idem Rebuff. in praxi, p. 2. tit. 1. de rescrip. Etiam, & perinde valere: n. 63. & super regulam de subrogandis colligant. glos. 4. n. 19. latè Cassador. decis. 6. n. 1. & 4. sub tit. de præben. pag. mihi 373. in impressis Lugduni de anno 1579. ubi de hoc articulo copiosè agit, & varias rationes adducit: videlicet quia talisceptor ex huiusmodi fructuum perceptione redditur inhabilis, & ineligibilis, tanquam fur & latro: enim verò cum ipse percipiat & retineat quod suum non est, nec ad se pertinet, exinde contrahit rem alienam, & furtum commisit; quod quidem restituere tenetur, per ea quæ cum Mandos. in tract. de signatura gratie tit. absolutio à mala fructuum perceptione, colum. 2. vers. amplia: & tradit Paris. de confidentiis beneficalibus q. 60. n. 37. cum pluribus sequen. Et exinde sequitur, quod si Papa de eo notitiam haberet, fortasse gratiam non concederet, aut saltem non tam de facili, & ideo precisè narrandum est: ex his quæ diximus supra, in questione antecedenti, & tradunt Ioan. Andr. ad Speculat. in tit. de dispensation. in d. lib. 1. particula 1. §. 10. incip. Dicendum restat, n. 22. in fine, litera F. ubi ita ait, Experius enim fui cum Papa Ioan. qui cum mihi iustificasset cuiusdam mei scholaris titulum, remissionem præteritorum fructuum facere noluit, nisi ea conditione, quod ipsorum pars dimidia intra certum tempus suæ Camera solueretur. Quod statutum reperitur ex Bulla Pij. I. V. provt latè tradit Parisius in d. tract. de confidentiis benef. q. 60. n. 35. cum pluribus sequen. princip. n. 41. quem

proemij num. 173. Garcia in d. 11. p. cap. 10. num. 228. cum seqq.

QVÆSTIO CII.

Intrusus in beneficio impetrans aliud secundum, an teneatur facere mentionem de intrusione in primo.

S V M M A R I V M.

Intrusus in beneficio si secundum impetrauerit, non tenetur in impetratione facere mentionem de intrusione. n. 1. & 7. cum seqq.
 Impetrans beneficium tenetur facere mentionem de omnibus obtentis ante illud, quod impetrare intendit. num. 1.
 Beneficium secundum qui impetrat, licet in supplicatione dicat se canonicè institutum, quamuis verè non sit, gratia subsistet eo non obstante. n. 2.
 Dispensatio ad plura beneficia non valet, si in ea non fuerit expressum, quod obtinens gratiam, beneficia priora minus canonicè retinebat, & quod ex illis fructus percepit. num. 3.
 Intellige vt n. 10.
 Papa dispensans cum aliquo super defectu aetatis, aut Ordinum, vel aliis quos patiebatur ante collationem, vel electionem, non censetur dispensasse, si non fiat mentio defectuum, suppleto illos. n. 4.
 Mentio fieri debet in gratia beneficij noniter impetrati, non solum de iam obtentis, sed etiam de aliis circumstantijs, quæ possent reddere Papam ad illam faciendam. num. 5. & 6.
 Intellige vt n. 11.
 Inhabilitatis poena pro beneficio consequendo non incurritur, si à iure non exprimitur. num. 7. & 8.
 Intrusio in beneficio est crimen furti. n. 9.
 Impetrans secundum beneficium non tenetur precisè in obtentione mentionem facere de crimine, si aliàs non sit talis qualitatis, vt ab ipso iure inhabilis remaneat, ad illud consequendum. num. 9.
 Dispensatio ad habitandam personam, quæ aliquos patiebatur defectus, ne obtinere possit beneficium, non validat electionem, de eo prius factam, si ex tali defectu erat nulla, & inualida. n. 10.
 Taciturnitas intrusionis commissæ in primo beneficio non aggravat, vt si secundum obtineatur, necessario faciendū sit illius mentionem. n. 11.

quem ad intentum omnino videbis, nam accuratè agit de hoc articulo, idemque probant Gonzalez ad regul. 8. §. 7. proemij, num. 172. & 173. Garcia de benef. 11. part. cap. 10. num. 227.

8 Nec obstat quod considerat Speculator (de quo supra, num. 2. & 3.) Quia responderet Hostiensis in dict. cap. dudum, el segundo, quod licet aliàs in hoc casu videatur satisfactum de perceptis fructibus ad effectum restitutionis, quia ex quo iam est Prælatus, seu Beneficiatus, non compellitur restituere aliis, nec sibi, vt in cap. cum vos, in fine, de officio Iudicis Ordinarij; Hoc tamen non est sufficiens, nisi aliàs per veram penitentiam, & satisfactionem Ecclesie, quæ per peccatum offensa est ex illa turpi & illicita fructuum perceptione, fuerit satisfactum; vt patet ex his quæ notantur in cap. finali, de temporibus ordinationum, & ex aliis per eundem Hostiensem ibidem animaduertis, quem refert & sequitur Cassadorus in dict. decis. 6. num. 1. in fine, & ex traditis à Nauarro conf. 47. de simon. quem allegat Paris. in dict. quest. 60. num. 45.

9 Hanc conclusionem limitant Milis in repert. in d. verbo, gratiam beneficij impetrans licet de benef. in fine, sequendo Ioan. Andr. & Speculatorem in loco supra allegato, n. 3. nisi talis intrusus impetrans, conuertisset fructus in utilitatem ipsius Ecclesie, quia tunc illorum taciturnitas in impetratione, non redderet gratiam subreptitiam, aut nullam: quia cum ad illam pertineant, iuxta receptam sententiam Nauarri, Geminiiani, Lambertini, Oldradi, & aliorum quos refert Paris. in dict. quest. 60. num. 45. vers. alij vero firmanunt: iam satisfecit suæ conscientie, restituendo illos Ecclesie, cui debebantur.

10 Secundò limitatur, nisi fructus percepti deberentur Tertio, & non Camera, vt sunt quotidiana distributiones, ad quas ipsa Camera ius non habet, sed applicandæ veniunt deficiuntibus in Choro, aut fabricæ, vel Sacristiæ, iuxta varias Ecclesiarum consuetudines; tunc enim cum Papæ non debeantur, sed actio radicata maneat penes eos, quibus aliàs debentur; exinde sequitur, quod illorum taciturnitas in impetratione non inducat nullitatem gratiæ, aut subreptionem; & ex hac ratione Cassadorus in d. decis. 6. num. 6. de præben. concludit, ita in Rota fuisse decisum, quam decisionem allegat, & sequitur etiam Gabriel tom. 2. communium conclus. lib. 5. sub tit. de acquirenda vel omittenda possessione, conclus. 4. num. 7. vers. quod limitat. Gonzal. in d. §. 7.

- tio, cum non attineat ad substantiam formalem nouæ gratiæ. n. 11. & 15.*
Intrusio commissa in primo beneficio non purgatur per impetrationem secundi, habitam à Papa. n. 12.
Expressio obtentorum pro impetratione nouæ gratiæ non operatur dispensationem defectuum, quos impetrans habebat in primis beneficiis, sed solum liberat à subreptione, ob non expressionem. n. 13. & 14.
Intrusus impetrans beneficium, in quo se intrusit, tenetur præcise facere mentionem in supplicatione de intrusione, alias dabitur subreptio. n. 15. & 20.
Papa non tam facile gratiam beneficii, intruso in eo concederet, si notitiam intrusionis haberet. n. 16.
Impetrans secundum beneficium non tenetur facere mentionem de intrusione, à se commissi in primo; secus autem si idem impetrasset, in quo se intrusit. n. 16. & 17. & 21.
Intrusus non potest sibi appropriare fructus, quos percepit ex beneficio in quo se intrusit. numer. 18.
Fructus beneficii percepti per intrusum debentur Camere Apostolica, vel applicandi sunt in Ecclesia utilitatem. n. 19.
Intrusus impetrans secundum beneficium, faciens mentionem de primo, ex eo non remanet purgata inhabilitas, ad illud obtinendum. n. 20.
Intrusus in beneficio est incapax obtinendi illud, non verò aliud, dummodo non sit aliis omnino incapax ad obtinenda alia beneficia. n. 21. & 22.
Intrusus per potentiam laicalem, est omnino incapax ad obtinenda beneficia. n. 22.

IN proposita quaestione prima facie dicendum videtur, intrusum in beneficio, si secundum impetrauerit, non esse adstrictum facere mentionem de intrusione primi; quia dispositio textus in cap. si motu proprio, de preben. in 6. solum decernit, ut mentio fiat de primo, vel aliis obtentis, ibi, *De illo non habita mentione* &c. & *ibidem* tradunt communiter Doctores, Paris. de resignat. benef. lib. 10. q. 2. n. 73. & 74. Garcia de benef. p. 1. cap. 2. n. 122. cum sequen. & alij plures: sed in eotextu non disponitur, quod etiam fiat mentio de intrusione, ergo eius expressio necessaria non est.

2 Et ex hac ratione ita concludunt Anchar. in clem. si Romanus, n. 3. vers. *ultra Doctores hic* quæro: de preben. & *ibidem* Cardin. n. 4. vers. *quinto quæro*: qui inferunt, quod etiam si talis impetrans dixisset, se in primo beneficio canonicè institutum, adhuc

gratia subsister, ex eo, quia tale mendacium est omnino extrinsecum, & non immediatè connexum cum ipsa gratia; nam quod iustè, vel iniustè retineat, est quid extrinsecum: ut cum Franco in d. Clement. si Romanus, in fine, docet Milis in repertorio, verbo, *gratia*, vers. *gratiam beneficii impetrans licet de beneficio quod obtinet teneatur facere mentionem: fol. mihi 174. colum. 2.*

Contrarium tamen voluit Abbas in cap. 3 ad aures, n. 9. vers. *per hoc etiam: de rescript.* vbi docuit, quod non valet dispensatio ad obtinendum plura beneficia, si in ea non fuerit expressum, quod obtinens gratiam, prius illa beneficia minus canonicè retinebat, & quod illorum fructus percepit, & patet etiam ex his quæ diximus supra in duabus questionibus immediatè antecedentibus; & ad fomentum suæ opinionis allegat Ioan. Andr. post Compstel. in cap. dudum, el primero, in fine de elect. idque probat ex eo, nam si Papa cum aliquo dispensauerit, qui tempore electionis, vel collationis patiebatur defectus Ordinum, vel atatis, aut alium, ex quo non erat rite & legitime electus, non valet illa electio vel collatio, si Papa non fecerit mentionem de tali electione seu collatione prius exequuta, supplendo illos defectus; ergo similiter in præsentis intrusus in primo beneficio tenebitur in impetratione secundi, mentionem facere de intrusione in primo.

Quæ opinio eo magis vetior redditur, quanto urgentius iuri videtur non satisfieri ex sola mentione de primo beneficio: nam requiritur etiam expressio aliarum circumstantiarum, ut patet in cap. in nostra 32. vbi communiter Doctores, de rescriptis, & ex Rend. in promptuario receptorum sententiarum, tit. 7. n. 16 & Riccio in praxi fori Ecclesiastici, resol. 324. n. 2. in secunda editione, & in prima, resol. 384. & docet Barbof. in collect. ad d. cap. in nostra, n. 4. ergo nõ sufficere expressio primi beneficii, sed erit necessaria illa circumstantia intrusionis.

Nec admitti debet, quod illa taciturnitas intrusionis sit quid extrinsecum ab ipsa gratia: cum negari non possit, esse qualitatem maximi ponderis, & quæ summopere materiam aggrauat, & consequenter ipsam gratiam, & exinde difficiliorem reddere Papam, ad illam faciendam, quod sufficit ne taciturnitas admitti debeat.

Ex quibus satis intricata redditur huius 7 quaestiones resolutio: sed prima magis placeat, videlicet quod in impetratione secundi beneficii, licet præcisè de primo fieri debeat mentio, ne gratia subreptitia iudicetur, non tamen vitabitur, si intrusio non exprima

exprimatur, quia id præcisè non est necessarium, ut in specie resoluunt Anchar. in d. Clem. si Romanus, vers. *ultra Doctores hic*, & *ibidem* Cardinalis in fine, vers. *quinto quæro, de prebendis*, Felin. in cap. postulasi, n. 18. vers. *sed aduerte, de rescript.* Bertrand. conf. 24. vers. *quia idem, volum. 2. in nouis*, quos refert & sequitur Anton. Gabriel tom. 2. comm. conclus. lib. 5. tit. de acquirenda, vel amittenda poss. f. conclus. 4. n. 8. idemque tenet Selua in tract. de benef. p. 3. q. 11. vers. *quinta qualitas*, Maleret in tract. de elect. in fine, quos allegat & sequitur Rebuf. in praxi, p. 2. super regulam de subrogandis colligantibus, glos. 4. n. 26. vbi probat ex eo: quod inhabilitatis poena non incurritur, nisi à iure exprimatur; iuxta textum in cap. finali, vbi Glossa, verbo, *ex vi iuris patronatus: de iure patronatus*, & docent Gonzalez ad regul. 8. glos. 15. in principio n. 136. Mari. Anton. var. resol. lib. 3. resol. 39. n. 11. & 12. Gutierrez de iuram. confirm. p. 1. cap. 1. n. 63. Flam. Paris. de resignat. benef. lib. 14. q. 2. n. 3. & sequen. & de confidentiis benefic. q. 61. n. 3. & alij plures relati per Barb. in collect. ad textum in d. cap. ultimo, de iure patron. n. 3. Cum igitur talis inhabilitas respectu intrusi ad aliud beneficium obtinendum in iure non reperitur expressa, iuxta ea quæ diximus supra, q. 100. n. 8. sequitur exinde, quod talis taciturnitas intrusionis non reddet gratiam subreptitiam, & nullam.

9 Tum & etiam considerat, & ponderat Felinus in d. cap. postulasi, n. 18. vers. *multi tenent opinionem Pet.* quod licet alias intrusio sit crimen, & delictum, cum intrusus sit fur, & latro (ut sæpè diximus) artamen in iure non reperitur, quod impetrans necessariò in obtentione teneatur facere mentionem de crimine, si aliàs exclusio non sit ab ipso iure expressa; ut latè docet ipse Felinus in d. cap. postulasi, colum. 4. in principio, vers. *declara etiam*: sed intrusus quoad impetrationem alterius beneficii, ab ipso iure non reperitur excusatus; ergo expressio non erit necessaria. Ex quibus, & aliis hanc secundam opinionem veriore iudico.

10 Cui non officit quod docet Abbas ex auctoritate Ioannis And. de quo supra, n. 3. quia non loquitur de intruso, sed tantum resoluit, quod si dispensatio fuerit obrenta ad habilitandam personam, quæ aliquos defectus patiebatur, ex eo electionem de ipso prius factam non validari, si esset nulla, & inualida ex tali defectu: At in præsentis casu supponimus (provt est certum) quod impetratio secundi beneficii sit, ut ex ipsa dispensatione ius acquiratur ad beneficium, in quo defectus non reperitur, resolu-

Tract. de Intrusione.

tans ex ipsa re, sicut in casu de quo loquitur Ioan. And. & sic argui non potest de vno ad alium.

Nec similiter obstat secunda consideratio, videlicet quod solum faciendo mentionem de primo beneficio, non fit iuri satisfactum, cum taciturnitas intrusionis sit quædam qualitas, quæ aggrauat ipsam gratiam. Quia ut ait *ibidem* Felinus, quod dicat intrusus se canonicè institutum, non attinet ad substantiã formalem nouæ gratiæ, cum hæc nihil proficiat, ut purgata remaneat intrusio primi beneficii.

Et quod nihil proficiat, probat Felinus 12 ex eo, quia noua impetratio non sanatur, aut purgat illam intrusionem commissam in primo beneficio, nam quoties de ea fuerit conuentus, & contra ipsum fuerit iudiciũ efformatum, poterit talis intrusus à beneficio amoueri, non obstante impetratione consequuta de secundo beneficio, etiam si fuisset concessa Motu proprio, iuxta textum in cap. non potest, S. cum vero, ibi, *Nõ intelligitur dispensatum: de prebendis in 6.* & notat Paris. de resignat. benef. lib. 4. q. 9. n. 34. optimè Milis in repert. verbo, *dispensatio vers. dispensare non intelligitur Papa super incompatibilitate*, & plures referens Gonzal. ad regul. 8. glos. 15. in principio, n. 27. vbi ita ait: *Non sufficit, quod in vltima vel vltimis prouisionibus Apostolicis fuerint narrata omnia beneficia prius obrenta, nam ex tali narratiua non inducitur dispensatio ad pluralitatem, cum illa expressio solum operetur excusationem subreptionis, ob non expressionem obtentorum, provt de iure fieri debet, non autem operatur dispensationem: & ibidem* latè profequitur, idemque probat Salcedo ad Bernardum Diaz in pract. crimin. cap. 48. alia 49. litera C. in noniori impressione, vers. *circa quod admonendi sunt*: Rodriguez in summa Hispana, p. 1. cap. 31. n. 2. per hæc verba: *Aduertan los que impetrã de su Santidad beneficios simples, que no estan seguros aunque en la supplica ofrecida al Papa confiesen tener otros beneficios, y el Papa les conceda el beneficio pedido, porque no es visto dispensar con ellos, y hazer mencion en la supplica, que tenian otros beneficios, y solamente serue para que la gracia no se tenga por surrepticia*, &c. & *ibidem* plures Doctores allegat idem comprobantes.

Ex quibus colligitur, quod cum talis 15 impetratio nihil ponat quoad sanationem intrusionis, eius taciturnitas non potest inducere Papam ad facilius, vel difficilius concedendam gratiam, cum collatio secundi beneficii non tollat intrusionem primi, nec inducat aliquam sanationem, sed

Z 2 semper

semper intrusus æqualiter in illa perseuerat, ac si secundum beneficium non impetrasset, & consequenter illa taciturnitas non est substantialiter nocibilis, ne tanquã intrusus amoueri possit, & vt talis puniri non valeat.

6 Secus autem, & diuersum iudicium efformandum est in obtentione eiusdem beneficij, in quo quis se intrusit, quia tunc intrusio præcisè narranda est, aliàs dabitur subreptio; per ea quæ diximus supra, q. 100.

Et ratio diuersitatis consistit in eo, nam obtenta gratia per Papam de eo beneficio in quo se intrusit, non potest Ordinarius, vel alius inferior Prælatus inquirere titulum, per textum in cap. cum inferior, & per ea, quæ ibidem notant communiter Doctores de maiori parte, & obedientia. Vnde si Papa sciuisset illud impedimentum, non tam facilliter gratiam eiusdem beneficij in quo se intrusit concessisset, cum ex ipsa, Ordinario

17 & alijs iudicibus inferioribus clauderetur os, ne amplius de illo defectu agere possent, & exinde aperiretur via reuerenti, & ambitioni ingrediendi ad beneficium ex infecto titulo, & non per ostium, & per consequens non est credibile, Papam velle hoc admittere per taciturnitatem, cum qua daretur ansa ad perpetrandas infinitas fraudes: quæ quidem omnia cessant in impetratione secundi beneficij; nam ea non obstanter poterunt Ordinarij, & alij Iudices, semper, & quandocumque punire intrusionem perpetratam in primo beneficio.

Et ex hac ratione colligit Felinus differentiam, propter quam impetrans secundum beneficium non teneatur facere mentionem de intrusione commissa in primo, & impetrans idem in quo se intrusit, adstrictus remaneat ad expressionem intrusionis in ipso commissa.

18 Nec contra prædicta potest argui ab inconuenienti, videlicet quod sequeretur exinde, fructus malè perceptos per intrusum, suos remanere, quamuis iniuste, & illicitè ipsos acquisierit: nam per obtentionem beneficij, habitatus censeretur ad illorum perceptionem; contra ea quæ diximus supra in questione antecedenti, n. 100. Enimvero hoc negatur; nam noua impetratio beneficij in quo quis se intrusit solum operatur purgationem vitij intrusionis præteritæ in ipso commissa de quo agere non poterit Ordinarius, tanquam inferior (vt dictum est) sed ex eo non remanet impeditus, quominus ipse inquirere, & punire valeat, ratione fructuum malè perceptorum ex causa intrusionis; nisi illos Cameræ Apostolicæ iam restituerit, vel in Ecclesiæ utilitatem

19

conuerterit, iuxta tradita à nobis in questione antecedenti, à n. 5. cum sequen. quia illa noua beneficij impetratio, in qua facta non fuit expressio fructuum, non porrigitur ad illos, & consequenter differentia superioris tradita firma remanet; & inconueniens cessat, nam ille intrusus, erit semper adstrictus ad restituendum fructus.

Nec similiter obstat, quod aliàs deduci posset; videlicet quod si intrusus impetrat aliud beneficium, non facta mentione de intrusione primi, sed solum de ipsius obtentione, poterit etiam primum retinere: Quia responderetur cum Felino in loco citato, & patet ex supra dictis, quod non datur habitus, & purgatio intrusionis respectu primi beneficij ex dicta impetratione secundi, cum mentione sola facta de primo, quia tantum operatur, vt subreptio euitetur, non verò dispensationem super beneficio inualidè, & non canonicè consequuro, vt patet ex d. cap. non potest, de præbendis in 6. & ex d. cap. gratiosè, de rescrip. eodem libro, & ex ponderatis supra, in questione antecedenti, n. 5. & tradunt Rebus in tract. nominat. q. 9. n. 18. Ojeda de incompatibilitate benef. p. 2. cap. ultimo, n. 72. Gonzalez ubi supra, in d. glof. 15. num. 27.

21 Ex quibus concludendum est, intrusum in vno beneficio inhabilem, & incapacem existere, ne possit illud retinere; non verò ad alterius acquisitionem canonicè faciendam.

22 Prædicta autem declaranda veniunt, vt locum non habeant, si aliàs talis intrusus inhabilis omnino à iure redderetur ad beneficia consequenda, veluti si esset intrusus per potentiam laicalem, cap. quisquis 43. vbi communiter Doctores de elect. & docent Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 4. q. 28. Paul. Comit. lib. 1. respons. moral. q. 78. optimè Tamburinus de iure Abbatum, q. 22. n. 10. vbi n. 11. & 12. declarat, quannã sit electio facta per abusum secularis potestatis, apud quem videre poteris, & alia ad hunc articulum conducentia, vt Rebus in praxi p. 2. tit. de dispensationibus cum Regularibus fact. num. 66. cum pluribus sequentibus.

QVÆST.

QVÆSTIO CIII.

An tolerantia, seu patientia, vel tacitus consensus Superioris det intruso ius in beneficio, taliter quod ex eo censeatur tacitè dispensatus.

S V M M A R I V M.

Consensus tacitus, vel patientia Superioris in actu requirente dispensationem, an sufficiat, vt censeatur concessa, 1. & sequen.

Tolerantia, seu patientia Superioris non sufficit ad sanandum defectum, impediendum actum ne fieri possit, 1. & sequen.

Sed contra num. 3. & sequen.

Intellige vt num. 17.

Dispensatio Superioris non inducitur ex tolerantia actus requirentis illum, n. 2.

Sed contra, num. 3. & sequen.

Intellige vt num. 4. & 17.

Patientia, vel tolerantia Papæ, aut alterius Superioris, inducit dispensationem actus requirentis eam, n. 3. & 8.

Intellige vt num. 4. & 16.

Papæ tolerando aliquem in actu requirente dispensationem, si ignorat obstaculum, non videtur cum eo dispensare, n. 4. & 16.

Tolerantia seu tacitus consensus Papæ respectu intrusi in beneficio, nullum ius ei attribuit, si ignorabat intrusionem, n. 5. & 16.

Intrusus in beneficio, si per Papam fuerit approbatus in illo expressè sciendo intrusionem, ex eo ius attribuit in beneficio, & ex eo tacito consensu, & patientia, censeatur dispensatus, num. 6.

Secus si ignorabat, num. 16.

Collatio beneficij facta per Ordinarium, postquam ius conferendi fuit deuolutum ad Superiorem, est nulla, nisi per patientiam, & tolerantiam ab illo fuerit approbata, n. 7.

Patientia & tolerantia Superioris quando habeat vim dispensationis, n. 8. & sequen.

Papæ si sciens assistat in actu requirente dispensationem, ex illa tolerantia videtur dispensare, cum presumi non debeat, concurrere in re illicita, n. 9. & 15.

Papæ est supra ius, & in eo habet omnimodam potestatem, n. 10.

Papæ non est adstrictus ad eligendum, prouidendum, vel conferendum beneficium, hoc vel illo modo, n. 11.

Papæ in beneficalibus potest æquare quadrata rotundis, n. 12.

Voluntas Papæ, quomodocumque appareat, tri-

Tract. de Intrusione.

buit ius in beneficalibus, n. 13.

Tolerantia, vel dissimulatio Papæ ex certa scientia habita in actu requirente dispensationem, habet vim ipsius dispensationis, num. 14.

Consensus tacitus Papæ, vel tolerantia operatur dispensationem in actu, in quo ea requiritur, ne aliàs dicatur peccatum permittere, quod presumi non potest, n. 15.

Dispensatio non inducitur ex tolerantia Papæ ignorantis obstaculum, vel si non constat de ipsius voluntate ex aliquo vehementi indicio, n. 16.

Consensus tacitus, seu tolerantia actus, requirentis dispensationem ad ipsius validitatè, non inducit approbationem, seu dispensationem, quando ultra consensum requiritur aliquid aliud: quod est verum etiam in fauorabilibus, n. 17.

Tolerantia, seu patientia Episcopi, vel alterius inferioris Prælati, non sanat intrusionem commissam in beneficio, nec ex illa aliquod ius attribuitur intruso, n. 18. & sequen.

Electio nulla non sanatur per consensum superuenientem illorum, qui eligere poterant, nisi reparentur, & iterentur, quæ reparanda & iteranda erant, n. 19.

Papæ solus dispensare potest cum intruso, n. 19.

Consensus tacitus non sufficit in actu requirente expressum consensum, n. 20.

Tolerantia, vel patientia Episcopi, vel alterius inferioris Prælati, intruso nullum ius attribuit, sed solum operatur, vt non possit illum compellere ad exhibendum titulum sui beneficij, n. 21.



VIVS quæstionis resolutio satis difficilis redditur propter varias Doctorum sententias. Alij namque dixerunt, tacitum consensum Superioris, vel ipsius tolerantiam in actu requirente dispensationem, non sufficere, quia sola patientia, vel taciturnitas inducens tacitum consensum per se, & præcisè sumptum, non est sufficiens indicium approbationis, seu dispensationis, vt ait Glossa in cap. cum iam dudum 18. verbo, per patientiam, de præben. & ita in specie defendunt Suarez de legibus, lib. 6. cap. 13. num. 22. Bonacina in eodè tract. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 18. Sayrus de censuris lib. 7. cap. 14. n. 16. quos refert Diana tom. 8. resol. moral. tract. 3. de dispensation. resol. 17. in principio, eisque iunge Sanchez, qui huic opinioni inclinare videtur; lib. 2. de matrimonio, disp. 38. n. 12. vbi respondet ad textum in cap. quia circa, de consanguinitate & affinitate, de quo infra agemus, & ibidem Sanchez latè differt hunc articulum.

Z 3

Alij

- 3 Alij autem contrarium defendunt, videlicet quod patientia, & tolerantia, seu tacitus consensus Superioris sufficiat, ut quis dispensatus iudicetur, ut punctim cum Henriquez lib. 6. de penitentia, cap. 3. num. 13. Soto in 4. distinct. 18. quest. 4. art. 3. §. circa concessiones, &c. & Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 35. num. 20. tradit contra Suarez, Amicus, tom. 5. disp. 6. sect. 6. n. 70. quem refert & sequitur Diana, ubi proxime, in d. resol. 17. quia varia fundamenta refert, suam opinionem probantia, & responder argumentis ponderatis per Suarez; idemque admittunt Gonzalez ad regul. 8. gloss. 9. §. 2. num. 87. Alexand. Raudens. de analogis cap. 39. num. 147. cum sequent. Francisc. Molin. de ritu nuptiarum lib. 1. compar. 19. n. 64. & concludunt, quod tolerantia Papæ, vel Superioris inducit dispensationem, actus validitatem, & quod magis est, operatur etiam consensum, ut per Hippolytum conf. 46. n. 31. & conf. 107. num. 3. & 4.
- 4 Ex quibus (prout in principio dixi) difficulter resolutio desumi valet, sed quod meo paruo iudicio considerari potest ad terminos propositi dubij circa intrusum, sequendo vestigia Ioann. de Selua in tract. de benefic. 3. p. quest. 10. qui postquam 17. argumenta pro parte affirmatiua proposuit, specificè respondendo vnicuique ipsorum, tandem num. 7. vers. ego circa hunc articulum, cum Cosma Guimier in Pragmatica sanctione, titulo de collat. §. frustra enim, &c. verbo tolerandas, fol. mibi 190. in secunda editione Parisiis de anno 1555. ubi late agit de hoc articulo, distinguendum putavit, cui adhæreo in hunc modum: Nam aut loquimur de Papa, vel de aliis inferioribus Prælatibus: & in primo casu, etiam subdistinguendum est: nam aut Papa tolerans, vel tacitè consentiens expressam notitiam non habebat, quod obtinens beneficium erat intrusus; & tunc tolerantia, aut aliquis consensus considerari non potest, & consequenter nullum ius attribuit: argum. textus in l. de etate, §. finali, ff. de interrogator. actionib. quod est verum etiam si expressè consensisset in tali obtentione, quia adhuc nullum ius intrusus acquireret, quia adhuc nullum ius intrusus acquireret, nam tunc non datur consensus Papæ concedentis: argum. text. in cap. cum olim 12. de re iudicata, & in l. si per errorem, ff. de iurisdic. omnium iudicum, cum similibus. Aut verò Papa iam sciebat ipsum verè esse intrusum, & tunc casus triformiter distinguendi veniunt. Primus sit, quando datur tolerantia expressa approbans actum; illa namque ius attribuit in beneficio, ut in ter-

minis intrusi deciditur in cap. literas 4. vers. discretioni vestra, in fine, de supplenda negligentia Prælatorum, ibi, eas de patientia permittatis ab ipsis pacificè possideri, &c. Ex quo colligitur, quod non valet collatio facta per Ordinarium, postquam ius conferendi ad Superiorem fuit deuolutum, nisi ab eo per patientiam, & tolerantiam fuerit approbata, & ita docent Ioan. de Selua, & Pragmat. Sanct. ubi proxime, & Barbof. in collect. ad dict. cap. literas, num. 6. Henric. de Boic. in cap. dilecto, num. 2. de prebendis; & Hostiensis ibidem intelligit, & exponit verbum illud, Patientia, scilicet expressa, argum. sumpto ex cap. cum sis præditus 4. in fine, de conversione coniugatorum, ubi Glossa, verbo, dissimulare: & comprobatur etiam Ioan. Andreas in cap. cum Michaël: de filiis Presbyterorum, & talis patientia habet vim dispensationis iuxta textum in cap. quia circa, & ibi Glossa, verbo, falsa nobis causa: & in fine, de consanguinitate & affinitate, quia ut diximus supra, num. 3. & 4.) tolerantia Papæ inducit dispensationem; nam si hoc ita non esset, sequeretur maximum inconueniens, videlicet quod Papa permetteret cum peccato tolerari intrusum, propter scandalum, & propter ipsam intrusionem, si illa tolerantia ipsius Papæ, adiuncta cum scientia intrusionis, non haberetur pro dispensatione; ut considerat Syluester in Summa, verbo, Beneficium tertio, quest. 19. Sà verbo, Votum, num. 23. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 5. quest. 5. & finali, Sanchez de matrim. 10. 3. lib. 8. disput. 4. num. 26. & ideo præsumendum est, velle dispensare, ne assistere & cooperari dicatur in re illicita, & peccaminosa.

Huius conclusionis ratio desumi potest ex eo, quia cum Papa sit supra ius, habeatque omnimodam potestatem in eo, cap. ad honorem 4. de auctoritate & usu pallij, cap. proposui, ibi, supra ius dispensare, &c. de concessione prebende, & docent Sayrus in clauis Regia lib. 3. cap. 10. num. 10. Henric. in Summa lib. 10. cap. 3. in principio, Mosconius de maiestate militantis Ecclesie. p. 1. lib. 1. cap. 8. pag. mibi 235. Exinde sequitur, quod non habet ligatas manus ad conferendum ius in beneficio, seu ad eligendum, vel providendum hoc vel illo modo, sed id efficere potest prout ipse voluerit, cum in beneficialibus possit quadrata rotundis æquare, ut ait Gonzalez ad regul. 8. §. 1. præemij, num. 38. & §. 2. num. 47. cum seq. & plures referens Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. n. 7. cum sequent.

Secundus casus est in tolerantia, aut tacito consensu permissivæ approbationis ipsius

- 14 sius Papæ; quia tunc etiam attribuit ius in beneficio: enim verò quomodocunque constet de illius voluntate, sufficit ad eum effectum, ut notat Glossa in cap. si quando 4. 1. verbo, salutationis, vers. sed pone: de sentent. excomm. & ex hoc dixit Innocent. in d. cap. quia circa, quod tolerantia, & dissimulatio Papæ ex certa scientia habent vim dispensationis, per illum textum, & per cap. super eo, ubi Glossa, verbo, dissimulare, de cognitione spirituali, cap. aqua 9. ubi Glossa, verbo, toleramus, de consecrat. Ecclesie, vel altar. & insinuant Pragmatica Sanctio, & Selua ubi supra, late Barbof. in d. allegat. 57. à n. 7. cum sequent. aliàs sequeretur inconueniens, quod Papa incideret in peccatum, v. g. si scienter cum excommunicato communicaret, iuxta notata in cap. si aliquando 4. 1. de sententia excommunicationis, ubi Barb. in eius collect. an. num. 3. late disputat hunc articulum, & consequenter dicendum est, quod per indirectum ex tolerantia, vel tacito consensu cum tali scientia dispensare videatur; & iuxta prædictos casus potest intelligi secunda sententia Dianæ & aliorum de quibus supra, num. 3.
- 15 Tertius casus est, quando Papa habet quandam nudam, & simplicem tolerantiam, vel patientiam, aut dissimulationem, destitutam aliquo indicio vehementi, inducentem tacitum consensum; quia tunc affirmandum est, nullatenus voluisse dispensare: argum. textus in cap. cum iam dudum 18. ubi Glossa, verbo, per patientiam, de prebend. & expressè in Clementina, si summus, de sententia excommunicat. & docent Ioan. Andr. & Ant. & cum Abbate in dict. cap. quia circa, & Doctores supra allegati.
- 16 Et ratio est, quia tacitus consensus, etiam in fauorabilibus, non inducit approbationem quando ultra consensum requiritur aliquid aliud, ut cum Calderino conf. 223. in fine vers. & per hoc responderetur, alias conf. 2. de preben. docet Cardinalis Tuschus tom. 8. lit. T. conclus. 2. n. 2. & iuxta hunc modum potest intelligi prima sententia de qua supra, n. 1. & 2. videlicet, quando ex tolerantia, vel patientia Papæ deduci non potest tacitus consensus, inclinans ad coniecturandam, vel colligendam voluntatem dispensandi, quia tunc ex illa tolerantia vel patientia, intrusus non censetur dispensatus: hæcque intelligenda veniunt solum de Papa, iuxta distinctionem traditam supra, n. 4.
- 17 Deueniendo iam ad secundam partem distinctionis, videlicet de aliis Prælatibus inferioribus, dicendum est, quod ipsorum tolerantia, aut patientia, vel tacitus consen-

sus nullatenus intruso aliquod ius attribuit: si canonica, seu legitima prouiso, & collatio non interuenerit, ut docet Glossa in cap. dilecto 25. verbo recepisti, in fine, de prebendis, & ibidem notant Hostiens. & communiter Doctores, & in specie Cosmas in pragmat. sanctione, & Ioan. de Selua in locis supra citatis.

Et facit ad intentum quod tradit Barb. in collect. ad tex. in cap. non firmatur 18. n. 4. de regul. iur. in 6. ubi probat, quod in electione nulla, consensus superueniens per se non sufficit ad constituendam nouam electionem, nisi reparentur, & iterentur ea, quæ necessariò iteranda, & reparanda sunt ad validitatem actus; eum igitur solus Papa possit dispensare cum intruso, aut aliquod ius ei conferre in beneficio, & talis facultas, seu potestas alicui Prælati inferiori non sit concessa, ut diximus supra, q. 54. à maiori parte rationis sequitur exinde, quod nullatenus tolerantia, vel tacitus consensus Episcopi, vel alterius Prælati inferioris, virium intrusionis sanare valeat: ex ea euidenti ratione, quia si expressus consensus id efficere nequit, multo fortius nequit tacitus; ut notant Bartol. & Doctores in l. Filius familias, §. inuitus ff. de procuratoribus, Abbas in d. cap. dilecto, n. 13. Corset. in singul. in verbo, taciturnitas, incip. in Onerosis &c. Quare concludendum est circa hunc articulum, quod tacitus consensus Prælati inferioris nullum ius confert intruso, respectu beneficii in quo se intrusit, nec aliquod præiudicium generat.

Aduertendum tamen est circa proximè dicta quod notat Abbas in d. num. 13. in fine, nimirum quod licet per tolerantiam, vel patientiam Episcopi, vel alterius inferioris Prælati respectu intrusi in beneficio nullum præiudicium inducatur, ut ipse aliquod ius, vel titulum in eo consequatur; attamen operatur, ut ipsi Prælati præiudicet, ne possit illum compellere ad exhibendum titulum sui beneficii; per ea quæ diximus supra, q. 7. numer. 7. & 45. cum sequent. ***

QVÆSTIO CIV.

Si Titius se in Canonicum super numerum taxatum intruserit, & alij Canonici numerati ipsū diu tolerauerint, permittendo eum participem effici emolumentorum, an per hoc Canonicoꝝ numerus fractus reperiatur, & ex tali tolerantia aliquod ius canonicale huic intruso fuerit quaesitum.

S V M M A R I V M.

Intrusus in canonicatu super numerum destinatum non acquirit aliquod ius, nec frangit numerum destinatum, licet alij Canonici illum diu tolerauerint. n. 1.

Capitulum Canonicoꝝ non potest aliquod praedictum experiri in actibus per Canonicos extra illud factis, si alijs ab omni Capitulo aliquam habeat dependentiam. n. 2.

Tolerantia Canonicoꝝ nihil operatur in actibus, in quibus requiritur Capitularis consensus, & approbatio. n. 3.

Tolerantia, seu tacitus consensus ut operetur approbationem, requiruntur actus positivi declarantes consensum. n. 4.

Tolerantia sola in aliquo actu, requirente consensum, non tribuit titulum. n. 4.

Intrusionem in beneficio non sanat tolerantia, nec ex ea attribuitur aliquod ius intruso. numer. 4.

Fructuum perceptio ex beneficio est actus positivi tituli beneficalis. n. 5.

Actus accessorius ad principalem non potest conferre, quod consequi non posset ex principali. n. 5.

Intrudens se in Canonicum super numerum taxatum, non consequitur aliquod ius canonicale, nec frangit numerum Canonicoꝝ, licet alij ipsum tolerauerint, permittendo participare de emolumentis. n. 6.

Itae quaestio elegans, & non vulgaris, eamque mouet Cardinalis conf. 108. alijs 109. in ip. Vacantibus canonicatu, & praebenda, &c. quam cum ipso disputat etiam Felinus in cap. cum M. Ferrariensis, de constitutionibus, n. 8c. & final. qui resoluunt, nullatenus fractum esse numerum Canonicoꝝ, nec aliquod ius

quaesitum tali intruso; eorumque fundamenta breuiter dicemus, cum penes ipsos longius videre possis.

Quia ad hoc ut Capitulum praedictum fieri posset, necessarium erat ut capitulariter exequeretur, alijs namque factum non dicitur; per ea quae notat ipse Felinus in cap. cum omnes 6. n. 24. & sequen. de constitutionibus, ubi probat, quod tolerantia Canonicoꝝ nihil operatur, in actibus, in quibus requiritur consensus, & approbatio Capitularis, quia fieri debet per totum Capitulum congregatum; ergo talis tolerantia Canonicoꝝ numeratorum respectu Canonici supernumerarij inique se intrudentis, non frangit numerum, nec aliquod ius ei praebit.

Secundò, quia ad inducendam talem fracturam requiruntur actus positivi, declarantes consensum, & seruatis de iure seruandis, iuxta textum in cap. dilecto, §. praeterea, circa medium, ubi, Quoddam ius spirituale de nouo creando &c. de praeben. & dignitatibus, ergo tolerantia non erit sufficiens, quia haec non attribuit titulum, ut patet ex clement. si summus, de sentent. excom. & ex cap. cum iam dudum 18. & ibi Glossa verbo, per patientiam, de praeben. & conducunt quae diximus supra, in quaest. antecedenti, n. 16. & sequen. sed in praesenti casu tolerantia non potest sanare vitium intrusionis; & similiter deficit expressa voluntas aliorum Canonicoꝝ, ergo caret titulo, eoque non existente, nullum ius potuit acquirere.

Nec contra hoc potest considerari pro actu positivo, illa fructuum perceptio: quia ut bene considerat Felinus, licet ex se sit actus positivus, attamen in praesenti pro tali qualificari non potest: nam est accessorius ad principalem actum, & exinde sequitur, quod cum ex actu accessorio non conferatur quod est principale, consequenter existens (propterea existit) titulus principalis infectus, non potest iudicari pro actu positivo ille accessorius, qui per necesse est infectus.

Haec & alia considerant Cardinalis, & Felinus ubi supra, apud quos videre poteris, & ex ipsorum dictis concludendum est, quod qui se intrudit in Canonicum supra numerum taxatum, non acquirit aliquod ius Canonicale, licet ceteri Canonici illum diu tolerauerint, permittendo participare de emolumentis, nec ex eo fractum esse numerum, & exinde quod potest puniri poenis comminatis contra intrusos, de quibus agemus infra, q. 115. & seq.

QVÆST.

QVÆSTIO CV.

An diuturnitas temporis, seu praescriptio tribuat intruso aliquod ius in beneficio.

S V M M A R I V M.

Praescriptio titulum tribuit intruso in beneficio, in quo se intrusit. n. 1.

Consensus Ordinarij requiritur, ut concessio Ecclesiarum facta a laicis, valida iudicetur. numer. 1.

Ecclesiarum ius ex praescriptione acquiri potest. n. 2.

Intellige ut n. 5. & 12.

Beneficij ius praescribi potest. n. 2.

Intellige ut n. 5. & 12.

Ius patronatus praescribi valet. n. 2.

Triennalis possessor beneficij cum titulo colorato non potest a quoquam Superiore molestari, iam in possessorio, quam in petitorio, etiam ratione iuris, non nouiter quaesiti. numer. 3.

Intellige ut n. 16.

Triennalis legitima possessio beneficij inducit titulum realem, & ex illa resultat melior titulus de mundo. n. 4.

Intrusus in beneficio nullatenus acquirit aliquod ius in eo, etiam si per centum annos, & ultra possiderit. n. 5.

Beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione acquiri non potest. n. 5.

Praescriptio sine titulo fieri non potest. n. 5.

Beneficium praescribere non possunt carentes canonica institutione, etiam si titulum & bonam fidem habeant. n. 6.

Canonicam institutionem beneficij qui non habet, nullatenus efficitur legitimus Beneficiatus; etiam si per longum tempus illud detineat. n. 7.

Intrusus in beneficio quanto diutius illud possidet, tanto magis est prado, & latro. n. 8.

Diuturnitas possessionis in beneficalibus non tribuit titulum, si iste fuerit infectus, & intrusus. n. 8.

Praescriptio in beneficalibus sine canonico titulo non admittitur. n. 9. & 10.

Beneficium sine canonica institutione obtineri non potest. n. 9. & 10.

Misio in possessionem ex primo, & secundo decreto, propter contumaciam Rei absentis, non admittitur in beneficalibus, ne permittatur vitiosus ingressus. n. 10.

Praescriptibilia non sunt iura publica. n. 11.

Res spiritualis praescribi non potest. numer. 11.

Praescribere potest una Ecclesia aliam tanquam

subiectam, vel unitam, conuertendo ipsam in proprios usus. n. 12.

Intellige ut n. 13.

Ecclesia non potest praescribere aliam respectu tituli. n. 13.

Praescribere non potest aliquis beneficium ad sui, vel alterius utilitatem, si intrusus, fraudulenter, simoniace, aut minus canonicè illud consequatur. n. 14.

Misio in possessionem causa rei seruanda ob contumaciam partis aduersae, nequaquam admittitur in beneficalibus, ne pateat vitiosus ingressus. n. 15.

Triennalis pacificus possessor beneficij praescribit ius illius, si Canonico, & legitimo titulo sit munitus, non tamen si iniustus & intrusus existat. n. 16.

Clericus possidens beneficium alterius cum bona fide, & titulo colorato per decem annos inter praesentes, & per viginti inter absentes, illud praescribit in praedictum veri beneficiati. n. 17.

Praescriptio introducta fuit in poenam negligentium in recuperando quod suum erat. numer. 17.

Intrusus in beneficio licet per longum tempus illud possideat, non acquirit sibi aliquod ius, licet ad commodum Tertij praescribere possit propter negligentiam veri beneficiati in non recuperando, quod suum erat. n. 18. & 19.

Titulus bonus licet allegetur, si a principio fuit infectus, & intrusus, non prodest ratione longitudinis temporis ad inducendam praescriptionem. n. 19.

Diuturna possessio cum tolerantia Superioris non confert ius possidenti beneficium iniuste, & intrusue, sine noua collatione, sanando infectionem. n. 20.

Possessio diuturna beneficij si sit intrusua licet non sanet vitium intrinsecum existens in ipsa, refacit tamen indicium enidens in foro exteriori, ut non praesumatur, intrusionem existere. n. 21.

Sed si postea legitime constitit de intrusione, poterit talis possessor remoueri. n. 22.



DIUTURNITATEM temporis, vel praescriptionem, titulum intruso tribuere, ad obtinendum beneficium, in quo se intrusit, suadetur ex textu in cap. Cura 11. de iure patronatus, ubi deciditur, quod Religiosi vendicare, vel retinere non possunt Ecclesias sibi à laicis concessas, sine Diocesani consensu, nisi legitima fuerint praescriptione muniti; ergo patet, Ecclesiam seu beneficiū posse ex praescriptione acquiri: & ita docent Couar. in regula, possessor, p. 2. §. 10. n. 1. & 8. Azor. tom. 2. in st. moral. lib. 6. c. 19. q. 11. vers.

vers. quoad secundum, & pluries declaravit Rota, ut habetur *decis. 229. n. 1. & decis. 407. num. 1. p. 1. divers.* & plura cumulans quoad præscribendum ius patronatus, latè Viuianus in *praxi iuris patronatus lib. 2. cap. 9. n. 3. & 14. cum sequen.* præcipuè *num. 26. & lib. 4. cap. 8. n. 2. & sequen.*

- 3 Secundò suaderetur ex regula 33. Cancellariæ de *Triennali*, quæ disponit, ut possessor beneficij pacificus per triennium cum titulo colorato non possit super eo à quoquam molestari, tam in possessorio, quàm in petitorio, etiam ratione iuris nouiter quæsitæ, taliter quod sufficiat ad inducendum validum, & legitimum titulum, ut per Mantiam *decis. 68. n. 8.* Gregor. XV. *decis. 37. n. 3.* Peñam in *meis recollect. tom. 1. decis. 61. n. 2.* In tantum ut nec de cõfidentia redargui possit, qui suffultus fuerit tali triennali pacifica possessione cum titulo, ut cum Sarnen. in *d. regula de Triennali, q. 12.* & aliis declarauit Rota penes Peñam *vbi proximè, decis. 270. n. 5.* quia ex illa resultat titulus realis, & melior de mundo, Coccinus *decis. 475. num. 4.* Peña in *d. tom. 1. decis. 232. n. 2. & 11. & decis. 256. num. 4.* vbi mea Annotatio alias allegat; exceptis tamen casibus *ibidem* expressis, de quibus Glossatores Regularum Cancellariæ, ut per Ludouicum Gomezium *super dictam Regulam, q. 47. & q. 57.* & alios; ergo tempus triennale pacificum tribuit possessori ius in beneficio: de quo articulo Couar. in *d. regul. possessor, 2. p. §. 10. num. 9.* vbi latè & optimè discutit materiam.

- 5 His tamen non obstantibus, sine hæsitatione, & dubitatione concludendum est, intrusum in beneficio nullatenus posse aliquod ius in eo acquirere, etiam si centum annos, & ultra possideret; nam certum est, beneficium possideri, aut titulum aliquem in eo licite haberi non posse sine canonica institutione, *cap. 1. de regulis iuris in 6.* cum concordantibus, sed ad inducendam præscriptionem præcisè titulus requiritur; ergo cum intrusus illo careat, nullo modo præscribere valebit.

- 6 Secundò, quia carentes canonica institutione, sunt inhabiles ad præscribendum beneficium, quamuis aliàs cum titulo, & bona fide possideant; ut resoluit Couar. in *d. §. 10. n. 9.* & communiter Doctores in *cap. dilecto, de præben. & in d. cap. cura, de iure patronatus, & ibidem* præsertim Abbas in *secundo notabili*, Hostien. in *cap. postulaisti, post numerū 1. vers. ut ipsa, de rescrip.* vbi resoluit, in eo textu expressum ius esse, quod si in beneficio canonica non fuerit institutio, longi temporis detentio sine dispensa-

tionem nullatenus proficere poterit: ex quo dixit Baldus *conf. 209. incipiente, Casus est talis, ad finem, volum. 1.* quod intrusus quando plus & diutius possidet beneficium, cum ingressum infectum & non canonicum habeat, tanto magis est prædo & latro; quia in beneficialibus diurnitas possessionis non operatur ad sanandos defectus, & consequenter nec præscriptio, & sumit argumentum ex *cap. ex parte 7. ibi & cam triginta annis, de testibus.*

Licet de huius Baldi sententia tanquam sibi met ipsi contrarij dubitent Mascardus *de probat. conclus. 259. incipiente, Canonicum quem esse ut probetur & c. n. 10.* & Tiraquel. in *tract. de prescrip. glos. 4. vers. sed huic sententia, pag. mihi 96.* qui eisdem ferè verbis proponunt dubium, nec audent suum interponere iudicium: sed reuera prædicta conclusio sequenda est, quam cum Couar. *vbi supra, & Balbo de prescrip. 1. p. 5. principali n. 8.* & Beroio in *cap. cura, num. 1. de iure patr. & Caldas Pereira de renouat. emphyt. q. 15. n. 22.* docet Barb. in *collect. ad textum in d. cap. 1. de regul. iur. in 6.* vbi ex tribus validissimis argumentis adstruit dictam opinionem.

Et primò, quia si in beneficialibus præscriptio admitteretur, sequeretur exinde, quod possidens beneficium, posset sine canonica institutione illud detinere, quia post consummatam præscriptionem absque vlllo alio titulo licite retineretur, ut resoluit Glossa in *cap. vigilantia, verbo, nouerit, & in cap. ultimo, verbo, nulla, de præscriptionibus, & plures referens tradit Cenedo in collect. ad Decretal. coll. 50. n. 3.* sed beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione nullo modo obtineri nec detineri potest, ex *d. cap. 1. cum concordantibus, de regul. iur. in 6.* ergo &c.

Secundò probatur, quia in beneficiis interdicitur immissio in possessionem ex primo, & secundo decreto propter contumaciã Rei absentis, ne ad illam cõsequendam admittatur vitiosus ingressus; sed si talis præscriptio in beneficialibus locum haberet, pareret vitiosus ingressus ex intrusione commissa, ut ad oculum conspicitur; ergo &c.

Tertiò & ultimo, quia iura publica non sunt præscriptibilia, ut deciditur in *l. præscriptio. 5. ibi, iuri publico non debet obstare, Cod. de operibus publicis, & in aliis pluribus casibus, de quibus Glossa in cap. cum non liceat, verbo, non obstante, de prescrip.* vbi inter alios enumerat, ut res spiritualis iniusto titulo acquisita præscribi nequeat, per textum in *cap. præterea, el secundo, de transact.* ergo cum iuri publico repugnet quod quis

quis consequatur ius in beneficio sine canonico titulo, ex *d. cap. 1. de regul. iur. in 6.* & intrusus sit omnino illo destitutus, sequitur exinde, quod contra ius publicum intrusus præscribere non possit.

- 12 Nec obstat textus in *d. cap. cura 1. de iure patron.* (de quo supra, *num. 1. & 2.*) nam ut *ibidem* notant communiter Doctores, locum sibi vendicat, quoad proprietatem, ut scilicet vna Ecclesia possit iure proprietatis aliam præscribere tanquam subiectam, vel unitam, conuerrendo ipsam in proprios vsus, ut aduertunt Henric. in *cap. sicut vnire, de excessibus Pralat.* Panormitanus in *cap. ut super, de rebus Ecclesiæ: quem refert & sequitur Mascardus de probationibus, conclus.*

- 13 203. n. 6. Non autem respectu tituli, quia quoad eum, non potest quis Ecclesiam præscribere, ut docent idem Henric. & Hostien. in *d. cap. dilecto, de præben. & in cap. relatum, de iure patron.* Baldus in *l. 3. Cod. de emancipatione liberorum.*

- 14 Et ideo qui simoniacè, vel fraudulenter, aut subreptitiè, vel intrusiuè, seu minus canonicè beneficium consequitur, illud ad sui, vel alterius vtilitatem præscribere non valebit, iuxta textum in *cap. Principatus, l. q. 1. & ex hoc infert Cosmas in pragmat. sanctione, tom. 2. sub tit. de pacificis possessor. in*

- 15 *glos. verbo, triennio, n. 2. & 3.* quod beneficium quoad titulum præscribi non possit & ideo in beneficialibus nequaquam locum habere missionem in possessionem causa rei seruandæ ob contumaciam partis aduersæ, ne vitiosus ingressus pateat ad beneficium: ut in *cap. vnico, de eo qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ, & ibidem ipse Cosmas n. 4.* ita concludit: *Non tamen sibi dominium acquirat, si fuerit titulus iniustus &c.* Ex quibus, dictum caput, *Cura*, non officit supradictæ resolutioni, cum eius decisio loquatur in diuerso casu.

- 16 Nec similiter obstat secundum ex Regula Cancellariæ de *Triennali*, de quo supra *n. 3.* Enimuerò licet dicta Regula operetur, ut talis pacificus possessor possit contra alium, præscribere beneficium, non tamen efficit, ut si sit intrusus, & iniustus possessor illius, dominium sibi acquirat: ut patet ex his quæ latè congerit Glossa in *cap. contingit, verbo, constituitur, vers. sed numquid, de dolo, & contumacia, ex quo* resoluit Abbas in *cap. capitulum, de rescrip. & in cap. in literis, de restitutione spoliatorum, & Ioan. Andreas in cap. sine exceptione, de re iudicata in 6.*

- 17 quod Clericus possidens beneficium alterius per decem annos inter præsentem, & per viginti inter absentes cum bona fide, & titulo colorato, illud præscribit in præ-

iudicium veri Beneficiarij; & licet non acquirat ius perfectum talis beneficij, attamen præscriptio effectum habebit in præiudicium illius, qui morosus, & negligens fuit in recuperando, quod suum erat, cum videatur per lapsum temporis habere illud pro derelicto, & consequenter in pœnam suæ negligentia præscriptio effectum sortiri debet. per ea quæ notantur in *l. si de eo, §. si forte, ff. de acquirenda possessione, & in §. quod autem, Instit. de vsucapionibus, Abbas vbi supra, & communiter Doctores in cap. cum venissent, per eum textum, de restit. spoliatorum, non tamen consequetur dominium, & titulum legitimum.*

Et ratio est, quia in tali casu ille negligens potius ex facto proprio, quàm ex facto possidentis amittit beneficium, sed nullatenus sibi beneficium acquirere potest propter infectionem intrusionis per ipsum commissa, ex causa vitij intrinsicè existentis in ipsa re: nam licet titulus bonus allegetur, si à principio nullus, aut infectus, seu intrusus extitit, non prodest ratione longitudinis temporis, ut cum Riminaldo seniore *conf. 363. n. 19.* declarauit Rota, ut patet in *meis recollectis Peñæ tom. 2. decis. 965. n. 9.* de quo latè videre poteris Ludouicum *decis. 289. n. 14. cum seq.* ergo non reperitur repugnantia, quod beneficium præscribatur in præiudicium veri Beneficiarij propter ipsius negligentiam, ad effectum, ut canonicè conferri possit alicui Tertio, & quod intrusus præscriptioni fomentum præstet ad eum effectum. non vero ut beneficium sibi acquirat. ne detur vitiosus ingressus, quod quidem iura summo perè abhorrent.

Et ad intentum ponderari possunt quæ docent Bartol. in *l. sequitur, §. si in via, ff. de vsucapion. & Innocen. in cap. si plerique, de immunit. Eccles.* quod adeo sunt vera proximè dicta, ut locum habeant, etiam si cum temporis diurnitate concurreret tolerantia Superioris; quia ut iam latè diximus supra, *q. 103. cum duabus sequentibus*, tolerantia aut tacitus consensus Superioris, non tribuit aliquod ius possidenti intrusiuè nulliter, aut iniuste, sine noua collatione, sanando antecedentem infectionem; ut in *cap. dilecto, de præben. & c.* patet ex his quæ annotauimus in *dictis quæstionibus*, enimuerò si titulus est infectus, nullus, & intrusiuus, nec diurnitas temporis, nec Superioris tolerantia sufficiunt, ad sanandam illam intrinsicam infectionem, seu tollendum vitium cohærens à principio, ut latè probauimus, ergo &c.

Illud tamen pro coronide huius quæstionis, 28

ftionis, & vero intellectu eorumque in presenti diximus, aduertendum est, quod licet temporis diuturnitas non attribuat aliquo titulum canonicum, vt sanet vitium intrusum existens in ipsa re, facit tamen evidens indicium, vt presumatur, quod saltem in foro exteriori credere debeamus, intrusionem, aut infectum titulum non existere, vt plures referens docet Parisius de resignatione beneficiorum, lib. 10. q. 4. n. 18. cum sequen. & probant communiter Doctores, quos pluries sequuta fuit Rota, vt per Peñam in dictis meis recollectis tom. 1. decis. 352. n. 4. cum non sit veri simile, Episcopum tolerasse illum, si legitimo & canonico titulo caruisset, Puteus decis. 173. n. 3. lib. 1. quem refert & sequitur Rota penes Peñam ubi supra, tom. 2. decis. 1004. n. 4. & sequen. optimè Ludouif. decis. 57. n. 7. & sequen. Attamen si postmodum, vel aliquoties legitime de intrusione constaret, remoueri deberet talis intrusus, vt resoluit Hostien. in d. cap. illud, de presumpt. per textum in cap. dilecto, de preben. & late docent Cosmas in pragmat. sanctione, tit. de pacificis possessor. §. quod si talem, in glossa, verbo, quancumque, littera A. & in specie Mascari. plures referens, in tract. de probatione. tom. 2. conclus. 1375. cum sequen. cum quibus finem imponimus huic quaestioni.

QVÆSTIO CVI.

Sententia Iudicis an det Intruso titulum, seu ius in beneficio.

S V M M A R I V M.

- Iudicis sententia attribuit intruso titulum, & ius in beneficio. n. 1.
Sed contrarium est verius, & tenendum. n. 2. & sequen.
Iuste possidet, qui auctoritate Iudicis possidet, num. 2.
Declarat vt n. 18.
Sententia lata in fauorem intrusi possessoris in beneficio, non confert ei aliquod ius, quod titulum. n. 2.
Sententia Iudicis non prabet canonicum titulum in beneficiis, si ille sit aliis iniustus, aut nullus, & à iure reprobatus. n. 3.
Matrimonium inualidum propter aliquod canonicum impedimentum, non validatur per sententiam Iudicis. n. 4.
Sententia lata super beneficio, si transiit in rem iudicatam, non potest retractari, dummodo non adsit canonicum impedimentum.

quod ipsius executionem valeat retardare. num. 5.

Prescriptio non consequitur, si adsit mala fides in possidente, etiamsi sententia Iudicis pro tali prescriptione fuerit lata. n. 5.

Sententiam fauorabilem qui reportauit ex falsis testibus, allegationibus, vel instrumentis, non est tutus in conscientia, sed adstrictus ad restitutionem. n. 6.

Sententia lata in causa beneficali transiit in rem iudicatam per lapsum decendij respectu condictoris, non vero Beneficiati, nec impedit quominus Iudex, saltem ex officio, possit inquirere de legitimo titulo. num. 7.

Missio in possessionem facta ex primo decreto Iudicis ex causa custodia ob contumaciam Rei non comparentis, indistinctè olim locum habebat in beneficiis, & transferebat possessionem; hodie tamen non transfert, si alias legitimus titulus non adsit. num. 8.

Sententia Iudicis in causa beneficali non sanat defectus intrinsecos tituli, vt infectio proueniens ex causa intrusionis sanata dicatur. num. 9.

Sententia lata si contineat causam ex qua resultet peccatum in eo, qui illam reportauit, non iransit in rem iudicatam, nec aliquod ius attribuit. n. 10. & 11.

Sententia lata super beneficio Ecclesiastico an transeat in rem iudicatam, est anceps quaestio, que sub distinctione decidenda est, n. 11. & sequen.

Sententia lata super beneficio transiit in rem iudicatam respectu contendentium in illa causa, non vero Tertij, qui in illa non fuit, taliter quod de nouo possit annullari, constituto de intrusione commissa ab eo qui fauorabilem reportauit. num. 12. & 13. cum sequen.

Litigans potest acquiescere sententia Iudicis sine peccato, etiamsi notoriam iniustitiam contineat, cum possit lite pendente ei cedere, & iuri suo renuntiare. n. 14.

Intrusus in beneficio, etiamsi sententiam fauorabilem reportauerit, non potest in conscientia illud retinere, cum sententia solum declarat ius ad ipsum pertinere, non tamen attribuit aliquem titulum in foro conscientie. num. 15.

Iustitia cum scelerato homine commercium non habet. num. 15.

Sententia lata in fauorem intrusi in beneficio, non impedit quominus Tertius qui non fuit in causa, possit agere per non ius illius. num. 16.

Res iudicata non habet locum quoad Tertium, qui in illa instans non litigauit. num. 17.

In

IN hac quaestione dicendum videtur, sententiam Iudicis attribui intruso titulum, & ius in beneficio, ex illa iuris Regula, quod iuste possidet, qui auctoritate Iudicis possidet. l. iuste possidet 11. ff. de acquirenda possessione. l. generaliter, ff. de noxalibus actionibus, & docent Iason in l. clam possidere, §. qui ad mundinas, n. 20. ff. de acquirenda possessione. & in l. si id quod, n. 33. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Tiraquel. in l. 9. con nubiali, in principio.

Contrarium tamen est verius, & tenendum videlicet quod sententia lata in fauorem intrusi possessoris in beneficio, nullatenus conferat aliquem titulum, seu ius: argumento textus in cap. cum dilectus 32. §. nos vero attendentes, de electione, & in cap. si quando 8 ibi, transactione, vel alio modo Ecclesias obtinuerint, de officio & potestate Iudicis delegati.

Ex quibus colligunt communiter Doctores, quod Iudicis sententia non prabet canonicum titulum in beneficiis, si aliis ille sit inualidus, aut nullus in radice, aut reprobarus à iure, sumpto fundamento ex matrimonio; hoc namque si in se habeat aliquod canonicum, & legitimum obstaculum, sententia Iudicis nullo modo illud validat, aut sanat, vt aperte deciditur in cap. lator, 7. cap. consanguinei 11. de sententia & re iudicata, & late tradunt Sanchez de matrimonio, lib. 7. disp. 100. n. 1. cum pluribus sequen. Scaccia de appellationibus, q. 17. limit. 34. & alij penes ipsos, optimè Hostienensis in summa sub tit. de sententia & re iudicata, §. quot sunt species: vers. numquid est hoc simpliciter verum, vbi postquam resoluit, quod post sententiam latam super beneficio, que transiit in rem iudicatam, retractari non possit, circa medium ita ait: Sed quid si post sententiam latam pro illo, qui rem alienam possidet, à qua non est appellatum, reperiat. pro quo lata est, quod aliena erat: & quidem si dum litigabat habebat malam conscientiam, non puto, quod sententia ipsum defenderet: vt probatur Cod. de rebus creditis. l. finali. & argum. ff. de condit. sine causa, l. fullo, ideò que si quis per falsas allegationes, vel falsos testes, aut falsa instrumenta scienter obtinuerit, in perpetuum tenebitur &c.

Quod etiam probat Panormit. in cap. cum dilectus 32. n. 5. de elect. vbi late agit de hoc articulo apud quem omnino videbis, & ibidem ita ait: Item nota, & tene menti textum, quia alibi non ita bene probatur, quod sententia lata in causa beneficali transiit in rem iudicatam per lapsum de

Tract. de Intrusione.

condij respectu scilicet condictoris, sed non in fauorem beneficiati, nec obstat quominus Iudex, saltem ex officio suo possit inquirere de titulo legitimo &c. & ibidem copiose agit de materia, apud quem videre poteris.

Secundò probatur, quia missio in possessionem facta ex primo decreto Iudicis, ex causa custodia ob contumaciam Rei non comparentis, olim in beneficiis indistinctè locum habebat, taliter quod possessionem transferebat, vt nota Glof. in cap. contingit, verbo, constituatur, vers. hodie vero: de dolo & contumacia, eo tamen non obstante non attribuit aliquod ius missio in possessionem, etiam stante decreto Iudicis, si aliis legitimum titulum non habuerit, vt optimè tradit Cosmas in pragmat. sanctione tom. 2. sub. tit. de pacif. possessor. in glof. verbo, triennio, n. 4. vers. & licet per pacificam possessionem &c. & aduertit Abbas in d. cap. contingit, n. 12. vers. venio ad secundum.

Ergo quamuis sententia Iudicis interueniat in causa beneficali, si titulus sit infectus ratione intrusionis, non poterit intruso aliquo ius generare sanando infectionem intrinsecam, quam in se continet.

Tandem ad intentum ponderandum est, quod sententia lata si contineat causam, ex qua resultet peccatum in eo, qui ipsam reportauit, non iransit in rem iudicatam, nec illi ius attribuit, vt docet Bernardus regul. 24. dub. 5. Tiraquel. de retract. tit. 2. §. 1. glof. 2. n. 37. & plures referens Ioan. Valeri. de vtroque foro, verb. sententia, differentia 5. n. 2. & in causa vfurarum docent Petrus Barb. in l. Titia, n. 54. ff. soluto matrimonio, Valascus consult. 22. ergo cum intrusio semper contineat in ipso intruso magnam turpitudinem, & peccatum (vt sæpè diximus) non poterit sententia Iudicis aliquod ius tribuere, de quo vide Felin. in cap. lator, de sentent. & re iudicata, num. 11. cum duobus sequen. in declarat. 10. & Lambert. de iure patron. p. 2. lib. 2. artit. 6. q. vltima principali. fol. mihi. 203.

His ita prænotatis, aduertendum est, quod Augustinus Barbof. in terminis disputat in collect. ad tex. cap. 1. n. 4. de concessione prebende, an sententia lata super beneficio Ecclesiastico transeat in rem iudicatam? & postquam pro vtraque parte proposuit fundamenta; tandem ex communi Doctorum sententia resoluit, hoc dubium sub distinctione decidendum; & componendum fore; videlicet quod sententia Iudicis ius attribuat intruso quoad illum, qui in causa succubuit, nam iste super retractione sententiæ audiri non debet, quia

A a contra

contra eum obstat, & præiudicat res iudicata, & huius respectu talis intrusus æquale ius consequitur, & iuxta hunc sensum intelligi potest prima sententia, de qua supra num. 1.

13 At verò illa Iudicis sententia, ad iudicans beneficium intruso, nullatenus transit in rem iudicatam respectu ipsius, nec ex illa aliquid ius acquirit, quamuis comperta infectione tituli propter intrusionem Superior reuocet, & annulet primam sententiam, condemnando intrusum in priuatione beneficij & restitutione fructuum, vt deducunt & intelligunt ac summant communiter Doctores textum in cap. cum olim, de dolo, & contumacia, taliter quod quilibet cum quo lis non fuit discussa, possit causam intètare, quin ei nocere valeat exceptio rei iudicata, nec similiter impedire prosecutionem instantiæ, ex regula textus in l. 3. & 4. ff. de exceptione rei iudicata, quam distinctionem amplectuntur Abbas in cap. cum Bertoldus, n. 28. de re iudicata, Rota decis. 17. eodem titulo, in antiquis, Sicul. qui communem appellat, in cap. ad audientiam, num. 54. de rescriptis, latè Couar. de sponsal. p. 2. cap. ultimo num. 12. quos refert & sequitur Barb. in d. collect. ad tex. in d. cap. 1. num. 4. de concess. prebendæ quibus copiose iunge Cosmam in pragmat. sanctione sub titulo de pacificis possessoribus in glossa verbo, triennio, n. 5. à vers. sed cum aliquis mittitur in possessionem, cum pluribus seqq.

14 Et rationem diuersitatis adducunt, videlicet quod ille qui fuit victus, potuit sine peccato obedire, & acquiescere sententiæ, cum potuerit pendente lite iuri suo renunciare, vt colligunt Couar. vbi proximè, n. 14. & Boërius decis. 206. num. 2. cum sequen. ex text. in cap. 2. ibi, renunciauit, de in integrum restitutione, & in cap. 2. ibi, lite pendente cedant &c. vt lite pendente, & consequenter cum tunc potius ex facto suo, quam ex iuris dispositione instantia fuerit perempta, æquum est, vt ad sui præiudicium sententia ei obstat, vt latè docent Barbofa & pragmat. Sanctio, vbi proximè, à n. 6. & sequen. vbi adducit plures casus, & fundamenta comprobantia prædictam conclusionem.

15 Secus autem, & diuersum iudicium efformandum est in intruso victore, qui quidem cum nullum ius acquisierit virtute sententiæ, obstatte ei infectione tituli propter intrusionem (vt iam probauimus supra) exinde non poterit salua conscientia beneficium retinere in vim sententiæ quæ solum declarauit in foro exteriori, ad eum ius pertinere, argum. text. in l. sicut, §. etsi quidem, ff. si seruus vendicetur, non autem

in foro interiori & conscientiæ ius attribueri, cap. forus 10. in fine, ibi, non enim potest iustitia cum scelerato homine habere commercium, de verborum significatione, & probat Felin. in cap. olim, n. 10. & sequen. per eum textum, de rescriptis, quem refert & sequitur Barb. vbi proximè, in d. n. 4. in fine, idemque admittit Pragmat. Sanctio vbi supra, à numer. 8.

17 At verò Tertius, qui non fuit in causa, expelli, seu impediri non potest, ne contradicat, aut opponat contra talem intrusum, iniustum, & illegitimum possessorem, petendo beneficium per non ius illius, quia in eo titulum vel ius nunquam habuit, & sic se fundat in vitio intrinseco existente in ipso intruso, quod sententia non sanat, (vt probauimus supra) & consequenter iste Tertius, ranquam non victus, neque sententiæ acquiescens, poterit agere ad priuationem, nec contra ipsum obstat res iudicata, cum hæc non se extendat ad eos, qui non fuerunt consortes in instantia, & ex his ad oculum patet differentia: de qua, & aliis conducentibus ad hunc articulum, videre poteris penes Felinum, & Abbatem, Couar. Pragmat. Sanctionem, & Augustinum Barb. in locis superius allegatis.

Nec obstat regula supra tradita n. 1. ex l. iuste possidet, quia intelligi debet in foro exteriori, non vero quando adest obstaculum intrinsecum, quod inficiat, ne in foro interiori res, aut beneficium possideri, seu retineri possit, quia tunc in conscientia debet quanto citius restituere, & dimittere, per ea quæ diximus supra, in q. antecedenti, à n. 5. cum sequen. Et præterea d. regula quod sententia Iudicis præbet titulum, fallit in beneficalibus & matrimonialibus, quando adest infectio, quæ reddit nullum ipsum titulum beneficij, vel ipsum matrimonium; vt aduertunt ibidem communiter Doctores, & patet ex his quæ tradunt Pragmat. Sanctio & Barb. vbi supra.

QVÆSTIO CVII.

Confessio partis aduersæ an tribuat ius intruso.

S V M M A R I V M.

Confessio partis non attribuit aliquod ius, seu titulum intruso in beneficio. n. 1. & seq.

Confessio in beneficalibus nocet consentienti, ad effectum sibi præiudicandi respectu ipsius beneficij, non verò ad utilitatem, & commodum partis aduersæ. n. 2.

Benefi

Beneficium Ecclesiasticum non debet adiudicari parti, propter confessionem aduersarij. numer. 3.

Beneficium Ecclesiasticum, vt alicui adiudicatur, præcisè probare tenetur ad se pertinere, & non sufficit confessio partis aduersæ. n. 3. Confessio partis super iure beneficij facta non probat institutionem, quia pars de per se non probat institutionem, si aliunde ex aliis documentis non constiterit. n. 4.

Titulum beneficalium solus Superior potest attribueri. n. 5.

Confessio partis facta in beneficalibus excludit consentientem, ad effectum consequendi beneficium, & vt Iudex in vim suæ confessionis ipsum excludat. n. 6.

1 **I**N quæstione antecedenti resolutum reliquimus, sententiam Iudicis nullum ius attribueri intruso in beneficio, ex fundamentis ibidem ponderatis; ex quibus resultat, quod à fortiori nec partis confessio erit sufficiens, ad concedendum illi aliquid ius; licet enim in beneficalibus confessio præiudicet consentienti, vt ei silentium imponatur super ipso beneficio, argum. text. in cap. 2. de confessis, in 6. & Glof. in cap. post electionem, verbo, constitit, de concessione prebendæ; non tamen proficit ad utilitatem, & commodum partis aduersæ, ad effectum vt ex tali confessione beneficium adiudicetur ei, in cuius fauorem fuit facta confessio, quia vt quis obtinere possit beneficium, præcisè probare debet illud ad se pertinere, vt plures referens tradit Barb. in collect. ad tex. in cap. olim 25. de rescript. n. 3. ergo confessio de per se non dabit aliquid ius in beneficio, & consequenter Superiori, vel habenti ius ad conferendum non præiudicabit.

4 Et ratio est, quia confessio partis super titulo beneficij facta, nullatenus probat institutionem, non enim pender à parte, nec ipsa potest de per se titulum in beneficio præstare, vt aduertunt Archidiacon. in d. cap. 2. de confess. & ibidem Ioan. Andr. & in cap. 1. de eo qui mittitur & c. Hostiens. in cap. 1. de concess. prebendæ, Henr. in cap. dudum 2. de elect. & communiter Doctores; id namque pender ab auctoritate Superioris, qui solus, & non alius potest titulum beneficalium attribueri, & consequenter confessio partis nihil ponit in esse, ad effectum vt ex illa intrusus aliquid ius, vel titulum consequatur, & solum operatur, vt talis confessio in causa beneficali excludat consentientem ad effectum consequendi beneficium, & vt Iudex in vim suæ confessionis ipsum

Tract. de Intrusione.

repellat, proferendo contra eum sententiam, vt aduertit Barb. in collect. ad tex. in cap. 1. n. 4. in fine, de concessione prebendæ vbi ad intentum allegat Præpositum in cap. super eo, n. 5. de eo qui cognouit consanguineam & ipsamque resolutionem in specie comprobat latè Cosmas in pragmat. Sanctione, tom. 2. sub tit. de pacif. possessoribus, in gloss. verbo, triennio, numer. 10. vers. similiter licet confessio.

7 Ex quibus concludendum est, confessionem partis nullum ius, aut titulum attribueri intruso in beneficio; de quo vide Dominic. in cap. 1. n. 6. de eo qui mittitur in possessionem: in 6.

QVÆSTIO CVIII.

Transactio, seu amicabilis compositio, an tribuat ius intruso in beneficio.

S V M M A R I V M.

Transactio non potest interuenire super re sacra, aut spirituali, & consequenter neque super beneficio Ecclesiastico. n. 1.

Intellige vt n. 3.

Simonia committitur si fiat transactio super Beneficio Ecclesiastico, cum ex ea semper resultet aliquid temporale. n. 2.

Quod extende etiam si iuramento sit munita. num. 4.

Pactio qualibet inhonesta, & illicita super aliquid ius spirituale, est prohibita à iure. num. 3.

Transactio circa rem spiritualem non est simonica, si cum alia re spirituali proportionata fiat compensatio. n. 3.

Transactio in rebus spiritualibus est indirecta, non verò amicabilis compositio. n. 5.

Ratio differentia assignatur. n. 6.

Transactio differt ab amicabili compositione. num. 6.

Licet in aliquo conueniat. n. 11.

Lis finire potest, etiam in rebus spiritualibus per amicabilem compositionem, ex eo tamen nullus titulus, aut ius attribuitur. n. 7.

Intrusus in beneficio, qui ex aliqua amicabilis compositione fuit conuentus, nullum ius, aut titulum ex illa consequitur. num. 8. & sequent.

Intrusionis cognitio in beneficalibus, aut spiritualibus terminari, aut decidi non potest per transactionem, nec per amicabilem compositionem. n. 8.

Compositio qualibet (etiam amicabilis) in be-

A a 2

neficia

beneficialibus non tribuit aliquem titulum canonicum, si non interueniat Superioris auctoritas. n. 9. & 11.

Beneficium si aliquis consequatur ex transactione, caret canonico titulo, & ideo ut iurus existat, indiget noua prouisione. numer. 10.

Confessio partis, aut sententia Iudicis non conferunt ius intruso in beneficio. n. 11.

RVLCHRA & notatu digna iudicari debet præsens quæstio, super cuius resolutione notandum est, quod in quacunque re sacra, aut spirituali, nequaquam transactio interuenire potest, & consequenter, neque super beneficio, ex ea ratione, quia videtur in se continere aliquam labem simoniæ; nam frequenter ex talibus actibus resultat, vel resultare solet aliquis pecuniæ remuneratio, vel donatio, vel alterius rei temporalis, aut saltem promissio, seu spes, in remunerationem rei spiritualis, vt expressè deciditur in *cap. super eo* 7. vbi communiter DD. de *transact.* & latè docent Suarez de *reliq. tom. 1. lib. 4. de Simon. cap. 5. n. 8.* Valer. Regin. in *praxi fori pœnitentialis lib. 2. 3. cap. 1. n. 149.* vbi responder ad iura, quæ absolute prohibent omnem pactationem in spiritualibus, quæ quidem intelligenda veniunt de inhonestis, & illicitis; veluti si aliquid turpiter detur pro spirituali, in huius iniuriam, vt optimè docet Bonacin. *tom. 1. tract. de Simon. disp. 1. quæst. 4. §. 1. n. 3.* vbi *num. 4.* resoluit, quod transactio circa rem spiritualem non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur alia re spirituali proportionata.

4 Quod quidem adeo est verum, quod talis transactio, quæ non sit de re spirituali proportionata, iudicetur inualida, & nulla, vt nec iuramento valideretur; argumento textus in *cap. quanto* 18. de *iurciurando.*

5 Attamen licet illa transactio non sit admissibilis; amicabile compositio prohibita non reperitur, sed immò validè interuenire potest, vt expressè deciditur in *d. cap. super eo, in fine, de transactionibus,* ibi, *alias si gratis, & amicabiliter inter se litigantes componant, sacris Canonibus nequaquam dicimus obuiare, &c.* & *ibidem* Glossa verbo, *amicabiliter,* alia iura allegat idem probantia, & docent Suarez in *d. cap. 5. n. 1.* Bonacin. in *d. §. 15. propositione 2. n. 5.* Valerius Reginaldus in *d. cap. 11. n. 156.* Filliucius tract. 45. cap. 11. q. 10.

6 Differentiæ ratio secundum prædictos Doctores, & Abbatem in *d. cap. super eo, in*

tertio notab. consistit in eo, quia finis transactionis tendit ad id, vt regulariter detur, aut accipiat, seu promittatur aliquid à partibus litigantibus, quo finiatur lis, ab eaque recedatur; compositio verò amicabile ferè semper fit gratis, & amicabiliter sine aliquo stipendio, vt dicit ille textus.

Et adduci potest exemplum in illis, qui 7 conueniunt amicabiliter, vt vnus, vel duo periti videant ipsorum iura, taliter quod illo carens acquiescat, & desistat ex eius declaratione, aut si vnus ex litigantibus cognoscens bonum ius non fouere, sed immò in colligante remanere, & ad ipsius preces desistat; nam in his, & similibus casibus licitum erit causam terminare: enim vero cum cesset causa, ob quam transactio prohibetur, debet & etiam prohibitio cessare.

Ex quibus dubium insurgit, an si inter 8 duos litigantes de beneficio, interueniat hæc amicabile compositio, taliter quod bonum ius habens cedat contradicitori, qui intrusus erat, an ex tali amicabile compositio, vel cessione, ille intrusus aliquod ius, vel titulum acquirat? & breuiter resoluendum est, nullum titulum, aut ius ei attribui, vt patet ex textu in *cap. si quando* 8. ibi, *transactio, vel alio modo, de officio delegati,* ex quo textu *ibidem* communiter notant Doctores, quod in beneficiis compositio partium nullum titulum canonicum præbet, cum ex ipsarum voluntate non dependeat attributio tituli, sed ex auctoritate Superioris concedentis, vt patet ex his quæ diximus supra in *quæst. antecedenti, num. 4. & sequent.* & ideo ille 10 titulus, qui in beneficio habetur ex causa transactionis, nequaquam censetur legitimus, si Superioris auctoritas non interuenierit, vt aduertit Rebus. in *praxi par. 1. sub tit. quot modis beneficia acquirantur, num. 16.* vbi resoluit: consequentem beneficium ex transactione non acquirere ex ea canonico titulo, sed quod vt eum consequatur, indigere noua prouisione, & conducent ad intentum tradita per Azeuedum, quem omnino videbis *tom. 4. in commentariis ad leg. 7. nouæ recopilationis lib. 7. tit. ad legem 7. & 8. n. 8. & 9. cum sequen.*

Vnde sequitur, quod tali intruso aliquod 11 ius non tribuet amicabile compositio, tum quia est quædam species transactionis, tum quia vt (diximus) non possunt partes efficere, vt titulus beneficialis consequatur ex dispositione suarum conventionum, aut voluntatum, si non interuenierit Superioris auctoritas; tum denique, quia si Iudicis sententia, aut partis confessio non conferunt

runt aliquod ius, vel titulum intruso, multò minus transactio, aut amicabile compositio conferre poterunt, vt patet ex supra dictis.

QVÆSTIO CIX.

Renuntians beneficium per metum, si ab eo fuerit restitutus, an sufficiat in integrum restitutio, vt possit beneficium retinere, & ex eo fructus percipere sine vitio intrusionis, vel vt hæc euitetur, requiratur noua collatio.

S V M M A R I V M.

Renunciatio beneficii facta per metum est nulla, & debet rescindi actione Quod metus causa. num. 1.

Restitutio in integrum facta Beneficiato, qui per metum beneficium renunciauit, an sufficiat, vt noua collatio non sit necessaria. num. 2.

Collatio noua fieri debet Beneficiato, qui renunciauit beneficium, si ad ipsam fuerit restitutus. num. 3. & seq.

Sed contraria opinio est verior, & tenenda. num. 6. & seq.

Titulus Canonicus beneficii si sit extinctus, non renouari sine noua collatione. n. 3.

Intellige vt num. 14.

Renunciatio beneficii, etiam coacta, extinguit ius, quod renuncians habet in illo. n. 4.

Intellige vt num. 14.

Voluntas coacta voluntas est. n. 4.

Verbum, Permittimus, positum in aliqua lege, vel canone, aut alia dispositione, denotat dispensationem. n. 5.

Intellige vt num. 17.

Renunciatio beneficii Ecclesiastici, facta per metum, non operatur, vt si postea renuncians fuisset restitutus, indigeat noua collatione, etiamsi cum iuramento confirmaretur. n. 6. 8. & 16. cum seqq.

Actus gesti per vim, vel metum, debent de iure irritari, & annullari. n. 7. & 8.

Renunciatio beneficii facta per vim, vel metum, est irrita, nulla, & inualida; & totaliter rescindi debet. n. 9.

Actus nullus, & inualidus post factam rescissionem ipsius, ab habente ad id potestatem, reduci debet ad statum, à quo originem habuit. num. 10. & 15.

Tract. de Intrusione.

Renunciatio beneficii facta per metum, sufficit mero iure, ante declarationem iudicis pronunciantis nullitatem illius. num. 11. & 14.

Declaratio Iudicis pronunciantis, renunciationem beneficii fuisse metu factam, gerit vires validitatis collationis, & ideo non est necessarium vt de nouo fiat. n. 12. & 13.

Restitutio in integrum facta per Iudicem operatur, quod possessio non censetur interrupta. num. 13.

Inuitus, & coactus, qui aliquid facit per metum, non parat sibi præiudicium ex illo actu. num. 13.

Renuncians beneficium per metum non perdit omnino ius, quod habet, sed potest illud recuperare per actionem Quod metus causa. num. 14.

Actio personalis, Quod metus causa, operatur, vt actus reduci debeat ad præiudicium statum, in quo existeret, ante metum incussum. num. 15.

Renuncians beneficium Ecclesiasticum per metum, habet regressum ad illud. n. 16.

Et postquam à Iudice fuerit restitutus, non indiget noua collatione. n. 17. & 18.

Renuncians beneficium per metum, postquam per Iudicem fuerit restitutus, potest in illo insistere, & fructus percipere sine noua collatione absque incurfione intrusionis, non verò ante restitutionem factam à Iudice. num. 18.

Renuncians per metum beneficium, quod per annum possederat, si postea fuerit restitutus, & per biennium possederit, poterit se inuari regula de Triennali. n. 19.

Restitutio in integrum facta à Iudice operatur, vt is qui restituitur, ex toto ius accipiat, & ad illud redeat in eodem statu, in quo antea existeret. n. 20.

NEC quæstio est satis elegans, & non contemnenda, quam in terminis exagitat Abbas in *cap. si vero, num. 1. in ultimo notabili, de iurciurando,* & ipsius species, siue casus in praxi sic reformari potest: Titius nulliter beneficium renunciauit, v.g. per metum, vel aliam similem causam, quo casu renunciatio annullari debet (vt latè probat Parisius, *plura cumulans, lib. 13. de resignat. beneficiorum, q. 2. num. 8. & 16.*) & statim agit actione, Quod metus causa, vel alia necessaria ad se reintegrandum, & constituto de metu, declarat Iudex eum in pristinum statum fore restituendum; quæritur, an talis restitutio sufficiat, vt sine vitio intrusionis possit ipse retinere beneficium sine noua collatione; an verò ea sit necessaria, vt canonicè

aa 3 illud

illud possidere possit, fructusque percipere?

³ Et Ioan. Prob. in addit. ad Ioan. Monach. in Rubrica de renuntiat. tenet, requiri nouam collationem; & fundatur in eo, quia sine noua collatione ius extinctum non reuiuiscit, argum. text. in *L. qui res*, §. *Aream*.

⁴ ff. de solutionibus; Et extinctum dicitur ius per renunciationem, quamuis coactè factam, nam voluntas coacta, voluntas est: *L. cum proponas* 3. §. *quod si verba*, vbi Glossa verborum potuit enim, C. de heredibus institutendis, l. si mulier 21. §. *si metu coactus*, ff. quod metus causa, & docent Couar. de sponsalibus, p. 1. cap. 4. §. 1. num. 11. & sequent. Cardin. Tuschus tom. 8. litera V. conclus. 280. & sequent. Card. Seraphin. decis. 1350. num. 9. & alij plures; sequitur ergo, quod illud ius renunciatum, extinctum fuit & exinde in prædicto casu opus erit noua collatione.

⁵ Secundò ponderari potest textus in d. cap. si vero 8. in fine, de iureiurando, ibi, & ad coercendam iniquitatem eorum, qui Ecclesiasticos viros, ad præstandum illud compulerunt, permisi sunt in eadem Ecclesia ministrare, &c. ponderando verbum illud, permisi, quod denotare videtur dispensationem, iuxta text. in cap. nerni, §. est autem, in fine, 13. distinctione.

⁶ His tamen non obstantibus, contrarium est verius; & tenendum, videlicet renunciantem beneficium per metum, non indigere noua collatione. postquam à Iudice fuerit restitutus, postèque illud retinere, fructusque percipere sine vitio intrusionis: quod expressè probatur ex cap. Abbas, de ijs que vi, metusve causa sunt, vbi in fine, ita ait: *Præde, quia que metu, & vi sunt, de iure debent in iruitum reuocari; mandamus, quatenus prædicto R. cum integritate restitutus vniuersi, &c.* Quod adeo est verum, vt etiam si cum iuramento renunciatio fuisset effecta, adhuc integra restitutio debeat fieri, ex his quæ docent D. Franc. Suarez alios allegans tom. 2. de Relig. cap. 41. num. 18. & 19. Card. Tuschus liter. M. verbo, Metus, conclus. 222. num. 1. & sequent.

⁸ Ad idem ponderari potest textus in cap. ad audientiam 4. eodem titulo, de ijs que vi, &c. ibi, *Quia vero que vi metusve causa sunt, carere debent robore firmitatis, mandamus, quatenus si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in iuramentum constantem, non obstante iuramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam et restituere faciatis.* Ex quibus clarè colligitur, renunciantem beneficium

per metum ad illud fore restituendum, nec indigere noua collatione, vt magis specificè ex infra dicendis apparebit.

Secundo, quia renunciatio metu facta, est ⁹ irrita, nulla & inualida, & totaliter rescindenda, vt docent Rebuf. in praxi benef. sub tit. de resignatione metu extorta, & tit. de vi in resignat. adhibita, Azor. (qui non bene à pluribus allegatur, sed ipsum reperies lib. 7. instit. moral. tom. 2. cap. 26. q. 1. & 2. vbi latè agit de hoc articulo, & Garcia de benef. 3. p. cap. 3. §. 2. num. 143. cum sequent. Valerius Reginal. in praxi fori penitent. lib. 3. tract. 30. n. 133. idem Rebuf. in tract. de pacificis possess. n. 230. copiosè Flaminius Parif. de resign. benef. lib. 13. q. 2. per totam, ergo cum actus nullus, & inualidus post rescissionem factam ab habente potestatem reduci debeat ad statum pristinum, ex quo originem habuit, sequitur exinde, nouam collationem non requiri.

¹¹ Fateor tamen, esse necessariam Iudicis declarationem, pronuntiantis talem renunciationem fuisse metu extortam, nam ante reclamationem violentiæ, mero iure subsistit, vt cum pluribus ampliationibus, & illationibus, latè docent Parif. in d. lib. 13. q. 2. ferè per totam, præcipuè à n. 29. cum sequent. Azor. in d. cap. 26. q. 2. vers. hinc etiam efficitur. & alij penes ipsos.

¹² Et ratio huius resolutionis est, quia restitutio Iudicis, gerit vices collationis, vt aduertunt Parif. vbi proxime, n. 2. & optime Azor. in d. lib. 7. cap. 26. in d. q. 2. vers. hinc etiam efficiunt: vbi circa medium, ita ait: *Quia cum quis pristino iuri restituitur, in illud ex toto redit: l. quod si minor, §. restitutio, ff. de minorib. Nam perinde se habet talis restitutio, ac si possessio interrupta non esset.* &c.

¹³ Tum & etiam, quia quod facit aliquis iniustus, & coactus propter metum, ex illo actu nullatenus sibi præiudicium parat, vt cum Bartolo docet Card. Tuschus tom. 8. litera V. in verbo, Voluntas, concl. 281. n. 2. & in specie Panormit. in cap. si vero, n. 1. notab. ultimo, & post eum Roffinaz. in tract. de benef. cap. 19. n. 10. Corrazius in eodem tract. p. 1. cap. 8. n. 11. quem etiam reperies tom. 15. tractatum p. 2. fol. 287. Card. Parif. conf. 5. n. 165. volum 4. quos cum aliis refert & sequitur Parif. in d. q. 2. num. 22. & sequent. & eo relato cum pluribus Azor. in d. cap. 26. q. 2. vers. quæret aliquis &c.

¹⁴ Et ex his patet responsum ad ea quæ adducit Ioan. Monach. (de quibus supra, n. 3. & sequent.) Nam licèt verum sit, quod ius extinctum sine noua collatione non reuiuiscat; at in proposito casu dici non potest ius extinctum in eo, qui metu renunciatio-

nem

nem efficit: enim uerò licèt mero iure subsistat quoadusque annullatio fiat, vt probat textus in cap. super hoc, & cap. penultimo, de renuntiat. & tradit Garcia de benef. 1. p. cap. 3. §. 2. n. 143. & 144. vbi alios allegat, & ex hoc, actio directa fuerit amissa, iuxta tex. in l. metum, §. volenti, & l. si mulier, in fine, ff. quod metus causa, Non tamen fuit extincta, aut deperdita illa actio personalis, quæ reuultur ex causa ipsius metus, quæ operatur, vt per Iudicem post factam reclamationem, fiat reductio actus ad statum pristinum in quo existerat, vt aduertit Abbas in cap. si vero, n. 1. de iureiurando, & cum Nauarro in cap. accepta, oppositione 5. n. 15. vers. secundo, de restitut. spoliat. & aliis latè tradit Flam. Parif. in d. q. 2. n. 19. vsque ad 21. & exinde n. 22. & sequent. infert, non esse necessariam nouam collationem in prædicto casu, & consequenter nec posse verificari, quod talis renunciatus beneficium per metum, ius sibi competens extinxerit, nam ipsum animo retinebat, ad illud vindicandum per actionem personalem, *Quod metus causa*: & ex hac doctrina infert Parif. conf. 66. n. 1. volum. 4. quod renunciatus beneficium per metum, habet regressum ad illud, & ita in praxi seruari testatur Flam. vbi proxime; n. 24. & exinde fundamentum Ioannis Monachi ad intentum non adaptatur.

¹⁷ Nec similiter obstat secundum (de quo supra, num. 5.) nam illud verbum, permisi, quod refertur in d. cap. si vero, in fine, idem operatur, ac dimissi, quia ibidem post absolutionem à Iuramento, non requirit textus, quod aliqua dispensatio, vel alius aliquis actus efficiatur, & per consequens remanet in dispositione iuris; & cum ex eo constet in d. cap. Abbas, & in cap. ad audientiam, de ijs que vi metusve causa &c. non requiri nouam collationem, interpretari debet illud verbum iuxta dispositionem dictorum iurium, & ita in specie ex auctoritate Gofred. respondet Panorm. vbi supra, in d. n. 1. vers. sed contra prædicta, in fine, & videtur de mente Felini, & communiter Doctorum in d. cap. si vero, de iureiurando, teste Flamino Parif. in d. q. 2. num. 23.

¹⁸ Ex quibus concludendum est, renunciantem beneficium per metum, non indigere noua collatione, postquam per Iudicem in integrum fuerit restitutus, sed in illo posse insistere, & fructus percipere sine incurfione intrusionis, licèt aliàs ante restitutionem id efficere non valeret, vt cum Nauarro vbi supra, in d. cap. accepta, & Innocen. tradit Parif. vbi proxime, num. 29. & sequent. qui n. 35. infert, & post eum Azor. in d. tom. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 26. q. 2. vers.

hinc etiam: circa medium, quod si metu renuncians beneficium, canonicè per annum illud possederit, si postmodum restituere-tur, & per biennium pacificè possiderit, quod in tali casu poterit se iuuare regula de Triennali, & decreto de pacificis possessoribus: & reddunt rationem, quia cum quis pristino iuri restituitur, accipit integritatis ius in vim restitutionis, & ex toto ad illud reuertitur: l. quod si minor, §. restitutio, ff. de minor. & talis restitutio operatur eundem effectum, ac si possessio nullatenus fuisset interrupta, ex quibus prædicta resolutio satis firma videtur.

QVÆSTIO CX.

Intrusus quid à Prædone, & violento possessore differat.

S V M M A R I V M.

Exceptio proprietatis, & non canonice institutionis, non potest in beneficiis opponi in possessorio Recuperandæ. num. 1.
Spoliatus, etiam si sit prædo, secundum iuris rigorem, restituendus est. num. 2.
Prædo possidens si spoliatur, restitui debet, cum pro possessore possideat. n. 3.
Et an locum habeat in intruso. n. 4. & sequent.
Intrusus est fur & lauro. n. 4.
Et an differat à Prædone. n. 5. & sequent.
Prædo aliquis dici potest proprie & strictè, largè, & largissimè. n. 5. & sequent.
Prædo strictè, & proprie dicitur, qui retinet possessionem rei, sciendo ad se non pertinere. num. 6.
Possessor violentus, qui per vim possessorem verum deiecit, est proprie prædo. n. 6. & 7.
Inuadens possessionem eiiciens possessorem, est prædo proprie & strictè. num. 7.
Prædo largè dici debet, qui habens iustum titulum rei, violenter eiicit possessorem, & per vim in illius possessionem se ingerit. n. 8.
Prædo largissimè dicitur, qui ab initio possidendi bonam fidem habebat, sed superueniente mala fide, in ea perseuerat. num. 9.
Electus ad dignitatem, aut ad beneficium Ecclesiasticum, sed nondum confirmatus, non habet titulum perfectum ante confirmationem, vel collationem, sed tantum consequitur ius ad rem. num. 10.
Prelatus electus, sed non confirmatus, vel beneficiatus ante collationem, si violenter possessionem consequatur, proprie dicitur violentus, & improprie intrusus. n. 11.
Intrusus proprie dici non potest, qui habens ca-

nonicum titulum beneficij, violenter possessionem consequitur, sed violentus; & ut talis puniri debet. num. 12.

Beneficium reservatum qui obtinet à non habente facultatem conferendi, vel obtinens secundum Curatum cum primo etiam Curato, si ambo infimul retineat, est intrusus, & prado seu inuasor. n. 13.

Possessor violentus beneficij plus puniri debet, quam intrusus. n. 14.

Violentus non est omnis intrusus, sed omnis violentus bene est intrusus, & ideo mitius puniendus est ille quam iste. n. 14.

Intrusus differt à violento possessore, qui magis delinquit quam ille. n. 15.

Intrudere se in beneficio diuersum est, ac se intrudere in possessione prædij ipsius beneficij. n. 16.

Intrusus spoliatus restitui non debet, secus prado; & assignatur ratio differentia. n. 17.

Spoliatus si sit intrusus, non potest sine peccato petere restitutionem. n. 17.

Spoliatus possessione restitui non debet, si sub sit peccati timor. n. 18.

Prado possessionis, qui titulum ipsius legitimum habebat, sed per vim illam acquisiuit, si fuerit spoliatus, restitui debet, etiam in beneficialibus. n. 19.

Prado in beneficialibus an ante omnia restitui debeat, vide remissiuè. n. 20.

- V**ivs quæstionis resolutio desumenda est ex textu in cap. in literis 5. de restitutione spoliatorum, ex quo colligunt communiter Doctores, quod in beneficialibus in possessorio Recuperanda, non potest opponi exceptio proprietatis, & non canonica institutio, quia spoliatus, etiam si sit prado, secundum iuris rigorem restituendus est; quam conclusionem docent Gutierrez de iuramento confirmatorio, p. 3. cap. 19. n. 19. & alij plures penes Menochium de recuperanda possessione, remed. 1. n. 109. & communiter Doctores; ex ea ratione, quia prado pro possessore possidet, l. pro hærede 11. in fine, ff. de hereditatis petitione, l. 13. in fine, ff. de seruo corrupto, & ex ea causa restitui debet.
- Vnde dubium oritur, an idem iudicium efformari debeat in intruso; nam cum sit fur, & latro (vt sæpe diximus) asserendum videretur, à pari procedere, tam in prædicto casu, quam in aliis: & hanc quæstionem in terminis examinat Berouius in cap. in literis, de restitutione spoliatorum, n. 2. & 28.
- vbi accuratè differit quis sit prado, & quis intrusus, quot modis dicantur, & quid inter se differant, & pro resolutione docet, & post cum Menoch. in remed. 1. num. 110.

prædonem tripliciter considerandum fore, videlicet primo strictè & propriè, secundò largè, tertio largissimè.

Et sequendo ipsorum vestigia, notandum est, quod prado strictè & propriè dicitur ille qui scit rem ad se non pertinere, sed immo carere titulo, quo possessionem retineat, veluti si violenter possessorem à possessione deiecit, & in ea se ingessit, vt patet ex textu in l. sed & si lege, §. quod autem ait Senatus, 3. ff. de hereditatis petitione, per hæc verba, Quod autem ait Senatus, (eos qui bona inuasissent) loquitur de prædonibus id est de his, qui cum scirent ad se non pertinere hereditatem, inuasissent bona, scilicet cum nullam causam haberent possidendi, &c. Ex quibus verbis patet, inuadentem possessionem, eiiciendo possessorem, propriè & strictè prædonem esse.

Largè autem dicitur Prado, qui fretus iusto titulo possidendi, cerè scit rem ad se pertinere, sed violenter consequutus fuit possessionem, eiiciendo possessorem; Limproba possessio, vbi Glossa, verbo, certum, & l. nec ex vera 9. vbi Glossa verbo, improbe, Cod. de acquirenda possessione, optimus textus in l. si ex stipulatione 5. eodem titulo, vbi ita ait, Si ex stipulatione tibi sechum debeam, & non tradam eum, tu autem nactus fueris possessionem; prado es: Equè si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem, non pro exoptore possides, sed prado es. Ex quibus satis liquet, illum largè prædonem reputari, qui licet causam habeat possidendi, non tamen obtinuit possessionem, provt de iure requiritur, sed ex proprio Marte, & auctoritate, illam fuit adeptus.

Tertio modo largissimè dicitur ille prædo, qui ab initio possidendi detinebat rem bona fide, sed postmodum superueniente mala fide in ea perseuerat, vt probatur ex d. l. sed & si lege, §. quod si ab initio, 6. ff. de hered. petitione, ibi, Quod si ab initio iustam causam habuit adipiscendi possessionem, postea verò conscius ad se nihil hereditatem pertinere, prædonio more versari cepit, nihil Senatus loquitur. Puto tamen, & ad cum, mentem Senatus consulti pertinere; parui etenim refert ab initio quis dolosè in hereditatem sit versatus, an postea hoc facere cepit. Quod etiam confirmatur expressius ex §. si ante litem contestatam, eiusdem legis sed & si lege; & consequenter etiam dicitur prado, licet largissimè, qui ab initio habuit bonam fidem retinendi, & possidendi rem, si postea superueniat mala fides, propter non legitimum titulum.

His sic constitutis dicendum est, quod electus

electus ad Dignitatem Ecclesiasticam, sed nondum confirmatus, vel si alicui collatio non fuerit facta, aut præsentatus, seu institutus non sit, & exinde carendo titulo perfectò, violenter possessionem consequeretur, vt in cap. iam dudum, de præbendis; in quibus casibus, & similibus ius ad rem fuisse quæsitum, & non in re, concludunt omnes Doctores, & tunc propriè ille intrusus dici non potest, cum canonicum, & legitimum titulum habeat, per ea quæ diximus supra, q. 1. & 2. ferè per totas, præcipuè n. 39. & 40. licet largo modo pro tali qualificari possit: sed reuera violentus potius possessor, quam intrusus appellandus est; iuxta textum in cap. eum qui 18. vbi Glossa verbo, violenti, de præbendis in 6.

At vero, si quis obtineret beneficium à non habente facultatem conferendi, vel si illud esset reservatum, reservatione in corpore iuris clausa, vel consequeretur secundum Curatum cum primo etiam Curato, & ambo infimul retineret, vel in aliis casibus, (de quibus supra, q. 3. & 4.) cum in eis titulus sit infectus, prado & intrusus, seu inuasor iudicandus erit, si possessionem consequeretur, iuxta textum in d. cap. eum

qui, in primo responso, & ex his colligit ibidem Glossa verbo, violenti, plus puniendum esse violentum possessorem, quam intrusum, quia non omnis intrusus est violentus, bene tamen omnis violentus est intrusus; vt notat Abbas in d. cap. in literis, in primo notab. vers. si enim Index, quem declarat Berouius ibidem n. 2. Hoc est plus delinquere violentum, quam intrusum.

Et ex his patet differentia, quod qui per vim ingreditur possessionem beneficij, licet titulum habeat, potius pœna violentiæ (quæ grauior est) puniendus veniet, quam pœna intrusi, quæ mitior iudicatur: quod quidem dissonantiam non habet, quia bene inter se coherent; nam diuersa sunt, aliquem se intrudere in beneficio, ac se intrudere in possessione prædij ipsius beneficij, ad tradita per Tiraquel. de retractu lignag. §. 36. n. 5. quem cum aliis refert & sequitur Rota diuers. p. 2. dec. 19. n. 10. & consequenter magis delinquit in exequenda violentia pro adipiscenda possessione, quam se intrudendo in beneficio, vel alia re sine violentia, quod quidem separationem admittit quoad ipsum titulum, licet sit illius sequela; vt optimè aduertit Augustin. Berouius in d. cap. in literis, de restitutione spoliatorum, n. 2. qui n. 28. latè prosequitur prædictam differentiam inter prædonem & violentum, ac intrusum; vbi rationem assignat, cur prado (cum titulum habeat

quoad proprietatem) si sit violentus possessor, licet iniustus, restitui debeat si fuerit spoliatus, non vero intrusus, qui scit se talem esse.

Et consistit in eo, quia intrusus nullam causam habet possidendi, & ideo sine peccato non potest petere restitutionem, neque eam admittere, quia cum subest peccati timor, aut iniustitia, non debet spoliatus restitui, vt cum Ripa docet Menoch. de recuperanda possessione remed. 1. n. 115.

At verò prado (modo prædicto) habens titulum, se violenter ingerendo, licet puniri debeat propter violentiam, manitus tamè existit titulo legitimo, ad petendam sine peccato restitutionem possessionis, & facultatè in ea existendi, & ideo si spoliatus fuerit (etiam in beneficialibus) sine peccato restitui debet, de quo vide omnino Menoch. in d. remed. 1. n. 109. & n. 131. cum pluribus sequen. vbi latè disputat, an prado in beneficialibus restitui debeat, quod intellige, non in notorio intruso, aut prædone, quia isti nullatenus restituendi sunt, vt docent Couaruias in epitome de sponsalibus, 2. p. cap. 7. §. 5. n. 10. vers. cui tamen, & alij penes Menoch. in d. remed. 1. n. 113.

QVÆSTIO CXI.

An Papæ scribenti pro intruso sit obediendum.

SVMMA RIVM.

- Præceptum iniustum Superioris non debet exequi. n. 1.
- Mandatum Superioris, continens aliquid iniquum & asperum, non est exequendum, si ex eo sequatur scandalum, aut aliqua species peccati. n. 2.
- Mandatum Papæ si sit circa rem, quæ possit nutrire scandalum, vel aliquod magnum inconueniens, suspendi debet, donec certior fiat, quia præsumitur non habuisse notitiam. numer. 3.
- Intellige vt n. 8. & sequen.
- Papæ si scribat pro notoriè indigno, tali indignitate quæ possit nutrire peccatum, supersedendum est in exequutione, donec certior fiat, quia præsumendum est, deceptum fuisse. num. 3. & 4.
- Mandatis Papæ quando sit supersedendum, ipsum certiorando de causis suspensionis. num. 4. & 5.
- Intellige vt n. 8. & sequen.
- Papæ nominans intrusum in Prælatum, vel Dignitatem, ex eo solo non attribuit titulum.

lum canonicum tali intruso in Prelatura, vel Dignitate, nec ex eo censetur dispensatus. num. 6.

Inobediens mandatis Papæ non dicitur, qui propter legitimam causam suspendit illorum executionem, rescribendo motiuium. num. 7.

Declarat ut num. 8.

Papæ scribens ex certa scientia pro inhabili ad Dignitatem, vel beneficium, censetur cum eo dispensare, & ideo non licebit retardare executionem. num. 8. & 9.

Clausula, ex certa scientia, apposta in rescripto Principis, sanat omnes defectus, & tollit quodcumque iuris obstaculum. n. 9.

Papæ si scribat pro eo, quem certò scit esse intrusum, vel habere aliquod impedimentum canonicum, quod non repugnet iuri naturali, vel diuino, tunc sine mora obediendum est: secus autem si constet, ipsum Papam inscium esse de impedimento, vel fuisse deceptum: quia tunc executio suspendi potest donec certior fiat: n. 10. & 11.

Papæ in beneficalibus liberam, & plenissimam habet potestatem dispensandi. n. 12.

Ro vera resolutione huius questionis supponendum est, regulam esse admissam ab omnibus, quod præceptum iniustum Superioris nullo modo exequi debet; itaque si illud sit asperum, & iniquum, taliter quod ex executione sequatur absurdum, scandalum, inconueniens, aut aliqua species peccati, non debet executioni mandari: per textum in cap. si quando, vbi communiter Doctores, de rescript. latè cum pluribus docent Couarr. pract. quæst. cap. 3 §. n. 6. Julius Clarus in praxi lib. 6. §. finali, q. 60. n. 16. vbi in ultima impressione additionata Genuæ de anno 1536. litera F. num. 54. & sequen. pag. mibi 317. multa congerit ad intentum, & copiosè innumeros referens Bobadilla in sua politica tom. 1. cap. 13. num. 47. litera F.

Et ex prædicta conclusione resoluunt Felinus post Innocentium, & Abbatem in d. cap. si quando n. 2. & 4. vers. superfederi igitur potest: quod mandatis Papæ superferendum est, quando scribit pro notorie indigno, tali indignitate, quæ posset peccatum nutrire: quia præsumendum est, deceptum fuisse & consequenter superferendum, donec de veritate certioratus disponat quod magis expediet expectando secundam iussionem, vt latissimè tradit Maranta in suis questionibus legalibus, quas adducit post suam praxim, in disp. 1. n. 19. cum pluribus sequen. vbi in specie latè disputat, & resoluunt

hanc questionem, optimè Rodericus Suarez alleg. 12. n. 12. & sequen. & plures referens noster Cenedo in suis collect. ad decret. collect. 3. quibus iunge Salgadum de Regia protect. p. 4. cap. 6. n. 58.

Et patet ex text. in cap. eam te 4. de atate & qualitate: per hæc verba, *Arctius inhibemus, ne personas, quæ in Ecclesiis tui Episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, nec aliqua occasione, vel etiam literarum nostrarum obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus, & atate Concilij non congruant institutis.*

Ex quibus verbis satis liquet, superferendum esse, quando mandatum Papæ haberet aliquod impedimentum canonicum, ex quo resultare posset inconueniens, & rationem adducit Glossa in d. cap. eam te, verbo, literarum. in fine, ibi, Item est hic argumentum, quod non est obediendum semper mandato Domini Papæ, argumento, supra, de rescriptis, si quando, & cap. cum adeo & infra, de Hæreticis, ad abolendum, in fine. quia non dicitur mandatum, quando igno-

rantè mandat, &c. Quod etiam suadet ex his, quæ diximus supra quæst. 97. vbi n. 9. & sequen. probauimus: quod si Papa nominaret aliquem vt Prælatum, vel Dignitatem, aut Beneficiatum, qui in illis esset intrusus, ex sola tali nominatione non attribueret in illis aliquem canonicum titulum, nec ex eo solo censeretur dispensatus: nam si sciret intrusionem, vel obstaculum, fortasse non scriberet pro eo, & consequenter præsumendum est, id effecisse in fine de illo vitio, & sic non inducitur inobediencia in inferiore suspendente executionem, donec de causa talis suspensionis certior fiat Dominum Papam.

Prædicta tamen declaranda veniunt, vt non procedant, si Papa ex certa scientia, & cum notitia talis defectus, & impedimenti scriberet: quia tunc nullatenus licebit non obedire, differendo executionem, vt resoluunt Glossa in d. cap. eam te, in d. verbo, literarum, in principio, & patet ex his quæ diximus supra, q. 97. n. 20. & sequen.

Maximè si in rescripto adesset clausula, ex certa scientia, quæ de sui natura sanat omnes defectus, & tollit omnè iuris obstaculum, vt cum pluribus diximus supra, q. 100. n. 16. & 17.

Ex quibus fundamentis concludendum est, quod si Papa scribat pro eo, quem certò scit esse intrusum, vel habere aliquod canonicum impedimentum, quod non repugnet iuri naturali, vel diuino: tunc obediendum fore.

At

At verò si ex ipso rescripto colligi posset, ipsum Papam ignorare impedimentum, vel aliàs esse deceptum in tali casu affirmari debet, licitum esse superferere, differendo executionem donec certior fiat de causa dilationis, vt prouideat quod magis eidem placuerit, vt eius iussio (vt par est) executioni demandetur, præcipuè cum in beneficalibus plenissimam & liberam habeat potestatem disponendi; vt omnes D. D. fatentur, & plures referens docet Barb. in pastor. p. 3. alleg. 57. n. 7. & sequen.

QVÆSTIO CXII.

Intrusus, cum beneficium in quo se intrusit, retinere non valeat, an illud dimittere possit, conuentione præmissa percipiendi fructus, aut de illo ad libitum disponendi.

S V M M A R I V M.

Intrusus non potest retinere beneficium in quo se intrusit. num. 1. & 2.

Confidentia beneficalis dicitur, quando in resignatione beneficy præcessit pactum reservationis fructuum seu pecunie. n. 3.

Confidentia beneficalis est iniusta, & illicita, & à iure prohibita. n. 4.

Ex eo quia originem sumpsit à volentibus legem, & Canones fraudare. n. 5.

Confidentia beneficalis est species simonia. 5. Simonia inter grauiora crimina reputatur & reprobat à iure. n. 5.

Confidentia beneficalis ex pacto est graue delictum, & vt tale puniendum venit. n. 6.

Intrusus in beneficio non potest illud dimittere, aut resignare, conuentione præmissa percipiendi fructus, aut pensionem, seu de illo ad libitum disponendi, sicut nec qui legitimum titulum habet, nam est confidentia, à iure reprobata. n. 6. & 7. & 12.

Confidentiam beneficaliam qui committit, præter peccatum, incidit in alias penam statutas per Constitutiones Pontificias. n. 8.

Confidentiarij beneficalium ante Constitutiones Pij IV. & Pij V. nullam penam incurrerant, secus verò post illarum publicationem. num. 9. & 10.

Confidentiam beneficaliam committens incidit in penam, & censuras contentas in constitutionibus Pij IV. & Pij V. n. 11.

Intrusi ad propalandam intrusionem multoties resignant beneficia confidentialiter, &

tunc duplici pena plectendi sunt. n. 12. Pena imposita contra confidentiarjos beneficalium quæ sunt, vide remissuè n. 13.

INTRVSVM non posse retinere beneficium, in quo se intrusit, est apud omnes in confesso, & multoties in præsentis tractatu diximus, & post Innocentium & Abbatem in cap. nisi cum pridem, de renuntiat. Card. Parisium cons. 49. n. 30. volum. 4. Boerium decis. 205. n. 6 docet Flaminius Paris. lib. 3. de resig. benef. q. 1. n. 4. cum sequen. & de confident. benef. q. 9. n. 7. vbi restatur de communi, & ita pluries per Rotam fuisse declaratum.

Ex quo dubium oritur, quod cum ipse intrusus nequeat beneficium obtinere, an illud impunè dimittere valeat, conuentione præmissa percipiendi fructus, aut pecuniam, vel aliquam pensionem, seu ad libitum disponendi.

In quo articulo aduertendum est, quod non sine nota particulari diximus, impunè, nam dubio caret, & est sine difficultate, quod nullatenus licitè potest beneficium resignare, aut de illo disponere, tum quia tale beneficium impunè retinet, tum & etiam quia constat, hanc dimissionem, seu renunciationem, confidentiam esse: enim uerò resignans confidit, & sperat ex resignatario aliquid in fructibus, vel in pecunia, in vim præcedentis pactionis, quæ quidem confidentia est illicita, iniusta, & à iure prohibita, vt docet Martinus Nauarrus in Manuali Latino cap. 23. n. 109. & n. 111. Card. Seraph. tom. 1. decis. 86. inter eius impressas, quem refert & sequitur Paris. in d. tract. de confident. q. 4. vbi duplicem assignat rationem, cur à iure sit reprobata.

Prima, quia originem sumpsit à volentibus leges, & Canones fraudare, vt ex Bulla Pij V. infra alleganda probat ipse Paris. ibidem, q. 2.

Secunda verò ratio deducitur ex eo, quia est species simonia, quæ quidem in iure inter crimina grauiora & expressius inter dicta reperitur, cap. fin. §. ideoque, de purgatione canonica, ibi, videlicet quod illa crimina grauiora, id est simoniam &c. vbi Glossa, verbo, grauiora, alia iura allegat idem probantia, & consequenter etiam confidentia ex pacto, cum sit illius species, vt graue delictum punienda est.

Et exinde patet, non posse intrusum dimittere beneficium, vel illud resignare, conuentione præmissa percipiendi fructus, seu pensionem, aut de illo ad libitum disponendi: quia si qui legitimum titulum ha-

bet,

bet. prohibitus reperitur, ne tali confidentia uti valeat ex constitutionibus Pij IV. & Pij V. statim citandis, multo magis non licebit intruso, qui de iure est tam odibilis; & ita talis resignatio, à quocumque confidenter facta, præter peccatum quod ex ea resultat, erit nulla, irrita, & inualida; & multo fortius in intruso, confidenter resignante; qui quidem puniri debet pœnis contentis in dictis constitutionibus contra confidentarios, & à simili pœnis statutis à iure contra intrusos, de quibus *infra*, q. 115. & sequen.

9 Ex quibus dubitari potest, an præter prædictam nullitatem, & inualiditatem resignationis, alia pœna plectendus veniat, qui delictum confidentiæ commisit? Et in hoc articulo duo tempora consideranda sunt: Primum, ante constitutiones Pij IV. quæ habetur in *Magno Bullario* Cherubini, nouissimè edito *Lugduni de anno 1655. tom. 2. const. 85.* incipit: *Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiæ, &c. sub dat. Romæ apud S. Petrum Kalendâ Nouemb. anno 1564. Pontificatus sui quarto pag. mihi 119.* & Pij V. in eodem Bullario in d. tom. 2. const. etiam 85. quæ incipit, *Intolerabilis*, sub dat. Romæ apud S. Petrum Kalendâ Iunij anno 1564. Pontificatus sui anno quarto, pag. 282. quam etiam ad litteram refert Nauarr. in *manuali Latino in d. cap. 23. num. 110.* & tunc nulla pœna afficiebantur, & ex eo prædicti Pontifices moti fuerunt ad prædictas constitutiones publicandas, ut illa praua consuetudo, seu potius corruptela in omni tempore sublata & extincta remaneret, ut ex illarum procemio patet, & ut id efficacius obseruaretur, varias pœnas imposuerunt aduersus contrauenientes, prout latè tradit Parisius in *d. tract. de confident. q. 5. & 6. cum sequen.*

10 Secundum verò tempus erit post editas prædictas constitutiones, in quo non est ambigendum, quamcunque confidentiam beneficalem omnino prohibitam esse, & eam committentem incurrere pœnas, & censuras contentas in dictis Constitutionibus, & quod in illas intrusi præcipuè incident, ut colligitur ex prædicta constitutione Pij V. qui dum in §. 2. *vers. multi enim ipsa beneficia*, rationes assignat, ex quibus homines mouentur ad perpetrandas confidentias beneficiales, originem sumit ab his, qui beneficia Ecclesiastica obtinere nequeunt, *Multi enim* (ait Pius V.) *ipsa beneficia retinere nequeunt*; &c. & consequenter, talis inhabilitas verificatur in intruso, prout in specie tradit Paris. cum aliis *vbi proximè q. 9. num. 7. ibi, Tertio exemplificari*

potest in intrusis, qui iure beneficia retinere non possunt, &c. & ideo concludendum est, conuentionem factam per intrusum (prout in principio diximus) esse confidentiarum, & punibilem pœnis contentis in prædictis constitutionibus, præter alias à iure statutas contra intrusos, de quibus particulariter agemus *infra*, q. 115. cum sequen.

13 Quæ autem sint pœnæ intrusi, & aliorum sic confidenter resignantium, quæ comprehendunt omnes, videre poteris penes Paris. in *d. tract. de confident. benef. quest. 19.* & in specie particulariter ipsas enumerat q. 58. usque ad 61. inclusiuè; & P. Suarez de *Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 43. à n. 13. cum sequen.* & latius cap. 55. & quia longum esset hic eas sigillatim enumerare, remitto Lectorem ad eundem Parisium, cum hoc propriè ad nostrum institutum non pertineat.

QVÆSTIO CXIII.

An Exequutor datus ad prouidendum alicui de beneficio possit ei prouidere de illo, in quo est intrusus.

S V M M A R I V M.

Exequutor datus ad tradendam possessionem beneficij cum clausula, amoto quolibet intruso, potest procedere ad inquirendum, an possessor sit intrusus, vel non. num. 1. & 5.

Beneficia vacant de iure, seu de facto, aut de iure pariter & de facto. n. 2.

Beneficia vacant naturaliter per mortem naturalem Beneficiarij, vel per civilem, quando ipse segregatur à beneficio, & primus modus dicitur per decessum, secundus vero per cessum. n. 3.

Exequutor datus ad conferendum beneficium potest ipsum conferre, si sit vacans de iure pariter & de facto; non autem si de iure, & non de facto, vel de conuerso, vacauerit. num. 4. & 5.

Possessor incoloratus (etiam si sit intrusus) si fuerit toleratus, non debet priuari quandiu de incolorato titulo, vel intrusione non constiterit. num. 5.



VIVS quæstionis materiam pertractant DD. in cap. cum nostris 6. de concessione præbendæ; ad cuius resolutionem supponendum est primò quod diximus supra, q. 73. n. 3. videlicet, exequutorem datum ad

ad tradendam alicui possessionem beneficij cum clausula, Amoto quolibet intruso, posse procedere ad inquirendum, an possessor sit intrusus, vel non; & constito de intrusione, illum remouere.

2 Secundò supponendum est, beneficia vacare, aut de iure, vel de facto, seu de iure pariter & de facto, ut latissimè tradunt Gonzal. ad regul. 8. gloss. 5. §. 1. quem refert & sequitur copiosè Garcia de benef. 1. p. cap. 1. à n. 2. cum pluribus sequen. Loterius de re benef. lib. 3. q. 8. n. 19. quamuis idem Loterius *vbi proximè*, duos tantum modos

3 vacandi admittat; quoad ipsum intrinsecum modum vacationis, videlicet quæ fuit per mortem naturalem personæ Beneficiarij, vel civilem, quando scilicet ipsa persona segregatur ab ipso beneficio, & primus modus dicitur per decessum, secundus verò per cessum.

4 Verum quidquid sit de hoc articulo, ad propositum propositi dubij dicendum est, posse exequutorem statim conferre beneficium vacans de iure & de facto, ut quia nullus est in illius possessione, secus vero si non de facto vacaret, veluti quia erat intrusus, & in possessione toleratus, quia tunc dum non constat de incolorato titulo, Exequutor debet supercedere, ipseque inquirere poterit de intrusione, ut diximus supra, num. 1. ad eruendam veritatem. Hocque intelligere debes iuxta ea; quæ diximus supra, q. 79. & ita hanc sententiam tenet Abbas in d. cap. cum nostris, de concessione

5 præbendæ, vbi n. 8. ita ait: Et generaliter cum queritur, an & quando beneficium per alium possessum, possit alteri conferri per Ordinarium, vel per Delegatum Papæ, seu Legati; distinguit hic Cald. & post eum Anton & dic, adhuc latius & clarius, quod quando beneficium vacat de iure & de facto, quia nullus est in possessione, tunc non est dubium, quod tam ab Ordinario, quam ab Exequutore Papæ, potest conferri; ut hic à contrario sensu, &c. Hæc Abbas: cui iunge Compostel. in cap. capitulum, n. 48. *vers. item queritur, de rescriptis*, & conducunt quæ diximus supra, q. 75. & q. 79. & ita concludendum est, quod si beneficium sit intrusi notorij vacans de iure pariter & de facto, poterit Exequutor illud conferre, non verò sit intrusio sit

occulta, taliter quod intrusus sit in possessione toleratus.

* * *

Tract. de Intrusione.

QVÆSTIO CXIV.

Visitatores dati ad visitanda monasteria exempta Monialium, an possint cognoscere de intrusione Abbatis, vel ipsarum Monialium.

S V M M A R I V M.

Visitatio ius competit cuique Prelato Ecclesiastico, cui iurisdictio, & administratio conuenit. n. 1.

Visitandi ius competere potest vel ex iure communi, aut speciali, veluti ex priuilegio, aut ex consuetudine. n. 2.

Episcopi habent ius visitandi ex iure communi. numer. 2.

Prelati inferiores possunt habere ius visitandi ex iure speciali, veluti ex commissione particulari, consuetudine, aut priuilegio. n. 2.

Visitatores dati ad visitanda Monasteria exempta Monialium, an cognoscere possint de intrusione Abbatis, vel ipsarum Monialium. n. 3. & sequen. usque ad finem.

Moniales quæ nulli subsunt, nisi Papæ, singulis annis per Ordinarium visitandæ sunt, & alia exempta per suos Prelatos. n. 3.

Abbatissa vel Priorissa Monasterij, vel aliqua Moniales si sint intrusa, taliter quod nulla tergiversatione intrusio celari valeat, poterunt Visitatores Monasteriorum priuare, & remouere illas; secus autem si intrusio non sit notoria, sed requirat iudicalem indaginem. n. 4. & 5. cum sequen.

Intrusus de facto in officio, vel beneficio remoueri debet, etiam de facto. n. 4. & 6.

Delictum notorium non indiget citatione nec probatione, aut aliqua iudiciali indagine. numer. 4.

Visitatores Monialium dati ad ipsas visitandas, possunt priuare Abbatissam, si notoriè constat ipsam esse intrusam; non verò si opus fuerit aliqua iudiciali probatione: poterit tamen cognoscere, non ut sententiam proferat, sed ut processum remittat ad Superiorem, qui causam decidat. n. 5. & 6. cum sequen.



AD intellectum dicendorum, & pro resolutione huius quæstionis supponendum est, quod ius visitandi competit cuique Prelato Ecclesiastico, cui iurisdictio, & administratio conuenit, cap. 1. §. *banc, de censibus* B b lib. 6.

lib. 6. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 2. n. 44. & plures referens Barb. in pastor. p. 3. allegat. 73. à n. 20. cum pluribus sequen.

2 Quod quidem ius competere potest alicui vel iure communi, vt Archiepiscopis, Episcopis, & aliis, qui de iure exercent iurisdictionem ordinariam; & etiam pertinere potest iure speciali, vt si illud habeat ex consuetudine, priuilegio, aut commiffione, seu ex alia confimili causa, vt docet Barb. vbi proximè, allegat. 129. n. 5. usque ad 8 & in specie tradit Fuscus de visitat. lib. 1. cap. 2. per totum.

3 Et ex his dubium oritur, an Visitatores dati ad visitanda Monasteria exempta Monialium, per Clementinam, Attendentes, de statu Monachorum; quæ innouata fuit per Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 9. in quibus statuitur, quod Moniales quæ nulli subsunt nisi Papæ, per Ordinarios, & aliæ exemptæ per suos Prælatos debeant singulis annis visitari; & cognoscere possint de intrusione Abbatissæ, & ipsarum Monialium.

4 Et in hoc articulo pro vera resolutione distinguendum est, nam aut notoriè constat de intrusione, taliter quod nulla tergiversatione celari possit, aut non, sed immo quod indigeat probatione, & causæ cognitione; & in primo casu poterunt tales visitatores cognoscere de intrusione, & priuare, & etiam de facto remouere illas intrusas: ex ea ratione, quia cum delictum sit notorium, non est opus aliqua probatione, citatione, aut alia iudiciali indagine, vt patet ex textu in cap. quoniam 10. de filiis presbyterorum, vbi Glossa, verbo, manifestum, & tradunt Rebuff. in tract. nominat. q. 17. n. 3. vers. sed contrarium infra dicam: Farin. in praxi crimin. tom. 1. q. 2. 1. à n. 66. præcipuè n. 80. & 81. cum sequen. & alij plures: vnde si delictum sit notorium, talis visitator non erit impeditus, quominus possit illas priuare; argumento textus in cap. ecce, 23. q. 3. & faciunt quæ diximus supra, q. 86. n. 1. & 3. cum sequen.

5 At vero in secundo casu, non poterunt illi Visitatores tales intrusas priuare; fas tamen erit eis, cognoscere de intrusione, non vt ipsi sententiam proferant, sed ad effectum remittendi processum ad Superiorem, cui de iure causæ cognitio, & sententiæ declaratio pertinet, pro vt in specie ita docet & resoluit Petr. de Anchar. ad textum in d. Clement. Attendentes, de statu Monachorum sub n. 3. in fine, vers. ita dicit & ultimo querit.

6 Sed quia non facile apud Doctores huius quæstionis resolutio punctim decidere-

periri potest, libet ipsius verba transcribere, quæ talia sunt: Si quis, cuius inter sit, coram Visitatoribus denunciatur, Abbatissam, & Moniales, quod non habeant canonicum ingressum, & est paratus etiam hoc incontinenti probare, an de hoc isti Visitatores cognoscere poterunt, & si possunt, & ita inuenerint, vel aliàs sit notorium, an poterunt declarare eas iustum titulum non habere, ipsasque remouendas esse, & sicut de facto sunt ingressæ, ita etiam de facto remouere: videretur quod prædicta omnia possint; & ita etiam si hoc sit notorium declarare, de appellat. sollicitudinem, vers. si vero notorium, ibi, declarare, & in Glossa sed numquid; & quod scripsit Ioand. Andr. super ea, post Hostiensem de officio Vicarij, cap. 1. in glossa, hac litera, lib. 6. Sed contrarium quod ibi scripsit in Noel. post Innocen. & Hostien. & de officio delegati, super eo, & de re iudicata, de cetero; breuiter dicit, quod isti Visitatores dati à Capitulo generali cognoscere poterunt, non ad finem sententiandi, sed ad Superiorem referendis si autem sit notorium, ita quod negari non possit, nec indigeat cognitione iudiciali, tunc poterunt declarare iniustum ingressum habere, aut remouendas esse, ac etiam remouere de facto, vt de facto tenent: argumento 24. quæst. ultim. ecce, & quod ibi notatur, & de filiis presbyterorum, quoniam, & quod notatur de pœnit. & remission. Clement. 2. Hæc Anchar.

Ex quibus liquiddò patet resolutio, quod si Abbatissæ & Moniales fuerint intrusæ notoriæ, & manifestæ, poterunt Visitatores illas pro talibus declarare, ipsasque remouere: si autem non ita se habeat, sed quòd aliqua iudicialis indago requireretur, tunc eam efficere poterunt, remittendo processum ad Superiorem, vt declarat, quod de iure procedat: & ita huius quæstionis dubitatio decidenda videtur.

QVÆSTIO CXV.

Intrusus an incurrat aliquam pœnam.

S V M M A R I V M

Intrusio est graue delictum, punitione dignum, & consequenter pœna plectendum. n. 1.

Intrusionum varia species sunt, quibus diuersæ pœnae correspondent. n. 2.

Pœna contra intrusos non pertinent aequaliter ad omnes, nam aliæ sunt generales, comprehendentes omnes intrusos: aliæ vero particu-

particulares, quæ solum se extendunt ad certas species intrusorum. n. 2.

Pœna prima generalis, comprehendens omnes intrusos est, quod gesta per intrusum, nec in iudicio, nec extra illud, sunt valida, in quibuscumque casibus considerentur. n. 3.

Annulatio actus à iure facta in odium transgredientis, est pœna. n. 4.

Secus si irritatio, vel annullatio fiat ex defectu alicuius solemnitate. n. 5.

Pœna secunda generalis contra intrusos, est: quod iste non potest subrogari in ius alterius, habentis canonicum titulum in beneficio, in quo præcendit subrogationem. n. 6.

Et hanc pœnam euitare poterit, si dimiserit possessionem, antequam petat subrogationem in ius alterius. n. 7.

Tertia, quod intrusus tenetur restituere fructus, quos medio tempore intrusionis percepit; & quos percipere potuisset. n. 8.

Quarta, vt condemnari debeat per Iudicem in expensis, quas soluere debet ei, cui beneficium fuit adiudicatum, tanquam ius habenti. n. 9.

Et an hæc sit pœna proprie loquendo. n. 10.

Quinta, quod teneatur ad damna, & interesse resarcienda illi, qui detrimentum habuit. numer. 11.

Sexta, vt debeat puniri actione iniuriarum, si ei qui passus fuit intrusionem, irrogata fuerit aliqua iniuria. n. 12.

Septima, quod redditur inhabilis ad tale beneficium, in quo se intrusit, taliter quod si de nouo voluerit illud impetrare, tenetur facere mentionem de præcedenti intrusione, aliàs erit subreptitia. n. 13.

Octaua, quod remoueri, & deponi debet à re, in qua se intrusit, præcipuè si in intrusione sit admixta aliqua species simoniæ. n. 14.

Nona, quod excommunicari valeat, taliter quod Episcopus possit condere statutum, imponens pœnam excommunicationis contra detinentes beneficia sine canonico titulo. n. 15. & 16.

Decima, quod puniri debet pœna falsi, sicut punitur, qui falsis diplomatibus vtitur, aut honoribus, & dignitatibus ex falsis documentis se ingerit. n. 17.

Et hæc pœna comprehendunt generaliter quoscumque intrusos.

Pœna prima contra particulares intrusos, erit depositionis aduersus eum, qui sine auctoritate Episcopi se ingerit in beneficio, si monitum illud statim non dimittat. n. 18.

Secunda contra eum, qui habens beneficium Curatum, si in alio confimili se intrudit, ipso iure ambobus est priuatus. n. 19.

Tertia contra eum, qui impetravit beneficium uinientis, in quo se intrusit, qui deponendus, Tract. de Intrusione.

& ab Ecclesia communionem pellendus est: numer. 20.

Quarta erit aduersus eum, qui Prælaturam quamcumque, vel beneficium receperit de manu laici, & in illa, vel illo, se ingesserit, qui ipso iure à Canone est suspensus, & irregularis. n. 21. & 23.

Beneficium Ecclesiasticum conferri non potest nisi ab Ecclesiastica persona. n. 22.

Quinta pœna est contra eum, qui se intrudit in Prælatura, vel Dignitate per abusum secularis potestatis, consentiendo in ipsius electione, quia talis intrusus sit irregularis, & ineligibilis ad aliam quamcumque Dignitatem. n. 24.

Sexta, contra se intrudentem in beneficio reseruato ex generali reseruacione, in corpore iuris clausa; nam talis non gaudet, nec potest se inuare Regula Cancellaria de Trienniali. numer. 25.

Septima, quod si intrusus fuerit à possessione amotus, & spoliatus lite pendente, restitui non debet; quamuis aliàs agere possit remedio recuperandæ possessionis. n. 26.

Octaua, quod intrusus lite pendente non potest dare obiectus contra actorem, dummodo iste omnino non careat aliquo titulo. n. 27.

Nona contra eum, qui se intrusit in possessione beneficij lite pendente, nam sit inhabilis ad consequendam subrogationem, in euentum mortis collatigantis. n. 28.

Decima contra intrusum in Dignitate, vel officio habente potestatem, vel iurisdictionem dominatiuam; nam incurrit in pœnas statutas contra Tyrannos, qui contra bonum commune Republicæ non iure principantur. numer. 29.

Pœna mensurari debent iuxta qualitatem delicti. n. 30.



INTRUSIONEM esse graue delictum, punitione dignum, multoties in hoc tractatu resolutum reliquimus supra, q. 102. numer. 9. & in aliis pluribus, & consequenter pœnam fore imponendam intruso in dubium venire non debet, qualis autem, & quæta hæc sit, in hac, & sequentibus quæstionibus declarare, & explanare conabimur.

Et vt clare, & ordinatim procedere valeamus, supponendum est, varias esse species intrusionum, & intrusorum, vt patet ex his quæ diximus supra, q. 2. cum pluribus sequen. quibus non vniformis, & æqualis pœna à iure statuta correspondet: aliæ namque sunt, quæ particulariter in singulis illarum speciebus, aut generibus infliguntur; aliæ verò quæ certos intrusos comprehendunt, quæ quidem ad alios non se extendunt

tendunt, & de omnibus in presenti mentionem faciemus, incipiendo prius à generalioribus, iuxta notata per Doctores in Rubrica, ff. si certum petatur, & enumerabimus prius pœnas, quæ sunt communes, & æqualiter pertinent ad omnia genera intrusorum: postmodum verò in medium proponemus alias, quæ veniunt exequendæ quoad particulares intrusos.

3 Prima quæ dicitur pœna generalis, est illa videlicet, quod regulariter gesta per intrusum, nec in iudicio, aut extra illud, sunt valida, quocumque modo considerentur, siue sint contractus celebrati de rebus Ecclesiæ, siue collationes beneficiorum, & his similia, vt per Innocentium & alios in cap. nihil de electione, & latè diximus supra, q. 29. & 30. cum pluribus sequen.

4 Enimuerò nullitas actus, dicitur, & est pœna, nam ille irritatur in odium transgredientis, quia tunc annullatio, & irritatio est pœna, vt in cap. penitentia, de penitentis, distinct. 3. & in cap. dispendia, de rescriptis in 6. cap. cupientes, 16. vers. vel si personas. §. quod si per viginti, & cap. si Religiosus 27. de elect. eodem libro, cum aliis adductis per Boërium decis. 1. n. 16. Menchacam controuersiarum illustrium cap. 28. n. 3. & 5. Vantium, alios allegantem de nullitat. in principio, sub tit. quid sit nullitas, n. 15. latè per Thomam Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 4. n. 8. & sequen. & alios plures penes ipsos.

5 Et quamuis aliqui Doctores allegati per ipsum Sanchez, dixerint, annullationem, seu irritationem actus non esse pœnam, intelligendi tamen sunt, quando annullatio, & irritatio actus prouenit ex defectu alicuius solemnitatis extrinsecæ: secus verò quando prouenit ratione prohibitionis, ad reprimendum, & euitandum delictum; & in hunc sensum intelligendi sunt prædicti Doctores, & inter eos Mandosius allegatus per Sanchez, ad regul. 15. Cancell. q. 5. n. 7. (& profecto ibidem vbi à Sanchez allegatur, nihil ad intentum loquitur, ipsum tamè inueni in meo codice impresso Venetiis de anno 1606. ad regul. 2. de unionibus, & unionum confirmationibus, q. 6. n. 2. & 11.) vnde cum in presenti annullatio, & irritatio actus, fuerit propter intrusionem, consequenter prouenit ex delicto, & exinde sequitur, quod qualificari debet pro pœna, sicut vere & realiter est.

6 Secunda pœna est, vt intrusus non possit subrogari in ius alterius, habentis legitimum, & canonicum titulum in beneficio, in quo subrogationem præterdit, iuxta textum in cap. cum iam dudum 16. de prebendis, & hoc quidem statutum est in pœnam, &

punitionem huius execrabilis delicti; vt in specie tradit Ignatius Lopez de Salcedo in sua praxi criminali canonica, cap. 49. el segundo, in verbo, priuatus est beneficio, litera B. 7 vers. & nota quod in pœnam &c. Rebuf. in praxi p. 2. super regulam de subrogandis colligant. glos. 4. n. 25. vbi aduertit, quod ad euitandam hanc pœnam, poterit ille, qui dubius est de intrusione, dimittere possessionem, antequam petat subrogationem in ius alterius, quia per talem dimissionem purgatur intrusus, & exinde redditur capax ad petendam subrogationem, quod est valde notandum, vt docet ipse Rebuf. & post eum Salcedo in locis supra allegatis.

7 Tertia pœna est, quod intrusus tenetur restituere fructus sol re, vel beneficio, in quo se intrusit, non solum quos medio tempore intrusionis percepit, sed etiam quos percipere potuisset, vt in cap. grauis, de restitutione spoliatorum, & latè diximus supra, q. 58. cum duabus sequentibus. Quod autem hæc fructuum restitutio pœna dicatur, & pro tali habeatur, docet cum Bernardo Diaz, Nauarro & Siluestro, Zerola in praxi p. 1. verbo, intrusus, §. ad secundum, vers. tertio si in intrusione. 8 Septima pœna est, quod intrusus redditur in habilis ad obtinendum illud beneficium, in quo se intrusit, vt late diximus supra, q. 100. n. 14. & q. 101. n. 4. & q. 102. n. 16. & sequen. vbi plura adduximus ad intentum. Hocque adeo est verum, vt si de nouo in impetratione ipsius beneficii obtenta ab intruso, non fecerit mentionem de præcedenti intrusione, gratia erit subreptitia: quod intelligere debes, iuxta ea quæ diximus supra in d. q. 100. num. 18. & q. 102. n. 15. & 20. cum sequen.

8 Quarta pœna est, vt intrusus condemnari debeat per iudicem in expensis, quas tenetur soluere ei, cui beneficium adiudicatum fuerit, tanquam ius habenti, illasque cum fructibus restituere debet, vt diximus supra, q. 59. n. 14. & sequen.

9 Et quamuis Doctores discordent, an condemnatio expensarum sit, necne, pœna; nam Panormit. in cap. 1. num. 23. vt lite non contestata, cum aliis per ipsum allegatis tenuit, non esse pœnam; Riminaldus tamen consil. 394. n. 2. lib. 1. cum pluribus docuit, verè & realiter esse pœnam; cum quibus optimè & eleganter cõsonat Ioan. Baptista Asin. in sua praxi iudiciali, §. 32. cap. 27. per totum, vbi plures referens concludit, quod condemnatio expensarum, saltè respectu soluentis, pro pœna iudicanda venit: hocque quotidie in praxi videmus, nam vltra pœnam sententiæ, ea augetur cum expensarum solutione, vel minuitur, ab illa liberando condemnatum, & exinde hanc expensarum condemnationem adnumeramus inter alias pœnas contra intrusum comminatas.

Quinta

11 Quinta pœna erit, quod intrusus teneatur ad damna, & interesse resarcienda illi qui detrimentum expertus fuit, vt patet ex d. cap. Grauis, & ibi per D. D. de restitutione spoliatorum, & ex his quæ diximus supra, in d. q. 59. per totam. præcipuè num. 18. & latè ex Lancelloro de arrentatis, in d. 3. p. cap. 31. n. 164. in antiquis, & in additionis n. 174. cum pluribus sequen. vers. quinta pœna.

12 Sexta communitur, si cui per intrusionem aliqua iniuria fuerit irrogata, nam intrusus puniendus erit etiam actione iniuriarum, vt deciditur in d. cap. grauis, & ibidem communiter Doctores, & in specie docet Zerola in praxi p. 1. verbo, intrusus, §. ad secundum, vers. tertio si in intrusione.

13 Septima pœna est, quod intrusus redditur in habilis ad obtinendum illud beneficium, in quo se intrusit, vt late diximus supra, q. 100. n. 14. & q. 101. n. 4. & q. 102. n. 16. & sequen. vbi plura adduximus ad intentum. Hocque adeo est verum, vt si de nouo in impetratione ipsius beneficii obtenta ab intruso, non fecerit mentionem de præcedenti intrusione, gratia erit subreptitia: quod intelligere debes, iuxta ea quæ diximus supra in d. q. 100. num. 18. & q. 102. n. 15. & 20. cum sequen.

14 Octaua erit, quod intrusus remoueri & deponi debeat ab officio, beneficio, seu dignitate, in quibus se intrusit; iuxta textum in cap. qualiter, de electione, & in cap. cum iam dudum, & ibi Abbat post numerum 2. ad finem de prebendis, & patet ex his quæ diximus supra, q. 86. & q. 87. num. 10. & 28. cum sequen. Quæ quidem pœna eo magis locum sibi vendicat, si in intrusione sit admixta simonia, veluti si aliquis per pecuniam procurasset priuationem Beneficiati, eoque priuato se in tali beneficio intrusisset, tunc etenim duplex atrocissimum delictum committitur, videlicet simoniæ, & intrusionis, vt probatur ex textu singulari in cap. 2. de simonia, vbi communiter Canonistæ, & consequenter qui modo prædicto beneficium consequutus fuerit, priuari, & deponi debet, tum propter simoniam, tum & etiam propter intrusionem.

15 Nona pœna contra intrusum consideratur, vt videlicet excommunicationis vinculo innodari possit, vt patet ex textu in cap. admonet, vbi Abbas & communiter Doctores, de renunciatione, vbi in fine, ita ait, Quod si quis contra prohibitionem tuam venire presumpserit, in eum canonicam exerceas ultionem.

16 Ex quo sequitur, posse Episcopum, aut alium alium Prælatum, habentem potestatem condere statutum, inferens pœnam

excommunicationis contra detinentes beneficia sine canonico titulo ita Abbas in cap. ex frequentibus, per eum textum, in quarto notabili, de institutionibus, & ita docet Henr. Botte. in tract. de synodo p. 3. artic. 1. concl. 13. n. 144. vers. sexto infero valere statutum &c.

17 Decima pœna generalis contra intrusum erit, quod puniri debet pœna falsificationis textus in l. eos. §. qui se pro milite, ff. de lege Cornelia, de falsis, ibi, Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeaui, pro admitti qualitate grauissime puniendus est: & ita docet Bald. in cap. Pastoralis, columna prima, de exceptionibus, quem refert & sequitur Rebuf. in praxi, p. 1. super regulam de subrogandis colligantibus, glos. 4. n. 5. in fine.

Hæ sunt pœnæ, quæ generaliter, & indistincte in qualibet intrusionum specie locum sibi vendicant: Nunc autem iuxta ordinem superius traditum n. 2. præter illas, aliæ specialiter sunt infligendæ, & exequendæ contra certos particulares intrusos, quas ordine sequenti referemus.

18 Et prima deducitur ex cap. relatum, de iure patronatus, vbi resoluitur, quod habens beneficium sine consensu Episcopi ipsi concessum, si monitus statim illud non dimittat, remouendus est ab officio, & beneficio, vt latè aduertit Salcedo in sua praxi criminali, cap. 51. vbi Bernardus Diaz in annotatione ad ipsum, ita ait: Adde Abbatem in cap. præterea, il secundo, de iure patronatus, quò loci scribit, quod si quis beneficium aliquod impetrauit, si in supplicatione non expressit se prius à laico habuisse, non tenet impetratio; quia si summus Ecclesiæ Præsul hoc compertum haberet, non ita concessisset: cum propter crimen commissum condignis pœnis esset plectendus &c.

19 Secunda erit contra illum, qui habens beneficium curatum in alio consimili se intrudit, contra dispositionem textus in cap. de multa, de preben. cum similibus; nam ipso iure priuatus existit beneficio simili curam animarum habente, vt patet ex textu in cap. cum qui 18. ibi, Decernimus ipso iure esse priuatum: de preben. in 6. & plures referens tradit Barb. in pastor. p. 3. allegat. 57. n. 220. Viuianus in praxi iuris patro. 2. p. lib. 6. c. 10. n. 10. & 11. & in specie Ignatius Lopez Salcedo in sua praxi criminali cap. 49. & ibidem Bernadus Diaz in additione verbo, priuatus est ipso iure &c.

20 Tertia pœna enumeratur aduersus eum qui impetrando beneficium viuientis, in eo se intrudit, qui quidem non solum deponendus est, vt aduertunt Glos. in cap. 1. verbo,

B b 3 verbo,

Tract. de Intrusione.

verbo, pellendi, vbi communiter Doctores, de concessione prebende, Rebus. in praxi, sub tit. de reprobata beneficii viuentis impetratione, & alij plures relati per Garciam de benef. 10 p. cap. 1. num. 23. sed etiam ab Ecclesie communiōe pellendus est, vt expressè deciditur in d. cap. 1. de concess. prebende, & quamuis Salcedo in d. prax. cap. 50. ve lit intelligere illum textum, vt ipsius pena solum ibidem comprehendat se intrudentem in alterius Episcopatum, non verò in Ecclesias inferiores: attamen ratio æqualiter influere videtur in omnibus: vt patet ex his quæ ibidem aduertit Additio ad ipsum in d. cap. 50. litera A. vbi loquitur de commendis inferiorum beneficiorum, in vers. & huiusmodi prohibitio &c.

21 Quarta erit illius, qui Episcopatum, Abbatiam, vel aliam inferiorem Dignitatem rec eperit de manu laici, & in illa, vel illis se in gesserit, nam talis intrusus ipso iure suspensus est à Canone, vt expressè deciditur in cap. si quis deinceps, vbi latè Glossa verbo, interdiximus, 16. q. 7. nam certum est, quod beneficium conferri non potest, nisi ab Ecclesiastica persona, veluti Episcopo, vel alio Prælato, ad id habente facultatem, cap. Messana, cap. sacrosancta, de electione, cum aliis quos refert Garcia de benef. p. 1. cap. 2. n. 32. & ita resoluunt communiter Doctores, vt per Gonzalez ad regul. 8. Cancell. glos. 5. in principio, n. 10. Aloysium Riccium in collect. decision. p. 4. collect. 1042. vers. quantum requisitum, Paul. Comitolum lib. 1. responsor. moral. q. 68. & ad cap. si quis Episcopus, & cap. si quis Clericus, 16. q. 7. Tambur. de iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. q. 22. n. 10. & sequen. & alij plures penes ipsos.

23 Vnde qui per laicam potestatem se intrusit, præter dictam penam suspensionis incurrit etiam irregularitatem, vt patet ex textu in cap. quisquis, 43. de elect. ibi, Et electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi Dignitatem &c. & ita aduertit ibidem, Abbas, notab. 1.

24 Quinta pena declaratur, & extenditur ad immediatè præcedentem, videlicet contra eum, qui se intrudit in Prælatum, aut Dignitatem per abusum secularis potestatis, consentiendo electioni de se factæ: talis namque efficitur irregularis, vt diximus in præcedenti pena: nam de forma præfata electionis est, ne in ea admittantur laici; & si ipsi in ea interueniant, est ipso iure nulla: vt concludunt omnes DD. & latè tradit Lotterius de re beneficiari, lib. 2. q. 17. à num. 8. cum sequent. & ex illa pena resultat, vt fiat etiam ineligibilis ad aliam

quamlibet Dignitatem, vt expressè deducitur ex d. cap. quisquis, vbi docent communiter DD. teste Abbate ibidem, quem refert & sequitur Azor. tom. 2. institut. moral. lib. 6. cap. 4. q. 28. vers. si iterum roges, &c.

25 Sexta est contra eum, qui se intrusit in beneficio reseruato, ex generali reseruacione, in corpore iuris claustralitatis namque intrusus non potest se iurare, nec gaudere beneficio Regulæ Cancellariæ de Triennali possessore; vt expressè disponitur in d. regula; & faciunt ad intentum; quæ diximus supra, quæst. 24. q. 43. & 83. n. 8. & in specie ita docet Ludouicus Gomez. super dictam regulam, de Triennali, quæst. 47. vers. tertio modo dicitur intrusus, &c.

26 Septima erit, vt si intruso lite pendente super beneficio, possessio illius auferatur, seu spoliatur, ipse in odium intrusionis restitui non debeat; vt patet ex his quæ diximus supra, quæst. 53. & q. 54. n. 10. & sequen. & q. 55. cum sequen. quamuis aliis qui intrusus non sit lite pendente, si agat remedio recuperandæ, restitui debeat, iuxta ea quæ diximus supra quæst. 51. & 52. & latè aduertit Lancellor. de attentatis, p. 3. cap. 31. num. 180. in antiquis: & in additionis, num. 195. in 6. pena.

27 Octaua computatur, quod non conceditur intruso actori, vt lite pendente possit dare obiectus, quamuis alias Reus intrusus (præcipuè si sit possessor) possit opponere obiectus contra actorem, qui omnino iure caret, nam sufficit eum vincere per non ius ipsius, vt notat Rota decis. 7. aliàs 419. incip. Nota an Reus, &c. de exceptionibus, in antiquis, & patet ex his quæ latè diximus supra, q. 65.

28 Nona pena considerari potest contra eum, qui se intrusit in possessione beneficii lite pendente, quia ex tali intrusione redditur inhabilis ad consequendam subrogationem in iuribus defuncti, in euentum mortis colligantis, vt patet ex Regula Cancellariæ, de subrogandis colligantibus, quæ expressè excludit, & repellit intrusos, ne subrogari possint in illo beneficio, de quo latè Lancellorus in d. cap. 31. in 18. pena, num. 157. in antiquis, & in additionis, num. 275. & copiosè diximus supra q. 20. n. 2. & seq. vsque in finem.

29 Decima pena erit contra intrusum in Principatu, Prælatum, Dignitatem, Officio, vel Beneficio, habentibus iurisdictionem, & potestatem dominatiam; nam ille incurrit in penas à iure statutas contra Tyrannos, qui contra bonum commune Reipublicæ non iure principantur, sed iniuste, tyrannicè & superbè se intrudunt; vt patet

ex

30 ex his quæ diximus supra, q. 26. Alias plures poenas singulares à iure declaratas contra particulares intrusos hic annexere possemus, quæ deducere valebis ex quæstionibus supra agitis, easque consultò omittimus, ne repetamus quod iam dictum reliquimus, & ex hoc molestiæ parcamus, licet in sequentibus quæstionibus de aliis principalioribus mentionem agemus: nam mensurari debent iuxta qualitatem intrusionis, in qua plura delicta quandoque cumulari possunt, & consequenter variæ ei poenæ correspondere, vt videre poteris penes Oldradum conf. 65. num. 3. & dicemus infra q. 120. in fine, n. 26. & sequen.

QVÆSTIO CXVI.

Quæ sit poena Episcopi intrusi, facientis se in Episcopum consecrari.

S V M M A R I V M.

Episcopus intrusus, consecratus ad Ecclesiam in qua se intrusit, non recipit habitum, & effectum consecrationis. n. 1. & 3.

Consecratus ad Ecclesiam in qua se intrusit, deponi debet. n. 2.

Consecrans Episcopum intrusum, ad Ecclesiam in qua se intrusit, ambo incurrunt penam depositionis. num. 3. & 4.

1 **R**ESOLVTVM reliquimus supra, quod intrusus consecratus ad Ecclesiam, in qua se intrusit, non recipit habitum, & effectum consecrationis, vt variis argumentis, & diuersis fundamentis, ac rationibus explanauimus; sed præter prædictam penam, reperitur & alia in iure expressa in cap. nullus finali, 62. distinctione, videlicet quod deponi debet, vt patet ex illius contextura, & ex verbis ipsius, ibi: Nullus in Episcopum, nisi canonicè electum, consecret. Quod si presumpsit fuerit, & consecrans, & consecratus, absque recuperationis spe deponantur.

2 Idemque suadet ex cap. si quis Episcopus, 1. q. 1. ibi, Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus à Dignitate, vel sollicitudine, quam pecunijs acquisiuit. Quod etiam statutum reperitur in Concilio Carthagineñsi 17. cap. 68. & 69. prout refertur in cap. ex penitentibus, 50. distinct. ex quibus iuribus liquidò patet,

quod Episcopus intrusus: faciens se consecrari in Episcopum, non recipit habitum & effectum consecrationis, & insuper deponi debet, & quod ipsum ligant poenæ generales, comminatæ contra omnes intrusos, & ipsas incurrit, de quibus mentionem fecimus supra, in quæstione antecedenti.

QVÆSTIO CXVII.

Quæ sit poena Superioris permittentis intrusum permanere in beneficio, in quo se intrusit.

S V M M A R I V M.

Superior permittens intrusum permanere in beneficio, in quo se intrusit, qua poena puniatur. n. 1. & sequen.

Beneficium curatum, aut Personatum requirentem residentiam si quis habuerit, possessionemque ipsius retinuerit, & secundum beneficium consimile receperit, vacat ipso iure primum; & si in utroque remanserit, amobus spoliandus est. n. 2.

Collator beneficii curati poterit illud conferre, si obtinens consequatur secundum consimile, & si intra sex menses non contulerit, deuoluitur ius conferendi ad immediatum Superiorem. n. 3.

Collator beneficii permittens intrusum in eo permanere, puniatur poena deuolutionis, & de suo, Ecclesia satisfacere tenetur & restituere omnes proventus, & utilitates perceptas per intrusum. n. 4.

Declaratur ut n. 6.

Deuolutio collationis beneficii fit propter negligentiam illius, qui non contulit intra terminum à iure statutum. n. 5.

Pœna duplicari possunt, quando tendunt circa diuersos respectus, licet originem sumant ex eodem actu. num. 5.

1 **I**N præsentem quæstionem inquirendum est, qua poena plectatur Superior, permittens intrusum permanere in beneficio, in quo se intrusit; cuius resolutio sumere debet originem ex dispositione textus in cap. de multa 28. de prebendis, in quo deciditur, quod habens beneficium curatum, Personatum, vel Dignitatem, si secundum consimile consequatur, ipso iure vacare debeat primum; & si illud retinere contenderit, etiam, secundo spoliatus existat: quæ

B b 4 quidem

quidem dispositio innouata reperitur in Tridentino *sess. 7. cap. 4. de reformat. & in extrauaganti; Execrabilis*, Ioannis XII. *de prabendis*, de quo videndi sunt Garcia *de beneficiis* 11. p. cap. 5. num. 7. & 76. cum sequen. Valerius Reginal. *in praxi fori penitentialis* lib. 30. tract. 3. num. 309. late Flam. Paris. *de resignat. benef. lib. 3. q. 1. à n. 51. cum sequen.* & copiosè ad intentum Ioan. Guierrez *conf. 10. à n. 4. cum pluribus sequen.* & alios referens Barb. *in collect. ad text. in cap. cum qui 18. de prabendis in 6. n. 3. & late diximus supra, q. 79. num. 5.*

3 Postmodum verò idem Innocentius III. *in d. cap. de multa, in §. is quoque*, disponit, quod ille ad quem pertinet collatio primi beneficii, poterit ipsum liberè conferre ei, cui placuerit conferendum; at verò si intra sex menses conferre distulerit, tunc collatio illius ad alios deuoluatur, iuxta dispositionem *Lateranensis Concilij*, & insuper quod cogatur de prouentibus suis assignare tantum in ipsius Ecclesie utilitatem, quantum constiterit esse perceptum de tempore vacationis.

4 Ex quibus colligitur, duplicem *ibidem* pœnam esse constitutam contra collatorem, permittentem intrusum in beneficio permanere: vnam videlicet, quod ei auferatur collatio, & ad alium deuoluatur ob ipsius negligentiam; & alteram, vt de suo teneatur Ecclesie satisfacere, & restituere omnes prouentus, & utilitates per intrusum perceptas, & vt aduertit Cardinalis *ibidem in 3. notabili*, iste est casus, in quo quis duplici pœna puniatur, illa namque deuolutionis fit propter negligentiam, quæ quidem digna est punitione; altera verò propter delictum in quo deprehenditur, quia præsumitur, ipsum confouere intrusum, & cum eo aliquo modo cooperari; permittendo iniuste beneficium detinere, palliando vitium intrusionis, & ideo cum prædictæ pœnæ circa diuersos respectus constitutæ fuerint, nihil mirum, quod plures sint, vt cordatè aduertit Hostiensis. *in d. §. is quoque, verbo, cogatur, n. 7.*

6 Quomodo autem colligi debeat *ibidem*, quod teneatur de suis prouentibus tantum in Ecclesie utilitatem assignare, quantum tempore vacationis constiterit esse perceptum, declarauit *ibidem* Glossa, verbo, *prouentibus*, & Hostiensis *in loco citato*, qui alias interpretationes adducit, ipsiūque sequuntur Ioan. And. & Card. *in d. §. is quoque, in ultima questione*, Anchar. *in 7. notab. Imola num. 11. in fine*, & ferè omnes Doctores præter Abbatem, qui sequitur prædictam Glossam, apud quos videre pot

teris, ne extra nostrum institutum diuertamur

QVÆSTIO CXVIII.

Quæsit pœna eligentis aliquem ad Prælaturam, vel Dignitatem cui se intruserat.

S V M M A R I V M.

Eligens scienter indignum in Episcopum, ex eo per triennium suspensus est à beneficiis, & interim eligi non potest ad dignitatem illius Ecclesie, n. 1. & 5. cum sequen.

Intrusus in aliqua Dignitate est ineligibilis ad eam, & eligentes puniuntur pœnis à iure statutis contra eligentes indignum, n. 2. & 5. cum sequen.

Electus inualidè ad prælaturam, si colligat, & expendat fructus illius, est intrusus, & furtum committit, num. 3.

Intrusus in beneficio percipiens fructus, eosque expendens, committit furtum, quia contrahat rem alienam inuito domino, n. 4.

Eligentes scienter intrusum puniuntur tanquam eligentes scienter indignum, quia est præsumptio, quod intrusus habeat prædari, malèque administrare bona Ecclesie, n. 5.

Eligens scienter indignum ad Dignitatem & Prælaturam, remanet inhabilis, ne possit ad illas assumi, num. 6.

Eligens scienter indignum ad beneficium, priuatur ipsa electione, & insimul amittit ius eligendi, num. 7.

Intrusus si sit electus ad Dignitatem, vel Prælaturam, puniuntur eligentes pœna annulationis ipsius electionis, & remanent inhabiles ad eam de nouo faciendam, n. 8.

Episcopus non potest sanare, aut dispensare in electione facta de scienter intruso, n. 9.

Suspensus à beneficiis ex eo quod Prælaturam intrusum elegit, remanet inhabilis, ne promoueri valeat ad aliam Dignitatem, dum durat suspensio, n. 10.

Quod limita vt n. 11. & sequen.

Inferiores Clerici eligentes Prælaturam intrusum, puniendi sunt pœna arbitraria, n. 11.

Prælati superiores eligentes intrusum, vel indignum ad Prælaturam, vel Dignitatem, remanent suspensi quoad beneficia, quæ habent in eadem Ecclesia, in qua electio fuit facta, non verò quoad alia diuersarum Ecclesiarum, num. 12. & 13.

Inhabilis, & indignus quis dicatur, ne eligi possit ad Dignitatem, vel Prælaturam; vide remissiuè, num. 12.

Hanc



ANC quæstionem decidere videtur dispositio text. *in cap. per inquisitionem 26. §. cum igitur, de elect.* ex quo probatur, quod eligens scienter indignum in Episcopum, ex eo suspensus existit à beneficiis, saltem per triennium, & quod interim ad illius dignitatem eligi vel assumi non potest, & *ibidem*

2 Glossa verbo, *se indignum*, plura congerit, idem probantia, & in specie ita resoluit Abbas *in d. cap. per inquisitionem, 26. de elect.* vbi n. 6. *notab. penultimo*, ita ait: Nota, quod intrusus in aliqua Dignitate, non potest ad illam eligi, & eligentes puniuntur tanquam

3 eligentes scienter indignum; hic enim ad concludendam indignitatem Clerici, ponderatur, quod ipse ante electionem validam tenuit domum Episcopalem, per ipsum M. qui expendebat redditus de voluntate ipsius electi; talis enim intrusus committit furtum; secundum Innocentium, quia contrahat rem alienam inuito domino; de quo vide bonum textum iuncta

4 Glossa *in cap. dudum, de elect.* Hæc Abbas, quem sequitur Azor. *tom. 2. inst. moral. p. 2. lib. 3. cap. 28. q. 14.*

5 Quibus consonat Franciscus Ripa *tom. 2. responsorum, super titulu, de obligationibus, responsio 10. incipient. Titius sciens Menium &c. n. 4.* per hæc verba: Secundò adduco casum *cap. per inquisitionem, de elect.* vbi

6 eligentes scienter indignum, hac ratione quia est præsumptio, quod intrusus habeat prædari, & malè administrare bona Ecclesie, &c. quod autem detur præsumptio vt intrusus fraudaturus sit Ecclesie, late diximus supra, q. 100. n. 13. & 14.

7 Ex quibus liquiddè patet, quod eligens scienter indignum ad Dignitatem, vel Prælaturam, taliter remanet inhabilis, vt ad illas consequendas assumi nequeat, vt aduertunt Gratianus *tom. 1. discept. forens. cap. 58. n. 11.* & plures referens Barbof. *in pastor. p. 3. allegat. 72. n. 105.* quibus iunge late Castrum Palauin *tom. 2. operum moral. tract. 3. disp. 2. punct. 7. n. 7. & 8.*

8 Et ex his sequitur, quod sicut eligentes scienter indignum, ipso iure tali electione remanent priuati, & insimul spoliati iure eligendi, vt patet ex textu *in cap. cum in cunctis 7. §. clerici, & in cap. innotuit, in fine, cap. scriptum, de elect. cap. gratum, de postulatione Prælatorum*, pro vt & etiam late docent Gratianus, Barb. & Palao *vbi proxime*, nec non Tambur. *de iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. quest. 8. n. 18.* Rota apud Mantuam *in eius impressis, decis. 158. n. 2. vers. quare cum postea* & alij plures; sic similiter in eadem pœnam incident eligentes scienter intrusum,

cum iste committat delictum, iuri tam odibile, & atrox, nam est fur & Lætro, vt sæpè diximus supra, q. 95. num. 16. & q. 100. n. 14. & in aliis pluribus, & consequenter eligentes, & electi puniri debent pœnis contentis *in d. cap. cum in cunctis, §. clerici*, & in aliis iuribus proxime allegatis; maxime quia intrusus ex sua natura est inhabilis ad electionem, vt resoluit Viuianus *in praxi iuris patron. lib. 6. cap. 7. n. 34. & 35.*

Ex quibus aduertendum est, quod neque Episcopus (regulariter loquendo) poterit sanare talem defectum, aut dispensare in electione facta de scienter intruso, propter inhabilitatem ex intrusione contractam, per ea quæ tradit Garcia *de benef. 7. p. cap. 13. n. 88.* & patet ex textu *in cap. si compromissarius 37. de electione in 6.* Ex quo

10 Abbas *in d. cap. per inquisitionem, num. 8. in ultimo notabili*, aduertit, quod suspensus beneficiis, ex eo quod Prælaturam intrusum, & consequenter indignum elegit, remanet inhabilis & incapax, ne ad aliam Dignitatem, vel Prælaturam promoueri valeat, dum durat suspensio, ex dispositione textus *in d. cap. cum in cunctis, §. clerici, de elect.* vbi hæc pœna expressè decernitur.

11 Quam pœnam *ibidem*, ipse Abbas *in d. n. 8.* resoluit recipere aliquas limitationes, & restrictiones per hæc verba. Primò enim non habet locum illa pœna, nisi in electionibus Episcoporum, & Superiorum; in inferioribus verò dignitatibus puniuntur electores pœna arbitraria, de quo vide

12 textum cum Glossa *in cap. si compromissarius, de elect. in 6.* Secundo quia illa pœna suspensionis restringitur ad beneficia duntaxat, quæ isti eligentes indignum habebant in eadem Ecclesia, ad quam facta fuit electio, non autem extenditur ad beneficia aliarum Ecclesiarum, vt sic soluti puniantur in beneficiis habitis in illa Ecclesia, contra quam deliquerunt: vt patet ex d. text. *in cap. si compromissarius.*

13 Ex quo inferitur ad notabilem limitationem *istius Capituli*, vt quemadmodum suspensio quoad beneficia habita, restringitur ad beneficia illius Ecclesie, ita & inhabilitas ad habenda durante suspensione causatur solùm respectu illius Ecclesie, in illa ergo Ecclesia poterunt illi, etiam durante illo triennio suspensionis promoueri, argumento *dicti Capituli, si compromissarius*, & potest etiam adduci textus in præfenti. Nam ista inhabilitas respectu obtinendorum venit accessorie ad suspensionem factam de habitis, vt colligitur ex hoc textu, ex litera, *in versiculo, Cum igitur &c.* ergo debet regulari secundum naturam illius suspen

suspensionis, vt *in regula, accessorium, de regul. iur. lib. 6.* ad hoc allego Glossam notabilem, quæ hoc tenuit, *in cap. cupientes, in §. ceterum, in verbo, beneficiis, in fine, eodem titulo, de electione, lib. 6.* Hæc Abbas: & secundum eius doctrinam prædicta conclusio *suprà, in principio, adducta, intelligi & explanari* debet.

14 Quando autem quis existat indignus, & inhabilis, ne ad Prælaturam, Dignitatem, vel beneficium eligi, vel præsentari valeat? latè tradit Viuianus *in praxi iuris patronatus p. 2. lib. 6. cap. 5. per totum, & cap. 7. num. 47.* apud quem videre poteris, licet plura per ipsum adducta recipiant varias limitationes, & restrictiones, quas quidem hic non refero, cum principaliter non coincident cum nostro instituto.

QVÆSTIO CXIX.

Intrusus obligans Ecclesiam pro debitis alienis quam pœnam incurrat.

S V M M A R I V M.

Intrusus obligans Ecclesiam pro debitis alienis remanet ipso facto suspensus ab administratione spiritualium, & temporalium; & obligatio est inualida. n. 1. & seqq.

Ecclesiam qui grauat pro debitis alienis, incurrit ipso facto suspensionem. n. 2. & 3.

Intellige vt n. 5. & seqq.

Obligans Ecclesiam pro debitis alienis remanet suspensus, & contractus est nullus. num. 2. & 3.

Quod extende etiam si pro tali debito Ecclesiam redderet indemnem. n. 4.

Intellige vt n. 5. & sequen.

Episcopus obligans Ecclesiam pro debitis alienis non incidit in pœnam suspensionis. n. 5. & 6.

Quod extende ad Archiepiscopos, Patriarchas, & Cardinales non Episcopos. numer. 7. & sequen.

Suspensionis pœnam non incurrunt Episcopi, nisi expressè in lege, vel Canone decernatur. n. 5. & 6.

Pœna suspensionis in quibus casibus in iure contra Episcopos decernatur, vide remissuè numer. 6.

Episcoporum appellatione, etiam in materia stricta, & pœnali, veniunt Patriarcha, & Archiepiscopi. n. 7.

Patriarcha idè dicitur, quia est Patrum Princeps. n. 7.

Archiepiscopus idè dicitur, quia est Princeps Episcoporum. n. 7.

Metropolitanus dicitur à mensura Ciuitatum. numer. 7.

Dispositio loquens de Episcopis, intelligitur similiter de Patriarchis, & Archiepiscopis, etiam in materia odiosa, & pœnali. num. 8. & 11.

Cardinalis non Episcopus gaudet priuilegiis, quibus Episcopi viuunt. n. 9.

Cardinalis, quoad Dignitatem, est præcellentior Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & idè Cardinales non Episcopi gaudent illorum priuilegiis. n. 10.

Cardinales non incurrunt in pœnam suspensionis, sicut nec Episcopi, nisi expressè in Canone, vel decreto decernatur. n. 11.

Episcopi, Archiepiscopi, Patriarcha, aut Cardinales obligantes Ecclesiam pro debitis alienis, incurrunt in pœnam nullitatis contractus, & restitutionis erga ipsam Ecclesiam de omni damno, quod inde sequatur. n. 12. & 14.

Dispositio, seu lex, aut statutum generaliter loquens, generaliter intelligi debet, vt omnes comprehendat, etiam si in vno casu sit maior ratio, quam in alio. n. 13.

MÆC quæstio partim fuit iam supra extensa quæst. 31. sed cum in calce huius tractatus quæst. 115. actum fuerit de pœnis generaliter à iure comminatis contra omnes intrusos, & in sequentibus quæstionibus hucusque dixerimus de aliquibus pœnis particularibus contra certos intrusos, operæpretium duxi, hic repetere pœnam in iure expressam contra intrusum, obligantem Ecclesiam pro debitis alienis, cum in præsentis proprium locum sibi vendicet.

Pœna igitur contra talem intrusum erit, vt ipso facto remaneat suspensus ab administratione spiritualium, & temporalium, vt expressè deciditur *in cap. si quorundam 2. de solutionibus*, per hæc verba: *Firmiter inhibemus, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis grauare debitis, aut literas alicui, seu sigilla concedere, quibus possent Ecclesia obligari: Decernentes, si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri: si quis autem contra præmissa de cetero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium & temporalium non uerit se suspensum, &c.*

Ex quo patet, quod obligans Ecclesiam pro debitis alienis ipso facto remanet suspensus, & consequenter à fortiori hæc pœna locum habebit in intruso obligante Ecclesiam, vt diximus supra *in d. q. 31. n. 1. & seq.*

Hocque

4 Hocque adeo est verum, vt locum habeat, etiam si talis intrusus pro illo debito vellet reddere indemnem Ecclesiam, nam eo non obstante, non effugiet prædictam pœnam, vt latè notat Glossa *in cap. quod sicut 28. verbo, præterea, vers. contrarium dico, de elect. & in dict. cap. si quorundam, verbo, suspensum, &c.* quamuis Ioan. Andr. *ibidem* doceat, prædictam pœnam in tali casu ipso iure non incurrere sed immo esse arbitriam: at vero opinio Glossæ verior est, & omnino sequenda, cuius fundamenta *ibidem* adducit *in d. verbo, præterea.*

5 Prædicta autem resolutio limitanda venit, vt locum non habeat in Episcopis; isti namque si obligauerint Ecclesiam pro debitis alienis, non incurrunt in pœnam suspensionis, quam quidem non incurrunt, nisi expressè in lege, Canone, seu constitutione contra eos decernatur, vt patet ex *text. in cap. quia periculosum 4. de sententia excommunicationis in 6. vbi Glossa verbo, Constitutionis, & verbo, sententia, & in cap. si compromissarius, §. huiusmodi quoque pœna, de elect. eodem lib. 6.* & docent Sayrus *de cens. lib. 1. cap. 8. num. 25.* Marius Alter. *in eodem tract. tom. 1. disp. 10. lib. 3. cap. 5. vers. sed quari*

6 *potest: Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 32. q. 7.* & alij plures relati per Barb. *in pastor. p. 3. allegat. 111.* vbi specificè ad longum enumerat casus in iure expressos, in quibus pœna suspensionis puniuntur Episcopi cum igitur in proposito non sit expressa, consequenter dicendum est, ipsos non comprehendere.

7 Prædicta autem conclusio extendenda est, vt locum habeat in Patriarchis, & Archiepiscopis, nam appellatione Episcoporum, (etiam in materia stricta, & pœnali) veniunt Patriarcha, & Archiepiscopi, *cap. 1. in fine principij, vers. omnes: 21. distinct. ibi, Omnes autem superius designati Ordines, vno eodem vocabulo Episcopi nominantur, sed idè priuato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum, quam singulariter*

8 *acceperunt, Patriarcha Patrum Princeps, Inde Archiepiscopus Princeps Episcoporum, sicut Metropolitanus à mensura Ciuitatum &c.* Ex quibus colligitur, quod dispositio loquens de Episcopis intelligitur de Patriarchis, & Metropolitanis, vt notant Glossa *in cap. quia periculosum, verbo, de Episcopis, de sententia excomm. in 6.* & Gonzalez *ad regul. 8. Cancellaria, glos. 42. n. 19.*

9 Sed dubitari potest, an Cardinales non Episcopi comprehendantur in dispositione textus *d. cap. quia periculosum*, taliter quod sint etiam exempti à pœna suspensionis, si bona Ecclesiæ Cardinalitatis, seu altioris

pro debitis alienis obligauerint.

Et breuiter dicendum est, nullatenus in illam incidere; Enimuerò cum illorum dignitas sit excellior, & præcellentior Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, vt tradunt Cardinalis Tuschus *tom. 1. litera C. conclu. 100. n. 11.* Moneta *de Conseruatoribus cap. 5. n. 37.* & plures referens Barb. *de vniuersi iure Eccles. lib. 1. cap. 4. n. 24. & 25. con-*

10 *sequenter dicendum est, quod priuilegia concessa Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis extendenda sint ad Cardinales ex sola Dignitate Cardinalatus, etiam si non sint Episcopi, vel Archiepiscopi; & ita in specie docent Machado de Chaves*

11 *in suo libro del perfecto confesor y cura de Almas tom. 2. lib. 4. p. 7. tract. 3. documento 7. n. 5. & alij penes Dianam tom. 5. resol. moral. tract. 2. resol. 48. & plures referens Barbosa*

12 *in d. tract. de vniuerso iur. Eccles. lib. 1. cap. 4. n. 77. & 78. & punctim quod gaudeant priuilegio dicti cap. quia periculosum, de sentent. excomm. in 6. docent cum Hurtado de sacram. tract. de suspens. difficul. 9. num. 23. Corneio*

13 *in 3. p. in eodem tract. disp. 3. dub. 1. q. 2. Azor. tom. 2. instit. moral. p. 2. lib. 4. cap. 3. q. 20. & alijs, Diana in d. tom. 5. tract. 2. resol. 46. & Barb. in d. cap. 4. n. 78. & ita quoad hunc articulum concludendum est, quod Cardinales Episcopi, vel non Episcopi, Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi non incurrunt prædictam pœnam suspensionis.*

14 *Ex ex his subdubitari potest, quod cum tales liberi existant ab incurfione pœne suspensionis, an si bona Ecclesiæ pro debitis alienis obligauerint, incidat in aliquam pœnam? quod quidem dubium apud neminem vidi resolutum, sed meo paruo videri dicendum iudico, non esse immunes ab aliqua pœna, & hæc erit quæ statuitur*

15 *in d. cap. si quorundam, de solutionibus, qui quidem textus duplicem imponit pœnam, Prima est, vt contractus sit inualidus, & inefficax; Secunda, quod incidant in suspensionem; vnde cum hæc non comprehendat Episcopos, nec supra numeratos, cum specialiter & expressè in illa Decretali non sint nominati, vt diximus supra, num. 5. & sequen.*

16 *attamen alteram pœnam effugere non poterunt, nam cum sit dispositio generalis, amplectens omnes: à qua cum in iure non sint specialiter priuilegiati, sicut sunt in suspensione, consequenter dicendum videtur, ad illius pœnam incurrendam subiectos remanere: Nam vt ait Glossa*

17 *in d. cap. quod sicut 28. §. quod autem, verbo, præterea, vers. sed ibi maior præstitit &c. de elect. ipse facere non debet, quod alios facere ipsum prohibere oportuit: & idè propter generalita*

generalitatem dispositionis illius textus, nō debet restringi, sed immo declarari omnes comprehendere, vt docet Cardinalis Tufchus tom. 2. litera D. conclus. 488. num. 3. vbi n. 6. & 8. idem resoluit in statuto, vel lege: quod est verum, etiam si in vno casu sit maior ratio quàm in alio, vt in lin fraudem 15. § finali, vbi Baldus, ff. de testamento militari, l. 1. §. quod autem, vbi Glossa verbo, simpliciter, ff. de aleatoribus, & latè tradit Aimon. Craucta cons. 92. n. 4. & 5. qui licet loquatur in promissione doris, eius resolutio, & fundamenta quæ adducit, adaptari possunt ad alias dispositiones generales legis, vel constitutionis, & ideo dici debet, quod tales incident in illam pœnam, & insuper quod tenebuntur restituere Ecclesiæ quodcumque damnum, quod per talem obligationem fuerit experta, vt diximus supra, q. 115. num. 11.

QVÆSTIO CXX.

Quomodo quis ab intrusione, & illius pœna excusari possit.

S V M M A R I V M.

- Intrusio ex variis causis (saltem quoad pœnam) excusari potest. n. 1.
- Intrusus in beneficio viuentis excusatur à pœna intrusions, si probabiliter sciens mortem illius, per quem beneficium petit, ipsum consequatur, eique fuerit collatum. num. 2. & sequen.
- Emphyteuta non soluens pensionem ob ignorantiam excusatur à pœna. n. 2.
- Ignorans, & dubitans excusatur à fraude. n. 3.
- Ignorans aliquid iuste, si contra faciat, non dicitur contrauenire. num. 3.
- Scientia in delictis non presumitur, in tantum quod Fiscus illam allegans teneatur probare, cum pro ignorantia adsit presumptio. num. 4.
- Ignorantia in delictis potius presumitur, quam scientia.
- Obtinens beneficium illius, qui à Superiore iniuste fuit priuatus, non incidit in pœnam intrusi, si illud accepit ignorans iniustitiam. n. 5. & sequen.
- Secus si illam sciat. n. 7. & sequen.
- Superioris auctoritas excusat à pœna. n. 6.
- Adulterium non committitur sine dolo. n. 9.
- Ignorans committens adulterium non incidit in illius pœnam. n. 9.
- Iustus Iudicis, licet minus iustus, excusatur à pœ-

na, & facit licitum quod alias non liceret. num. 10.

Emphyteuta si non soluat canonem ex iussu Iudicis, non incidit in pœnam caducitatis. num. 10.

Iudicem iuste procedere presumendum est. n. 11.

Intrusus acceptans beneficium illius, qui à Superiore iniuste fuit priuatus, si ignorans iniustitiam illud accepit, non incidit in pœnas intrusi, secus si id scienter effecerit, num. 12.

Ignorans committens delictum intrusions, non incidit in culpam, & ideo non incurret pœnas contra intrusos comminatas. n. 13.

Intrusus in beneficio & dispensatus in intrusione, non incidit in eius pœnas, si nouam collationem non consequatur, credens primam sufficere. n. 14.

Collatio noua beneficij est necessaria, vt intrusus dispensatus in intrusione securus existat, plures Doctores voluerunt, licet contraria opinio sit verior, non tamen incidit in pœnam intrusi, etiam si nouam collationem non consequatur. n. 14.

Sententia prolata ex duabus causis, vna vera, & altera falsa, seu erronea, sustinetur, & est valida ex causa vera. n. 15.

Intrusus excusabitur à pœna intrusions si hac procederet ex causa, qua non faciliter (etiam à peritis) cognosci posset. n. 16.

Ignorantia Constitutionis, vel alicuius legis extranagantis, vel iniustitiae, excusat à pœna in utroque foro. n. 17.

Intrusus in beneficio non incidit in pœnam restitutionis fructuum perceptorum, si iusto errore illam commisit, & ex eo fructus percepit. num. 18.

Intrusus qui per vim, vel metum, intrusionem perpetravit, non incidit in pœnas contra intrusos à iure statutas. n. 19.

Pœnam ordinariam non meretur, qui per vim, vel metum, & coactè delictum commisit. num. 19.

Delictum qui committit coactè non debet puniri pœna ordinaria, quia caret dolo, cum illud admittat contra animum suum, & citra voluntatem delinquendi. n. 20.

Intrusus occultus, & toleratus, saltem per decennium, non debet condemnari pœna intrusions. n. 21.

Intellege vt n. 23. & sequen.

Delicta, tam publica, quam priuata, prescribuntur spatio viginti annorum. n. 22.

Quod limita in foro penitentiæ. n. 23.

Delicta impediencia ordinis exercitium, vel beneficij retentionem, non possunt prescribi, etiam post peractam penitentiam, ad effectum ne delinquentes pro illis puniri non debeant. n. 23. & 24.

Prescriptio

Prescriptio in delictis grauibus non admittitur, & consequenter, nec in intrusione, quamuis aliquo modo pœna temperari possit. num. 25.

Pœna intrusi ex eisdem causis excusari potest, ex quibus in delictis grauibus temperatur. num. 26.

Intrusio potest esse delictum maius, vel leuius, iuxta qualitatem circumstantiarum, & rei, in qua quis se intrusit. n. 27.

Delicti pœna commensurari debet iuxta illius qualitatem. num. 28.

Pœnis diuersis puniri debet qui in vno actu plura delicta perpetravit. n. 29. & 30.

Pœna augeri, vel diminui debet iuxta qualitatem delicti. n. 31.



Ex variis, & diuersis causis intrusio excusari possit (saltem quoad pœnam) libuit pro corronide huius Tractatus eas specificè in hac penultima quæstione enumerare, vnde notum erit, quod per tales excusationes intrusi liberari poterunt à pœnis contentis supra, in q. 115. & in sequentibus, vsque huc.

- 1 Primo igitur excusatur intrusus in beneficio viuentis, si probabiliter impetravit beneficium tanquam vacans per mortem illius, quem iuste ignorabat mortuum esse, ipsique fuit collatum, vt docent Glossa, & ferè omnes DD. ad regulam Cancellariæ sub titulo, de reprobata beneficij viuētis impetratione, Oldradus cons. 304 incipien. Infrascriptæ allegationes: n. 7. latè Iason cons. 64. incip. In causa &c. colum. 5. vol. 3. quos sequitur Felinus in cap. in nostra 32. n. 12. in fine vers. ad excusandas: de rescriptis, & post eos Rebuff. in praxi, 2. p. super d. regul. Cancellariæ, vers. tertio non habet locum: & fumi potest argumentum ex emphyteuta, qui si per ignorantiam non soluerit pensionem, non incidit in pœnam caducitatis, sed excusandus est, vt plures referens tradit Barbosa in collect. ad textum in cap. potuit, finali, de locat. & conduct. n. 102.
- 2 Et ratio est, quia ignorans, & dubitans, excusatur à fraude, cum non dicatur, ipsum contrauenire, vt docet Gratianus tom. 4. discept. forens. cap. 631. n. 20. & tom. 5. cap. 944. n. 38.
- 3 Enimuerò in delictis in dubio ignorantia presumitur, taliter quod Fiscus teneatur probare scientiam illorum adesse in delinquente, ad hoc vt pœna imponatur, sicuti plures referens tradit Sebastianus Guazinus in tract. de defensione Reorum, tom. 2. defensione 33. n. 2. vers. ac etiam deducat &c. & in presenti sufficiet iusta credulitas mor-

Tract. de Intrusione.

tis, veluti si fama publica adesset, quod illi per cuius obitum beneficium petitur, erat mortuus, quia tunc obtinens excusatur à pœna intrusions, vt ex Decio cons. 398. incip. In causa &c. & Selua, Siluestro, verbo, beneficium, in tertio, q. 18. n. 19. vers. decimo octauo vtrum occupans beneficium &c. resoluunt Rebuff. vbi proximo, n. 52. argum. text. in l. cum quidam. §. quod dicitur, & l. si quis mihi bona, §. sed vtrum, ff. de acquirenda hereditate, cum aliis iuribus per eum allegatis, vbi latè profequitur hunc articulum.

Secundo excusatur obtinens beneficium illius, qui iniuste fuit à Superiore priuatus, si ignorans iniustitiam, illud accepit; vt notabiliter deciditur in cap. ad petitionem 22. de accusationibus, vbi communiter Doctores, & præcipuè Abbas n. 6. in ultimo notab. per hæc verba, Vltimò collige, & tementi, quod substitutus alterius minus legitime destituti, non dicitur succedere in locum viuentis quoad pœnam; licet enim errauerit in iure, excusatur tamè propter Superiorum auctoritatem, vel fortè errauit in facto, credendo, quod omnia solemniter in destitutione fuissent agitata, & ideo non venit puniendus: secus autem videretur si sciens successisset in locum minus legitime destituti, quia tunc non posset iterum reassumi ad eandem Prælaturam, vt in cap. 1. de concessione præbendæ: & hæc nota, quia sæpè accidunt in practica &c. vsque huc Abbas.

Cuius sententia roboratur etiam ex auctoritate textus in cap. presentium 3. §. illud, 7. q. 1. vbi Archid. num. 2. in expositione verficuli, volumus ordinare, &c. ita ait: Volumus, hoc intellige, si nesciuit eum spoliatum, vel putauit eum iuste spoliatum; aliàs autem perpetuò debet remoueri ab officio, 2. q. 1. in primis, §. gloriosus vero Comitius, vers. de persona: & 3. q. 2. audiuimus: idemque docet Præpositus ibidem, & in d. cap. in primis, vers. de persona, n. 9. in fine, optime Ancharanus in d. cap. ad petitionem, n. 3. in 5. 9. notabili, de accusationibus, quod probat ex l. si ex lege 43. ff. ad l. Iuliam de adulteriis; in qua deciditur, quod ducens vxorem minus legitime repudiatam, excusatur à pœna adulterij, si ignorans id effecerit, cum illud non committatur sine dolo: optime Felinus in d. cap. in nostra, corollario 1. n. 12. in d. vers. ad excusandas intrusiones: de rescriptis, per hæc verba: Idem de eo qui acceptat beneficium, quo alius fuisset iniuste à Superiore priuatus, nesciens de iniustitia: cap. ad petitionem, de accusationibus, & ibi notant Doctores: secus dicentes si sci- ret, vel esset notorium de iniustitia, &c.

Et

- 10 Et ratio est, quia iussio Iudicis, licet minus iusta, excusat à pœna, *l. furti 6. §. qui iussu*, cum aliis *ff. de his qui notantur infamia*, ex quod *ibidem* aduertit Glossa, *verbo, qui iussu Prætoris, in fine*, quod iussus Iudicis facit licitum, quod alias non liceret: *l. quantum, in principio*, cum cæteris iuribus *ibidem* allegatis, *ff. de aqua pluvia arcenda*, quam rationem assignat Ancharanus, *vbi proximè*, & copiosè Iulius Clarus *in praxi lib. 5. §. finali, q. 60. n. 14.* & in additionis *Geneue de anno 1636. sumptibus Petri Chouët litera I. num. 49. pag. 326.* Plura circa hunc articulum videre poteris: & ad intentum ponderari potest quod emphyteota non soluens canonem prætextu mandati Iudicis, non incidit in pœnam caducitatis, sed ab ea liber existit propter Iudicis mandatum, vt cum *Afflicto decis. 328. Mastrillo Siciliae decis. 193. n. 29. Corbul. de caus. priuat. ob non solum canon. limit. 14. n. 1. Aloysio Riccio in collect. decis. p. 5. collect. 1704. Anton. Monaco Florent. decis. 59. num. 9. docet Barbof. in collect. ad text. in d. cap. potuit, de locat. n. 127.*
- 11 Vnde cum pro Iudice semper præsumendum sit, quod iuste processerit, *l. 1. in fine. ff. de officio Præsidis, l. 2. §. si publicanus, ff. de vi bonorum raptorum, cap. in presentia, de renuntiatione, vbi Barbof. in eius collect. n. 2.*
- 12 & 3, plures allegati sequitur exinde, quod talis intrusus acceptans beneficium illius, qui iniuste fuit à Superiore priuatus, si ignorans iniustitiam illud acceptauit, non incidit in pœnas intrusi, nam illas non meretur, si iuste aut cum legitima ignorantia actum effecit: argum. textus in *l. Gracchus, Cod. ad l. Iuliam de adulteriis, & in §. iniuria, Institut. ad leg. Aquiliam.* Quod est verum in delictis, vt cum pluribus aduertit nouissimè Franciscus Niger Cyriacus *tom. 1. controuersiarum forens. controuers. 131. n. 26. & tom. 2. controuersia 222. n. 32. & 33.*
- 13 ignorans enim, culpam committere non dicitur, vt docent *Cephalus conf. 24. n. 15. Menoch. de arbitrariis, casu 185. n. 4. Riminaldus iunior conf. 470. n. 24. quos refert & sequitur idem Cyriacus vbi proximè, in d. tom. 2. controuers. 289. n. 25. & tom. 3. controuers. 519. n. 4. & 6.* & ideo liber remanebit ab incurfione pœnæ intrusionis.
- 14 Tertio excusatur à pœna si intrusus fuerit dispensatus in intrusione beneficij, & credat suam primam illius collationem esse legitimam, & cum ea remaneat in beneficio: enim verò licet sola dispensatio non sufficiat, vt sine noua collatione in beneficio remanere possit, vt plures voluerunt, quamuis contraria opinio sit verior, &

tenenda, vt latè diximus *supra, q. 94.* attamen ad effectum ne in pœnam intrusionis incidat, sufficit illa credulitas quam habet, videlicet collationem illam primam valere, & quod non indigeat noua collatione, argumento text. in *cap. ex parte 10. de confessione præben.*

Et ad intentum pro argumento ponderari potest, quod notat *Tiraquellus in tract. cessante causa, limit. 2. n. 6.* videlicet quod si in sententia duæ exprimantur causæ, quarum vna est vera, altera autem falsa, vel erronea, erit sententia valida ex causa quæ vera extitit per text. in *l. Titianus, ff. quod cum eo, & c. & ibidem* more solito plures cumulat, & consequenter Iudex non incidet in aliquam pœnam; sic similiter in præfenti, cum talis intrusus habeat iustam causam credendi se non indigere noua collatione, cum iam fuerit dispensatus, & pro se habeat aliquos Doctores qui idem comprobant, sequitur exinde, quod etiam dato quod noua collatio esset necessaria, habuit iustam causam suæ credulitatis, & consequenter talis error non debet esse punibilis, per ea quæ diximus supra, in præcedenti excusatione, *n. 5. & seq.* Et faciunt tradita per *Farinac. in praxi criminali, p. 3. lib. 3. q. 9. n. 1. & sequen. Iulius Clar. in praxi lib. 5. §. finali, q. 60. num. 22.* vbi *Annotatio litera R. n. 83. & seq.* plura allegat copiosè ad intentum conducentia.

Quarto excusatur à pœna, si talis intrusus committeret intrusionem, & hæc procederet ex causa, quæ non facilliter cognosci possit, etiam à peritis, vel expertis; tunc enim pœnam non incurret: quod suaderi potest ex his, quæ disputat *Antonius Ricciulus lib. 1. de iure personarum extra Ecclesie gremium existen. cap. 13. n. 44.* vbi quærit, quando excuset ignorantia alicuius constitutionis, vel legis, aut decreti, seu alterius dispositionis, etiam Conciliaris; & *num. 46.* concludit, quod in vtroque foro liberat à pœna, si sint leges, seu constitutiones extrauagantes, & non passim notæ, taliter quod si quis contrauenerit, arbitratus se in lege, constitutione, vel decreto, non comprehendendi, non incidet in aliquam pœnam in foro interiori, vel exteriori; de quo, & de intelligentia huius propositionis videndus est *Iulius Clarus vbi supra, in d. lib. 5. §. finali, q. 60. n. 13.* & in additionis *litera V. n. 44.* plura ad intentum reperies: Ergo similiter in præfenti dicere debemus, quod intrusus liberabitur à pœna, quando difficilè cognoscere poterat, an intrusio adesset, vel non, præcipuè si non esset peritus, aut minus expertus foret.

Quinto

- 18 Quinto excusatur à pœna restitutionis fructuum, si ductus fuit iusto errore ad illos percipiendos, & ad perpetrandam intrusionem, vt docet *Abbas in cap. ex frequentibus, num. 11. de institutionibus, & in cap. dilecto, n. 11. de præbendis*: hoc tamen intelligere debes iuxta ea quæ diximus supra, *q. 59. à n. 19. cum sequen.*
- 19 Sexto quando per iustum metum, & coactè quis intrusionem fuit exequutus; quia tunc pœna intrusi non debet ei irrogari, nam in delictis, coactio, vel metus, aut violentia excusat à pœna, saltem ordinaria, vt latissimè tradunt *Menoch. de arbitrariis, centur. 4. casu 354. n. 8. & sequen.* latè *Tiraquel. de pœnis temperandis causa 36.* *Iulius Clarus in d. §. finali, q. 60. n. 17. vers. quæro modo nunquid metus*: & latè *Additio litera I. num. 57.*
- 20 Et ratio est, nam coactè committens delictum, id efficit contra animum suum, & citra voluntatem delinquendi, *l. immo. ff. de liberali causa*, cum aliis: ergo caret dolo, quo deficiente, cessat delictum; vt optimè aduertit *Menoch. vbi proximè in d. casu 354. n. 10.* ergo si talis intrusus per vim, & coactè intrusionem perpetrauerit, dolo carebit, & consequenter liberabitur ab illius pœna.
- 21 Septimò, quando intrusio fuit occulta, saltem per decennium, & per id tempus talis intrusus fuit toleratus, tunc namque pœna intrusi condemnari non debet, per ea quæ notat *Farinac. in praxi criminali, tom. 1. q. 10. à num. 1. cum pluribus sequen.* & nouissimè latè *Sebastian. Guazzinus de defensione Reorum defens. 2. cap. 3. n. 1. cum sequen.* vbi multa ad intentum congerit, apud quem videre poteris.
- 22 Sed hæc declaratio dubia mihi redditur, licet enim regula sit communiter à Doctoribus admissa, quod delicta, tam publica, quam priuata præscribi valeant spatio 20. annorum, vt plures referentes tradunt *Farinac. in d. q. 10. n. 1. & Guazzinus in d. defens. 2. cap. 2. n. 1. & sequen.* attamen postquam ipse *num. 75.* limitauit vt non procedat in foro pœnitentiæ, *num. 76.* ita concludit: In foro autem fori, in criminibus impediens exequutionem ordinis, vel beneficij retentionem, etiam post peractam pœnitentiæ, de quibus *in cap. inquisitionis, de accusationibus*, talium enim accusatio non clauditur præscriptione legali, *Abbas, & Felin. in cap. licet causam, de probationibus*, & latius *Aufserius ad decis. Tholosanam 189. n. 19. vers. idem præter, & c.*
- 24 Quæ quidem verba transcripsit *Guazzinus ex Tiberio Deciano tom. 1. tract. cri- Traçt. de Intrusione.*

minal. lib. 3. cap. 37. n. 19. vbi *in fine* ita ait, Et ex dictis, *Romanus in d. singulari 185.* videtur innuere, quod etiam si Ecclesia vellet accusare, vel inquirere, non repellitur tempore, & c. quod etiã in specie admittit *Farin.* alios referens *in d. q. 10. n. 32.* Ex quorum doctrina patet, quod delictum impediens beneficij retentionem, non potest præscribi, nec tempus decennij, aut longius liberabit intrusum à pœna.

Tum & etiam, nam negari non potest, quod præscriptio in delictis grauibus non admittitur, vt docent *Decianus vbi supra, Farin. in d. q. 10. n. 29. & 90. Guazzinus in d. cap. 2. à n. 74. cum seq.* vnde cum intrusio sit ex illis (vt multoties, diuturnitatem temporis non proficere ad consequendam præscriptionem, vt intrusus puniri non debeat propter intrusionem perpetratam, provt latè probauimus supra, *q. 105. n. 5. & sequen.* præcipuè *n. 14.* & exinde liberationem pœnæ habere non poterit; fateor tamen fas esse Iudici, aliquo modo illam temperare, vt patet ex his quæ profitentur prædicti Doctores proximè allegati, & ex his quæ diximus supra, *in d. q. 105. n. 21. & 22.* & ex latè traditis à *Iulio Claro in d. §. final. q. 60. n. 23.* vbi *Additio litera X. n. 106. cum pluribus sequen.* & *Farin. in d. q. 10. n. 84.* qui copiosè agunt de hoc articulo.

Sed quia longum esset hic omnes excusationes in specie annectere, norandum est cum *Felino in d. cap. in nostra, corollario 1. n. 12. in fine*, vbi docet, quod pœna intrusi multis modis excusari potest, per hæc verba; Multi alij modi licitæ excusationis adduci possent, sicut & alia delicta ex probabilibus causis frequenter in iure excusantur, vt soleo recitare *in cap. venerabilis, de consuetudine*, propter Glossam auream *ibi, in verbo, migrasse, & c.* Hæc *Felinus.* Cuius doctrina intelligenda est de excusationibus legitimis, quæ admittuntur pro delictis grauibus, non vero pro leuibus. Enimverò delictum intrusionis æqua lance commensurari non valet; illa namque potest esse maior, vel minor, iuxta qualitatem circumstantiarum, & rei in qua quis se intrusit, & ideo pœna commensuranda venit ad metas delicti, *cap. Felicis, §. illud autem, de pœnis in 6. & tradunt Craueta conf. 45. n. 15. Scaccia de iudiciis, lib. 1. c. 58. n. 12.* & alij penes *Guazzinum vbi supra, defens. 33. n. 3.* & *Card. Tuschum tom. 6. litera P. conclus. 212.* vbi plura congerit ad intentum supradictarum excusationum.

Vnde cum accidere possit, quod quis committat plura delicta, in aliqua execra-

bili intrusione, propter ipsius malitiam & nequitiam, aut enormitatem pro omnibus fuerit puniri debet, iuxta textum in *l. qui de crimine* 9. vbi Glossa, verbo, plurima, & in *l. si quis homicidij*. 11. & ibi Glossa verbo, non putauerit, vers. vel dic secundo, Cod. de accusationibus, vt in casu enormissimo, de quo consuluit Oldradus *cons.* 65. n. 4. vbi resolu-
 30^o it, quod ille intrusus de quo fuit interrogatus, commisit plura delicta, & quod condemnari debuit pœnis correspondentibus singulis illorum: & consequenter iudicium fixum efformari non potest, vt regulariter dici queat, tales, vel tales pœnas indistinctè, & æqualiter vniformiter comprehendere omnes intrusos: nam cum supra, *quest.* 115. dixerimus de pœnis generaliter comminatis aduersus intrusos, & in antecedentibus quæstionibus etiam enumerauerimus alias pœnas contra certos particulares intrusos, illæ semper intelligendæ sunt, vt debeant mensurari iuxta malitiam, & dolum committentis intrusionem, & secundum ipsius qualitatem & circumstantias, ex quibus delictum augeri, vel diminui debet: Ex quibus deducitur, quod excusatio operabitur eisdem effectus ad finem admittendi illam, in qua Iudex procedere debet arbitrando cum augmento, vel diminutione, prout minor, vel maior dulus, vel leuior culpa exoptulauerit.

QVÆSTIO CXXI.

Intrusio an admittat moræ purgationem, ad effectum euitandi pœnas contra intrusos comminatas.

S V M M A R I V M.

- Intrusio admittit moræ purgationem, ad effectum effugiendi pœnas contra intrusos comminatas. num. 1.*
Intellige vt num. 3.
Intrusionis delictum purgatur per renunciationem, vel dispensationem obtentam à Superiore. num. 2.
Moræ purgationem admittit intrusionis delictum ad effectum effugiendi pœnas. num. 2. & 16.
Intellige vt num. 3.
Moram si purgauerit intrusus, liberabitur à pœna, si illam purgauerit ante accusationem. num. 3.
Intellige vt num. 9.
Delictum purgari potest ante accusationem,

sed non post eam. num. 3.

Moræ purgatio non admittitur post introductam accusationem, nec si ius alterius inde factum fuerit deterius. n. 4.

Intrusio efficit, vt ius alterius fiat deterius, & ideo post introductam accusationem, non potest moræ purgari. n. 5. & 9.

Purgatio moræ non admittitur, etiam de iure Canonico, quoties ius alterius factum est deterius. num. 6.

Moræ intrusionis non purgatur, post rem in iudicium deductam, & post captam possessionem beneficij, vel post factam executionem, siue ab homine, siue à lege. n. 7. & 8.

Moræ purgari potest, etiam post interpellationem, sed non post litis contestationem. numer. 8.

Intrusus potest moram intrusionis purgare etiam post litis contestationem, si ex eo aliquod præiudicium Tertio non resultet, nec ipsius partes facta fuerint deteriores. n. 9. & 10.

Moræ purgatio fundatur in aequitate. n. 10.

Pœna delicti euitatur, si celeri satisfactione purgetur. n. 11.

Emphyteuta si post moram commissam celeriter soluat canonem, effugiet pœnam caducitatis de iure canonico. n. 11.

Moræ tunc dicitur celeriter purgata ad effectum euitandi pœnam, quando facta fuerit purgatio ante litis contestationem. n. 12.

Moræ purgatio intra quod tempus fieri possit vt celeriter facta dicatur. n. 13.

Moræ purgari potest intra tempus, iudici arbitrarium, pensatis circumstantiis rei, & personarum. n. 14.

Intrusionis vitium purgari potest, quod remittitur ad arbitrium iudicis, an ex tali purgatione liberatus existat ab incurssione pœna. numer. 15.

Moræ excusatur ex qualibet iusta causa. n. 15.

Intrusio purgari potest, & post legitime purgatam moram intrusionis, non dicitur amplius intrusus. n. 16.

Notitiam omnium habere, diuinitatis potius quàm humanitatis est. n. 17.

Peccatum in aliquo non committere, potius reputatur diuinum, quàm humanum. n. 18.

Ro coronide huius tractatus inquirendum duximus, an intrusionis delictum admittat moræ purgationem, ad effectum effugiendi pœnas, de quibus supra, q. 115. cum sequen. ita vt post moram purgatam, intrusus liberetur ab illis: cum igitur pateat ex his quæ diximus supra, q. 91. quod intrusio purgari potest, vel per liberam renunciationem, vel per dispensationem obtentam

tentam à Superiore: & similiter sit certum, intrusionem admittere moræ purgationem, vt aduertit Rebuf. in *praxi*, p. 2. super *regul. de subrogan. colligant.* *gl.* 4. num. 3. Lancellot. de *attentat.* p. 3. cap. 29. in *prima inspectione*, ad *finem*, n. 23. in *additionibus* consequenter quoties intrusus purgauerit vitium intrusionis, vno ex modis proximè dictis, liberabitur à pœna, quæ ei imponi poterat, cum liber remaneat à vitio ex quo puniri debeat.

3^o Quod quidem videtur locum habere si moram purgauerit ante accusationem, nam post eam, delictum iam propter vtilitatem, & vindictam publicam, puniendum est: *l. ita vulneratus*, §. *quod si quis, vers. cum neque impunita*, ff. ad *leg. Aquilianam*, l. *congruit* 13. ff. de *officio Præsidis*, cap. vt *fame* 35. §. 1. de *sententia excomm.* cum aliis, & docent Azuedo *tom.* 1. super *librum* 3. *mona recopilationis*, tit. 9. de *los Alcaldes ordinarios*, ad l. 14. n. 1. Paris. de *resignat.* *tom.* 2. lib. 14. q. 1. n. 17. Card. Tuschus *tom.* 2. *litera D. cõclus.* 157. & cõmuniter Doctores, & conducunt ad intentum quæ dixi in *meo foro conscientia*, siue *pastorali interno* p. 1. r. 1. q. 2. n. 23. & 24.

4^o Et consequenter post introductam iudicialiter accusationem non effugiet intrusus pœnam, quæ pro delicto imponi debet, maxime quia moræ purgatio non admittitur, quando ius alterius fuerit factum deterius, l. *si post tres* 8. & ibi Bartol. ff. *si quis cautionibus*, *Monter. decis.* 20. num. 30. quos refert & sequitur Franciscus Niger Cyriacus *tom.* 1. *controuers. forens. controuers.* 103. n. 47. Card. Seraph. *decis.* 1150. num. 4. vnde cum ius illius qui legitimum titulum habebat in re, in qua alius se intrusit, per eius intrusionem factum fuerit aliquo modo deterius, sequitur exinde, quod purgatio moræ post introductam causam, non liberabit ipsum à pœna.

6^o Quod quidem verum est, etiam de iure Canonico, nam quoties ius actoris factum fuerit deterius, illa moræ purgatio de vtroque iure non admittitur, vt docet Gratianus *tom.* 4. *discept. forens. cap.* 72. n. 14. & 16. & ita dicendum est, quod illa moræ purgatio facta per intrusum tunc operabitur ad effectum liberandi ipsum à pœnis, si facta fuerit antequam res in iudicium deducatur, vt accuratè aduertit idem Gratianus *vbi proximè*, *tom.* 5. *cap.* 9. 21. n. 23. per hæc verba. Nec sufficit quod hodie per aduersarium prætendatur purgatio moræ per solutionem pensionum decursarum, quia post rem in iudicium deductam, & post captam possessionem beneficij, vigore regressus, de quo agitur, & post factam exe-

Tract. de Intrusione.

questionem non purgatur ampliùs moræ, Bartol. in *l. si insulam* n. 19 & ibi Alex. n. 32. Crot. n. 61. Ripa, n. 38. ff. de *verbor. obligat.* Caputaquen. *decis.* 232. n. 1. Card. Seraph. *decis.* 1150. num. 3. quod procedit siue executio fiat à lege, vel ab homine. Hæc Gratianus.

Cui consonat Tondutus Sanlegerius in *8 suis quæst. & resolut. canon. & ciuilibus*, lib. 2. cap. 14. n. 10. vbi ita ait: Et quamuis licitum sit moram purgare post interpellationem, tamen hoc verum est, si mora purgetur ante litis contestationem, seu quàm litis contestationem, &c.

Histamen non obstantibus dicendum iudico, quod si talis intrusus purgando moram non intulit Tertio aliquod præiudicium, nec ipsius partes factæ fuerunt deteriores, tunc efficiet moræ purgatio, vt pœnas euitet: per text. in *l. si quis maior* 41. Cod. de *transact.* & ita docet Niger Cyriacus *vbi supra*, in *d. tom.* 1. *controuers. forens. controuers.* 129. num. 27.

Vnde cum moræ purgatio sit fundata in æquitate, l. *si seruum*, §. *sequitur*, ff. de *verbor. obligat.* Roland. *cons.* 35. n. 2. lib. 2. quem refert & sequitur Gratianus *vbi supra*, *tom.* 4. cap. 65. n. 25. & cap. 708. n. 56. & 57. sequitur exinde, quod æquitas suadet, vt admitti debeat moræ purgatio, quoties Tertio aliquod damnum inde non resultat, dummodò fiat modis supra relatis in *d. q.* 91. aut si celeri satisfactione talis moræ purgatio fuerit execututa, quia ex ea celeritate pœna euitatur: argumento sumpto de emphyteuta, qui si celeriter canonem soluat post moram commissam de iure Canonico pœnam caducitatis effugiet, iuxta textum in *cap. potuit*, §. *emphyteuta*, vbi Glossa verbo, *Celeri*, de *locato*, & latè docent Niger Cyriacus *vbi supra*, in *d. tom.* 1. *controuers. forens. controuers.* 158. n. 4. & 5. cum sequen. Noster Aragonensis doctissimus Sesse *tom.* 2. *decis.* 205. *ferè per totam*, præcipuè n. 16. Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 7. q. 7. Iosephus Ludouicus *decis.* *Perusina* 90. n. 6. cum sequen. & alij plures penes Barb. in *collect. ad text.* in *d. cap. potuit*, n. 132. vbi num. 133. quærit, quando ad eum effectum celeriter satisfieri dicatur, & communiter cum pluribus concludit, quod ante litis contestationem; quod intelligendum est de vera litis contestatione, non verò de ea, quam facit Iudex in libelli oblatione, pro vt ipse Barb. tradit ex Gamma *decis.* 149. n. 3. quamuis plures Doctores, quos refert & sequitur Azor. *vbi proximè*, in *d. q.* 7. voluerint, quod arbitrio Iudicis relinquendum sit.

Sed circa hunc articulum, restringendo
 Clc 3 illum

illum ad terminos purgationis moræ. quando dicatur fieri celeriter, variant Doctores Prima enim opinio tenuit, quod fieri potest intra quadrimestre: Secunda restringit ad duos menses: Tertia, ad decem dies: Quarta ad triduum tantum: Quinta, quod fieri potest semper antequam lis contestetur: Sexta, quod admittatur vsque ad sententiam, exclusiue: ut lato calamo, & copiose refert & disputat Menoch. *de arbitrariis iudicium, lib. 2. centur. 1. casu 7. à num. 4. usque ad 12.*

- 14 Ego vero in hac varietate sequor opinionem ipsius Menochij *ubi proxime*, qui n. 13. & 14. resoluit, posse moram purgari intra tempus iudici arbitrarium, pensatis circumstantiis rei, & personarum, ac qualitatis maliciæ, vel innocentiae: pro qua opinione præter Glossam *in d. cap. potuit, verbo, celeri*, allegat ipse Menoch. decem Doctores eam tenentes; & præter eos in specie cum pluribus docent Gratianus *tom. 4. discept. forens. cap. 708. num. 54. & sequen. Farin. tom. 3. de penis temperandis, q. 90. n. 47.*
- 15 Et ita ad nostrum intentum propositæ quæstionis concludendum est, fas esse intruso moram purgare iuxta modos supra relatos, q. 91. hocque quoad incursum pœnæ remitti posse ad arbitrium Iudicis, præcipue cum apud omnes sit in confesso, iustam causam à mora excusare, ut cum Cagnolo *in l. quod te 5. n. 42. ff. si certum petatur*, Mascardo *de probat. conclus. 1393. n. 32.* tradunt Niger Cyriacus *ubi supra, tom. 3. controuersia 540. n. 52.* & lato Farin. *ubi proxime, q. 90. à n. 44. cum sequen.* Et exinde cum intrusio possit purgari taliter, quod post purgatam moram dici non possit amplius intrusus, ut docet Rebuf. *in praxi p. 2. ad regul. Cancell. de subrog. collitig. glos. 4. n. 3.* consequenter dicendum est, purgationem moræ admittendam fore ad effectum effugiendi ipsam intrusionem, & euitandi pœnas, quæ propter illam imponi poterant: iuxta ea quæ diximus supra; ex quibus ita concludendum videtur.
- 17 Atque ut noster hic qualiscunque *de Intrusione* tractatus, ut minus elegans forma, certè ut non infructuosus doctrinæ, pulchra

faltem & lectori grata coronide finiatur, nihil grandius ad felix fastumque auspiciam mihi optandum superest, quam ut cedat vti nam pro voto meo in Authoris omnium Supremæ Triadis Dei Opt. Max. laudem & gloriam: qua prætermissa, aiebat Boërius, sicut nullum rite fundatur exordium, ita nullum digna definitione abfoluitur argumentum.

Cedat etiam in honorem Augustissimæ Virginis Mariæ Columnaræ, sine originalis peccati labe conceptæ, Beatorum Petri Raymundi, huius nostræ Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Barbastrenf. Clarissimi Tutularis, Valerij, Didaci, Antonij, Philippi Nerij, Ignatij de Loyola, quos in charissimos mihi, multisque nominibus venerandos Patronos elegi; quorumque opem sæpe, & sæpius, præsentissimam expertus sum.

Omnia deinde, quæ tam in his lucubrationibus, quam in aliis voluminibus meis, non eo quo ipse volui, certè quò potui, studio elaborata, ac typis excusa sunt, correctioni, ac censuræ Sanctæ Sedis Apostolicæ, ut par est, libens, lubensque subiicio.

Monitos tamen velim beneuolos Lectores meos, iisdem verbis, quibus suos Parisius Cardinalis *cons. 68. n. 427. volum. 4. admonet, me uti velle.*

Vos Lectores attendite meam imbecillitatem, pro qua adest tutela Imperatoris Iustiniani *in l. tanta 2. §. tanta autem à Nobis, Cod. de veteri iure enucleando*, per hæc verba: *Si quod autem in tanta legum compositione, quæ ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan raro inueniatur; nemo hoc vituperandum existimet: sed primum quidem imbecillitati humanæ (quæ naturaliter inest) hoc adscribat, quia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quam mortalitatis est: Hæc prudentissimus Imperator; cuius ego modestiæ, aut imitator, aut æmulus, si quid peccatum est, veniam peto, eiusdemque obtinendæ spe fretus, Volumen aliud *de officio Cancellarij Competentiarum Regni Aragonum*, peculiari studio, & industria excultum, Deo fauente, & comite vita, oppidò proferam in publicam lucem & vtilitatem. Valete in Domino.*

F I N I S.

I N D E X



I N D E X

R E R V M N O T A B I L I V M

Quæ in hoc Tractatu continentur.

P R I O R N V M E R V S P A G I N A M N O T A T,
Posterior est marginalis.

A

A B E A T I S S A, vel Priorissa Monasterij, vel Moniales si sint intrusæ, taliter quod nulla tergiuersatione id celari possit, tunc poterunt Visitatores Monasteriorum priuare, & remouere illas; sequitur autem si intrusio non sit notoria, sed requirat Iudicalem indaginem. pag. 290. n. 4.

A B S O L V T I O referuata remanet Pontifici, ut Simoniacus retinere possit beneficium, per simoniam quæsitum, & fructus ex eo perceptos. pag. 29. n. 7.

A B S O L V T I O sacramentalis data per intrusum, an sit valida. p. 29. n. 1. & 4. cum seq.

Intellige pro vt ibidem n. 7. & seq.

A B S O L V T I O sacramentalis data per intrusum, qui legitimus Parochus reputabatur, cum vere non esset, valida iudicatur, ex errore communi. p. 120. n. 5.

Declara vt ibidem n. 21.

A B S O L V T I O sacramentalis data à non Parocho an valeat, aut sententia à non Iudice. ibid. n. 3. & 5.

Intellige vt ibid. p. 123. n. 21.

A B S O L V T I O sacramentalis, & administratio Sacramentorum, facta per Intrusum toleratum ex errore communi, operatur suum effectum, quia Ecclesia propter bonam fidem supplet illos defectus. p. 121. n. 11.

A B S O L V E N D U S est possessor ab instantia, si constat de non iure agentis. p. 181. n. 12. & 19.

A B S O L V E R E nocentem possessorem tutius est, quam nocentem non possessorem, si de eius iure non constat. p. 192. n. 4. & 5.

A B S O L V T I O sacramentaliter per intrusum in parochiali, an sit verè absolutus, & an de nouo debeat accedere ad habentem potestatem, eique sua peccata confiteri, p. 120. n. 4. & seq.

Intellige vt ibid. p. 121. n. 12. & seq.

A C C E P T A N S, & apprehendens secundum beneficium, si non potest illius fructus percipere,

non dicatur intrusus in primo, si illud retineat. p. 21. n. 24.

A C C E P T A N S, & retinens beneficium curatum, probabiliter ignorans se habere aliud incompatible, quia fuerat collatum suo Procuratori, ipso absente, non erit intrusus in primo, ibid. n. 18.

A C C E P T A T I O vnius tituli beneficalis non inducit renunciationem alterius, cum multiplicari possint. p. 249. n. 29.

A C C I D E N T I A facilius tolluntur, quam naturalia, pag. 112. n. 12.

A C C U S A T I O pro delicto, depositione vel priuatione digno, non erit intrusus, si remaneat in beneficio, antequam per sententiam priuatus declaratur, & tunc lite pendente poterit illud resignare, referuata etiam pensione, aut permutare. p. 5. n. 9. & 10.

A C C U S A T I O interposita ab eo, qui habet interesse, admittenda est. p. 169. n. 18.

A C C U S A T I O intrusionis in beneficio tendit, vt talis intrusus beneficio priuetur. p. 171. n. 32.

A C C U S A T I O criminalis contra Clericum prohibita est laicis. p. 62. n. 5.

A C C U S A R E potest Patronus laicus Rectorem dilapidantem iura, seu bona Ecclesiæ. p. 170. num. 29.

A C C U S A R E criminaliter non potest Patronus laicus Clericum institutum in Ecclesia, in qua habet ius patronatus. p. 167. n. 5.

A C C U S A T O R, qui multum distulit accusationem, suspectus redditur. p. 203. n. 33.

A C T I O ciuilis contra Clericum per viam denunciationis, non est prohibita laicis. p. 167. n. 4.

A C T I O personalis datur contra Tertium pro muneribus, & tributis, vel aliis oneribus, etiam si rem non possideat, secus autem in actione reali, quæ sequitur rem, & non personam. p. 37. n. 15.

A C T I O publica, quæ respicit communem vtilitatem, intentari potest non solum à ciue, sed etiam à quolibet alio etiam extero. p. 171. num. 36.

A C T I O intentata aduersus Clericum, qui ob ali-

Index Rerum.

- quod delictum de iure est inhabilis ad beneficium consequendum, vel ut post institutionem eo priuatur, civilis dicitur, & non criminalis, & ideo Laicus poterit illam intentare. *ibid.* n. 36. & 38.
- Actio personalis quod metus causa**, operatur, ut actus reduci debeat ad pristinum statum, in quo existeret ante metum incussum. p. 283. num. 15.
- Actiones plures** si alicui competunt, cogitur vnam ex illis eligere, nec postea poterit ad aliam redire. p. 184. n. 2.
- Actiones orientes ex obligatione** verbis quaesita, operantur, ut quis non possit excipere de iure Tertij virtute illius, licet ex aliis id efficere valeat. p. 182. n. 21.
- Actione iniuriarum** puniri debet intrusus, si is qui passus fuit intrusionem, ab ipso fuerit iniuriatus. p. 293. n. 12.
- Actionum cessio ex contractu celebrato** per intrusum, an sit necessaria, ut verus Praelatus agere possit. p. 101. n. 1. & seq.
- Actionum, vel Accusationum ius** non potest mihi acquiri, vel competere ex iure, vel pacto, seu actione alterius personae, mihi non subiectae. p. 180. n. 9.
- Intellige** ut *ibidem* p. 182. n. 21.
- Actor** non potest obtinere ex eo, quod Reus excludi debeat. p. 192. n. 6.
- Actor destitutus aliquo legitimo iure**, non potest efficere ut per suam instantiam intrusus possessor beneficij remoueat a possessione, etiamsi illud esset reseruatum. p. 177. n. 14. & 16.
- Actor probare debet quod intendit**, aliàs Reus absolui debet. p. 194. n. 20.
- Actore non probante**, Reus, etiam intrusus in beneficio, absoluitur, ne per illius instantiam a possessione remoueat: quod extendit etiam si de non iure Rei constaret per ipsius confessionem. p. 177. n. 5. & 17. cum seq.
- Actore non probante** Reus absolui debet. pag. 191. n. 2. & 5.
- Actus accessorius ad principalem**, non potest attribui, quod ex principali consequi non posset. p. 272. n. 5.
- Actus gesti per vim, vel metum**, debent de iure irritari, & annullari. p. 282. n. 7. & 8.
- Actus nullus**, & inualidus post factam ipsius rescissionem, ab habente ad id potestatem reduci debet ad statum, ex quo originem habuit. p. 282. n. 10. & 15.
- Actum qui exercet lege permittente**, non peccat, nec exercet actum iniustum. p. 65. n. 3.
- Adipiscens** possessionem beneficij propria auctoritate si habet legitimum & canonicum titulum, non est intrusus, nec poenis intrusionis venit puniendus, si illa sit vacua, secus si aliquis sit in ea. p. 25. n. 5. & 12.
- Administrans** Praelaturam auctoritate Superioris, vel Iudicis, ex eo habet titulum, & ita est bonae fidei possessor. p. 82. n. 7.
- Administratio** Praelaturae datur Praelato in foro externo ex solo titulo colorato, licet aliàs minus legitimo. p. 128. n. 13.
- Administratio rerum** alia est complexiua, quae omnia comprehendit, & in se continet quidquid gerendum est; alia particularis, quando fit circa rem particularem, quae inter se differunt. p. 100. n. 19. & 20.
- Administrationem omnium bonorum** vel fructuum beneficiorum generaliter de iure habet Papa. p. 160. n. 29.
- Ad obtinendum in interdico, Recuperanda**, sufficit quod gratia vel supplicatio signata existat absque literarum expeditione. p. 14. n. 9.
- Adultera** non erit mulier, existimans iuste esse nuptam cum viro alieno; si verò sciuerit, erit utriusque. p. 81. n. 3.
- Adultera notoria** si sit mulier, maritus vero continens, & illa petat eius restitutionem, repellenda est. p. 140. n. 21.
- Adulterium** non committitur sine dolo, & ideo qui ignorat in illud incidere, non subiicitur poenis adulterij. p. 301. n. 9.
- Adulterij notorij exceptio per maritum**, vel mulierem data, impedit restitutionem, ne innocens cogatur ad cohabitationem. pag. 140. num. 21.
- Agens de intrusione contra beneficiatum** si de illa constat, audiri debet. p. 33. n. 14.
- Agens petitorio ad excludendum Rectorem**, ex causa intrusionis, tenetur eam, & suum titulum probare, aliàs absolui debet Reus. p. 191. num. 2.
- Agere non potest** ciuilitur vel criminaliter, qui speciale vel immediatum interesse non habet. pag. 170. n. 30.
- Intellige** ut *ibid.* p. 171. n. 41.
- Agere non potest** Canonicus contra Praelatum intrusum, ut a Praelatura remoueat, bene tamen Clericus habens titulum coloratum, vel qui in beneficio habet aliquod immediatum interesse. p. 167. n. 3. & seq.
- Agere potest** Parochianus laicus ciuilitur, & criminaliter pro suo interesse contra Rectorem intrusum, vel notorie carentem titulo legitimo, ut a beneficio remoueat, *ibidem* num. 6. & 7.
- Agere non potest** ciuilitur vel criminaliter qui speciale, & immediatum interesse non habet. p. 170. n. 30. & 41.
- Agere potest** spolio intrusus, eiectus a possessione sine citatione. p. 233. n. 3. & 35.
- Agere potest** Praelatus ex diuersis contractibus celebratis cum intruso, cum diuersis personis, admittendo vtilem per viam compensationis, & reprobando laesiuam; secus autem si vnicus & solus fuerit cum vna, vel pluribus personis. p. 98. n. 7. & seq.
- Agere ut potest** Parochianus laicus contra intrusum in beneficio, an debeat in simul esse Patronus. p. 68. n. 10. & seq.
- Alienatio rei Ecclesiasticae**, facta per Praelatum, vel Beneficiatum intrusum, est nulla & inualida. p. 87. n. 1. & 4.
- Alienationes omnes** siue iustae, siue iniustae, tam vtiliter, quam inutiliter factae per Praelatum, vel Beneficiatum intrusum, sunt nullae ipso iure, etiamsi fiant de consensu Capiuli. p. 88. num. 5. & 6.
- Alienationes, & alia facta per Praelatum intrusum**, sunt nulla & irrita. p. 104. n. 3.
- Anima** tanto pretiosior est cunctis rebus temporalibus, quanto distat corpus ab illa. pag. 168. n. 12.
- Animus delinquendi** non praesumitur, vbi non datur perseverantia. p. 163. n. 17.
- Anima fratris** ne miserabiliter decipiatur cuiuslibet Christiani interest ex actu charitatis: quod

Index Rerum.

- quod respicit vtilitatem publicam. pag. 171. num. 35. & seq.
- Animas suorum subditorum alere**, Praelato incumbit, pabulo spirituali. p. 123. n. 20.
- Annullatio actus** a iure facta in odium transgressantis est poena, secus si fiat ex defectu alicuius solemnitate. p. 292. n. 4. & 5.
- Antecessoris** titulus beneficalis probatur ex eo, quod tempore mortis naturalis deceffit in possessione pacifica. p. 204. n. 3.
- Antecessoris intrusio in beneficio** si sit nota lucessori, qui molestatur, iste erit adstrictus ad iustificandum illius titulum. p. 206. n. 16.
- Antipapa, & Papa contententes de Papatu**, debent cedere pro sedando schismate, & si pertinaciter renuant, ambobus subtrahenda est obedientia. p. 50. n. 26.
- Antiquum tempus** quodnam sit ad effectus iuris. p. 202. n. 46.
- Apostolica Sedes**, tanquam prima, a nemine iudicatur. p. 54. n. 2.
- Apostaticus & intrusus in Papatu** expellendus est per Cardinales, & alios Clericos timentes Deum. p. 56. n. 16.
- Appellatio** si fuerit interposita ab intruso, & ea pendente aliquid fuerit innouatum, an debeat reuocari. p. 151. n. 2. & seq.
- Et an causet attentata**. *ibid.* n. 3. & seq.
- Appellatio** si fuerit interposita per eum, contra quem opponitur exceptio, quod in electione fuit incapax, aut inhabilis, audiendus est. p. 152. n. 2.
- Appellatio non datur** a praepro Ordinarij, iubentis per viam inquisitionis, ut possessores beneficiorum titulos exhibeant, vel aliquid aliud quoad correctionem morum. p. 200. num. 30.
- Appellatio in re notoria** non debet admitti. p. 230. n. 29.
- Appellatione pendente**, quod non possit innouari, intelligitur quoad litigantes, non verò quoad Tertium. p. 150. n. 3.
- Appellatione pendente** nihil est innouandum; & si aliquid fiat, erit attentatum, & nullum. p. 151. n. 1.
- Appellatione fructuum** non veniunt distributiones quotidianae, quoad expressionem valoris beneficij. p. 157. n. 10.
- Appellare** licet a delegato Principis. p. 210. num. 8.
- Apprehendens** propria auctoritate beneficij possessionem; cuius canonicum titulum habet, licet non sit intrusus, nec poenis intrusionis puniendus, aliquam tamen meretur. pag. 26. n. 7. & 8.
- Aqua benedicta** etsi peccata venialia dimittat, tamen qui non benedictam accepit, quam putabat benedictam, non obtinet illorum veniam; licet cogitet de remissione venialium. p. 125. n. 21.
- Archiepiscopus** ideo dicitur, quod est Princeps Episcoporum. p. 299. n. 7.
- Archiepiscopi, Episcopi, Patriarchae, aut Cardinales** obligantur Ecclesiam pro debitis alienis incidunt in poenam nullitatis contractus, & tenentur ad omne damnum, quod inde sequatur. p. 299. n. 12. & 14.
- Archiepiscopi, & Patriarchae** veniunt appellatione Episcoporum, etiam in materia stricta, & poenali. p. 299. n. 7.
- Argumentum** de matrimonio carnali ad spirituale validum est. p. 118. n. 3.
- Argumentum a contrario sensu** in iure validissimum est. p. 248. n. 18.
- Assumens Cathedram Petri** aliter quam per Canonicam electionem, debet ab ea excludi, & est excommunicatus cum omnibus fautoribus, & incurrit poenas a iure impositas, tanquam inuasor totius Christianitatis. p. 47. num. 3.
- Attentata** intrusio ut probetur, prius probanda est concludenter litis pendentia, per eum qui illam allegat, per instrumentum, aut per testes, vel per confessionem. p. 190. n. 4.
- Attentata & nulla** dicuntur gesta appellatione pendente, & ideo sunt reuocanda. pag. 151. num. 1.
- Attentata** potest Iudex reuocare ex suo mero officio, etiam parte non petente in odium attentantis, & hoc non iure actionis, sed potius ex officio iudicandi. p. 228. n. 9.
- Attentata a Tertio intruso in re litigiosa** reuocari debent via attentatorum, & non ordinaria. p. 150. n. 5.
- Attentata regulariter** sunt gesta per partem compromisso pendente, veluti alienando, cedere, & similia quae Arbitrarius reuocare potest. p. 23. n. 10.
- Attentata intrusio** purgatur per cessionem, vel renunciationem litis, ab ipso intruso sponte facta. p. 240. n. 4.
- Attentatam possessionem** potest reuocare Iudex ex suo mero officio, quando fuit capta lite pendente. p. 228. n. 4. & 10.
- Attentatorum remedium** an possit dari contra Tertium intrusum in beneficio lite pendente. p. 150. n. 1. & 4. cum seq.
- Attentatorum remedium** est magis priuilegiatum, quam simplex possessorum *Recuperanda*. p. 139. n. 16.
- Attentatorum remedium regulariter non datur** contra tertium, sed agi debet contra eum via ordinaria coram Iudice. p. 32. n. 8.
- Attentatorum reuocationem** petere potest, qui passus est attentata, vel qui praetendit aliquid contra ipsum esse attentatum; si constat habere aliquod ius, vel interesse. p. 152. n. 1. & 3. cum seq.
- Attentatorum reuocatio** facienda ad instantiam partis, requirit citationem illius, contra quem reuocatio exequenda est. p. 228. n. 7.
- Attentatorum reuocationem** potest petere quicumque habens interesse, dummodo non sit intrusus. p. 153. n. 5. & seq.
- Attentatum spoliolum** lite pendente ante omnia restituendum est, etiam non docto de colore tituli, respectu possessionis. p. 139. num. 15. & 16.
- Attentans** offendit ius, Iudicem, & partem, & ideo restituere debet non solum fructus perceptos, sed etiam damna, ac interesse, & expensas. p. 157. n. 13. & 14.
- Attentans laedit maiestatem Iudicis, & ex eo in omni casu potest ipse ex suo mero officio reuocare attentata**, licet aliqui contra sentiant, sed prima opinio est verior, & tenenda. p. 228. n. 5. & 6.
- Attentans lite pendente non potest dare obiectus contra Reum**, etiamsi iste non doceat de suo iure. p. 178. n. 20. & 21.

Index Rerum.

Attestatio Pontificis facit plenam fidem, & probationem, quando loquitur de facto proprio, & in illo fundat suam intentionem, & tunc omnia silere debent, quæ in contrarium adduci possent. p. 252. n. 3. & 11.

Avaritia genus est, reiicere in vno eodémque contractu quod est damnosum, & admittere tantum vtile. p. 99. n. 12.

Auctoritas Superioris, & possessio virtute ipsius quaesita, requiruntur, vt quis legitime beneficium administrare possit. p. 82. n. 11.

Auctoritas Superioris excusat à pœna. p. 301. num. 6.

Audiendus est, qui pro suo interesse venit ad causam. p. 152. n. 1.

Augeti, vel diminui debet pœna, iuxta qualitatem delicti. p. 304. n. 31.

B

B *aptissimus* non legitime susceptus supposita bona fide an proficiat ad saluandam animam. p. 121. n. 10.

Beneficium reseruatam Sedi Apostolicæ non potest conferri ab Ordinario, nec ab alio inferiori. p. 6. n. 18.

Beneficium litigiosum est reseruatam, & ideo si ab Ordinario conferatur, erit intrusus ille cui collatio fuerit facta. p. 8. n. 27.

Beneficium curatum qui habet, si aliud etiam curatum, vel incompatible recipiat, & primum administrat, possessionemque retineat, erit intrusus. p. 12. n. 13.

Beneficium obtinens, alteri iniuste ablatum, est intrusus. p. 8. n. 30.

Beneficium alicui collatum, ante acceptationem, non est suum. p. 21. n. 19.

Beneficium secundum curatum si ignorans aliquis habeat cum altero etiam curato, quia se inscio fuit collatum suo procuratori, potest eligere quodnam illorum retinere velit. p. 21. n. 20. & seq.

Beneficium secundum acceptans, & apprehendens, si non potest illius fructus percipere, licet primum retineat, non dicitur intrusus. p. 21. n. 24.

Beneficium qui obtinet per simoniam, an sit intrusus. p. 28. n. 1. & 10. cum seq.

Beneficium qui retinet, cum sit ipso iure priuatus propter delictum, an reputetur intrusus. p. 28. n. 2.

Beneficium qui accipit per vim, etiamsi habeat titulum coloratum, est ipso iure priuatus, non tamen reputatur intrusus. p. 29. num. 9. & 12.

Beneficium possidens de tempore antiquissimo, etiamsi de titulo non doceat, an sit intrusus. p. 32. n. 1. & 13.

Beneficium curatum qui acceptat cum probabili dubio, an aliud haberet, non est intrusus, quia ante acceptationem non vacat primum. p. 21. n. 18.

Beneficium obtinens sine canonica institutione, non est verus possessor. p. 76. n. 6.

Beneficium Ecclesiasticum possidere non potest sine auctoritate Superioris, & aliter possidens dicitur malæ fidei possessor. pag. 83. num. 13.

Beneficium qui resignat, liberatur ab onere recitandi Horas canonicas, statim atque re-

signatio fuerit admittitur, si aliàs ex altero titulo non erat adstrictus. p. 133. n. 3. & 4.

Beneficium possidens potest se defendere contra actorem ex duabus collationibus, siue titulis. p. 184. n. 4.

Beneficium in fauorem renunciare non potest qui titulum canonicum non habet. pag. 246. num. 3.

Beneficium si aliquis cum titulo legitimo obtinet, potest illud retinere & fructus ex illo perceptos. p. 162. n. 8.

Beneficium possidens per decennium licet non doceat de titulo, tutus est, ne pro intruso iudicari debeat, si alias clarè non constat de intrusione. p. 32. n. 7. & 13.

Beneficium possidens per longum tempus quamuis tutus videatur, ne pro intruso haberi debeat, si tamen de contrario certò constaret, poterit omninò remoueri. p. 33. n. 13.

Beneficium occupans sine titulo, & colore est intrusus, & exclusus quoad Regulam de Trienniali. p. 72. n. 6.

Beneficium litigiosum possidens si obtineat literas monitoriales contra detinentes, vel scientes res, aut bona ad beneficium pertinentia, an ex eo oriatur obligatio denunciandi. p. 95. n. 1. & seq.

Beneficium grauatam pensione transit cum suo onere in quemcunque successorem, tam legitimum, quam illegitimum. p. 164. n. 2.

Beneficium conferri de iure non potest nisi ab Ecclesiastica persona. p. 175. n. 2.

Beneficium possidens potest se tueri duplici titulo, siue collatione, ad effectum consequendi possessionem. p. 186. num. 16. & 20. cum seq.

Beneficium si est meum ex vna causa, non potest esse meum ex alia, maximè in agendo. n. 19. ibid.

Beneficium si permutauerit intrusus, in quo se intrusit, non acquirit aliquod ius in beneficio permutato. p. 244. n. 6.

Beneficium permutare non potest habens ius ad rem, cum eo qui in alio habet ius in re. pag. 244. num. 4.

Beneficium reseruatam vacans ex causa intrusionis, conferri debet per Papam, & an veniat in reseruatione. p. 214. n. 1. & 3. Limita vt ibidem. n. 10. & seq.

Beneficium resignans amittit omne ius quod in eo habet, statim atque resignatio fuerit admittitur per Papam, vel Ordinarium. p. 135. num. 19.

Beneficium resignans non tenetur recitare Horas canonicas à die admittitur resignationis per Superiorem. p. 135. n. 29.

Beneficium in quo quis se intrusit non vacat de iure ex sua persona. p. 217. n. 2.

Beneficium vt vacare dicatur, non est necesse titulum iustificare, sed sufficit, quod Beneficiarius tempore vacationis haberetur pro legitimo possessore. p. 217. n. 3.

Intellige vt ibidem. n. 4. & 8.

Beneficium vacans ex causa intrusionis conferri potest per legitimum Collatorem non vocato intruso, quamuis aliàs vocatio sit necessaria, vt à possessione amoueatur. p. 219. n. 5.

Beneficium vt sit reseruatam, sufficit quod Beneficiarius de facto illud retineat. p. 218. n. 7. Intellige vt ibidem. n. 4. & 8.

Benefi

Index Rerum.

Beneficium intrusi si aliquis impetrat, non tenetur facere mentionem de possessione, vel intrusione illius, qui per sententiam fuit declaratus intrusus. p. 222. n. 2.

Beneficium curatum vacat ipso iure per ademptionem secundi, & de primo fieri potest collatio, non vocato Rectore. p. 219. n. 5. & 7.

Beneficium vacans ipso iure, licet de facto non vacet, conferri potest ab habente potestatem, etiam non annullato, vel cassato colore retinendi, cum idem ius annullat, & casset ipsum titulum, ibidem. n. 6.

Beneficium intrusi declarati per sententiam pro tali, potest conferri ab eo, ad quem de iure pertinet collatio, etiamsi sit inferior collator. p. 220. n. 10. & 11.

